
PETER
SEABY
B

FASTI
DUCALES
AB ANAFESTO I.
AD
SILVESTRUM
VALERIUM
Venetorum Ducem

Cum eorum Iconibus, Insignibus, Nummismatibus Publicis, & Privatis ære sculptis: Inscriptionibus ex Aula M. Consilii, ac Sepulchralibus.


ADIECTÆ SUNT

Adnotationes, ad Vitam cuiusque Principis, rerum, quæ omissæ fuerant,

STUDIO

IOANNIS PALATII

Olim Iuris Pontificii Professoris in Patavino Gymnasio &c.



VENETIIS. M.DC.XCVI.

Typis Hieronymi Albrizzi.

SUPERIORUM LICENTIA.

Duci Sereniſſimo
SILVESTRO VALERIO
SENATVI
Excellentiſsimo, Sapientiſsimoque.

IMagines veſtrorum Proauum (Sereniſs. Princeps, Conſcripti Patres) qui vobis gloriam & imperium, ſubditis Libertatem pararunt, exhibeo. Iuſtitiæ imagines, Religionis, ad tantæ molis firmamentum, in

Aquis positum, Solii exemplum Superni, in Mari picti, quod natura impollutum, labe nulla profanatur, imò vitia comprimit Tyrannorum; in quos sola Respublica (teste Angelico *) iustè Principis nomen seruat. Eius Opificem, præter Deum, nemo quærat vel inter Sanctos: quòd solus Altissimus vestræ Religionis, vestræ Vrbis se auctorem proferat: & ne Sanctorum aliquis, ut apud Romanos Petrus, Dionysius Gallos sibi usurparet exordium, Christianos iam natos congregauit hic Christus, ubi nec Religio fuerat, nec Superstitio irrepserat, ut ipse Vestrum agnosceretur erector, parens, & educator. Euangelium cum Aquileiensibus prædicaret Marcus, somnio præmonitus, in vicinis paludibus excitandam Vrbem, Maris dominam, in qua eius ossa cum veneratione quiescerent, expergefactus verò futuræ urbis solum in salo lustrasset, opere desperato in Africam*

rediit

rediit quasi litoris oblitus Adriaci. Legem Patriæ gloriantur equidem exarasse Principes: nec falsum, ut Moyses in Sina, in Sancto Dæcalogum scripsit dictante Deo: At vos sorte meliori. Eodem namque tempore, quo ille de Vnius cultu signabat Tabulas; erecto vitulo super Altaria, profanabat Populus. Vos Tabulas æterni Testamenti, quas semel accepistis, servatis virgines, custoditis infractas; ac per xiii. sæcula Dei, & Catholicæ Ecclesiæ Filii, iurato fædere sempiterno, neminem vestrorum Principum, aut Præsulum amisistis; qui cum Heterodoxis, è Dyptichis proscriptus iaceat: sed omnes sacro veneramur in albo Confessores, Martyres, vel Martyrum patronos. Hinc titulum Christianissimæ *sortita Respublica ante cæteros Reges Terræ, Sal. An. 620. ab Honorio II. Pontifice* Sancto; *quem semel assumpsit, nunquam dimisit. Pro Deo, pro*

Eccle-

Ecclesia plasmati Romana, paci tantumodo intenti, quasi arma nescirent vestri Proavi, bella respuerunt oblata ad incrementum Imperii, donec rogante Gregorio II. R. P. emissa in Longobardos classe, Ravennam Deo, & Cæsari redemerunt. Ab hinc Advocata S. Petri Respublica, *aulam suam aperuit in refugium Pontificum; ut vel Orbe persequente universò, huc se reciperent in Domum Marci: quòd securiùs custodiri non valeat Euangelium, quàm in ædibus Euangelistæ. Hoc clypeo Alexander III. furorem declinans Ænobarbi, calcauit aspidem, & Basiliscum.* Exulta in Domino (*P. Damiani ser. de S. Vitali.*) plaude Venetia, quia per illud pretiosi Thesauri talentum, quod in te constat esse reconditum, facta es superni Regis ærarium; & dum in tuo gremio virum Apostolicæ gratiæ suscepisti, & ipsa quodamodo Sedes Apostolica fieri meruisti. *Du-*

ratio-

ratione Ecclesiæ coæva, una die cadent: cum Christus Mundum iudicaturus advenerit. Veneti emendatiores, (*Telesph. Cosentin. de M. Tribul.*) prudentiores, Sapientiores supra mundi homines: Dominium eorum non deficiet usque ad finem Mundi. Antichristus totum ferè Mundum sibi subjiciet, paucis exceptis: nec poterit subiugare Venetias. *Sic in visione Ioachim.* Scito Ioachin; quòd virgo sum, Regina sedeo, luctum meum non videbo. *Huius imaginem sanctam cum Principibus suis, vobis expono: cuius sub umbra non facinorosi, ut olim Romæ, sed Martyres, Virgines, Ecclesia tota quiescit. Si sacrilegium Romanis; M. Antonini populo dilecti imaginem non habere: quanto scelestius, eorum nummismata, sine veneratione percurrere, qui non libidine imperii, sed pro S. Crucis exaltatione, sanguinem effuderunt? Si enim Cæsarum, Consu-*

lum,

lum, Seleucorum, tanto labore perquirimus, cur patriæ ignorare, quæ Chronologiam, mutamque historiam reddunt loquacem? Gesta hic Principum brevi exarata calamo, supplementum forsan Chronici ab aliis neglecti, gratitudinis ergà Serenissimam Patriam, in qua natus & honoribus enutritus, collectum offero, monimentum obsequii, subiectionis, humilitatis, & reverentiæ.

Humillimus, Obsequentiss. Fideliss. servus & subditus
Io: Palatius.

VENETIARVM ORIGO.



Enetæ Vrbis originem Dei gratia liberè natæ præmissam satis nostris in opusculis *de Maris Dominio* Lector habuit; quando sub Consulibus & Tribunis Proavi nostri vitam traducebant & imperium, commissi melioris arbitrio. Salinis, Piscationibus incubuisse Majores nostros non negamus, quando Barbarorum metu per Italiam grassantium, in hæc æstuaria Deo Duce se receperunt: Nobiles tamen fuisse Magnates, divitiis fulgidos, consilio claros testatur loci insolentia nonnisi opibus & arte expugnanda; Vrbs mediis in Aquis designata non amplius visa, neque audita: quam non minùs temerè, ac Mundi Machinam casu constructam fingerem; cum utraque solum Deum Auctorem habeat. Cassiodorum consule *Var. lib.* 12. *epist.* 24. quam ad syllabam transcripsimus.

Tribunis maritimorum Senator Præfectus Prætorio.

DAta pridem jussione censuimus, ut Istria vini & olei species, quarum præsenti anno copia indulta perfruitur, ad Ravennatem feliciter dirigeret mansionem. Sed vos, qui numerosa navigia in ejus confinio possidetis, pari devotionis gratia providete, ut quod illa parata est tradere, vos studeatis sub celeritate portare. Similis erit quippe utriusque gratia perfectionis, quando unum ex his dissociatum impleri non permittit effectum. Estote ergo promptissimi ad vicina, qui sæpe spatia transmittitis infinita. Per hospitia quodammodo vestra discurritis, qui per patriam navigatis. Accedit etiam commodis vestris, quod vobis aliud iter aperitur perpetua securitate tranquillum. Nam cùm ventis sævientibus mare fuerit clausum, via vobis panditur per amœnissima fluviorum. Carinæ vestræ flatus asperos non pavescunt, terram cum summa felicitate contingunt, & perire nesciunt, quæ frequenter impingunt. Putantur eminus quasi per prata ferri, cùm eorum contingit alveum non videri. Tractæ finibus ambulant, quæ stare rudentibus consuerunt: & conditione mutata pedibus juvant homines naves suas: vectrices sine labore trahunt, & pro pavore velorum utuntur passu prosperiore nautarum. Iuvat referre, quemadmodum ha-

bitationes vestras sitas esse prospeximus. Venetiæ prædicabiles quondam plenæ nobilibus, ab austro Ravennam Padumque contingunt, ab Oriente jucunditate Ionii litoris perfruuntur: ubi alternus æstus egrediens modò claudit, modò aperit faciem reciproca inundatione competunt. Hic vobis aliquantulum aquatilium avium more domus est. Namque nunc terrestris, modò cernitur insularis. Vt illic magis æstimes esse Cycladas, ubi subitò locorum facies respicis immutatas. Earum quippe similitudine, per æquora longè patentia, domicilia videntur sparsa, quæ Natura non protulit, sed hominum cura fundavit. Viminibus enim flexibilibus illigatis terrena illic soliditas aggregatur, & marino fluctui tam fragilis munitio non dubitatur opponi: scilicet quando vadosum littus moles ejicere nescit undarum, & sine viribus fertur, quod altitudinis auxilio non juvatur. Habitatoribus autem una copia est, ut solis piscibus expleamur. Paupertas ibi cum divitibus sub æqualitate convivit. Vnus cibus omnes reficit: habitatio similis universa concludit: nesciunt de penatibus invidére: & sub hac mensura degentes evadunt vitium, cui Mundum constat esse obnoxium. In salinis autem exercendis tota contentio est: pro aratris, pro falcibus, cylindros voluitis: inde vobis fructus omnis enascitur: quando in ipsis, & quæ non facitis, possidetis. Moneta illic quodammodo percutitur victualis. Arti vestræ omnis fluctus addictus est. Potest aurum aliquis minùs quærere: nemo est, qui salem non desideret invenire: meritò, quando isti debet omnis cibus, qui potest esse gratissimus. Proinde naves, quas more animalium vestris parietibus illigastis, diligenti cura reficite: ut cùm vos vir experientissimus Laurentius, qui ad procurandas species directus est, commonere: tentaverit, festinetis excurrere. Quatenus expensas necessarias nulla difficultate tardetis, qui pro qualitate aeris compendium vobis eligere potestis itineris.

Exaratur epistola à M. Aurelio Cassiodoro, qui fuit à Secretis Theodorico, & Theodato Gothorum Regibus, à quibus Senator dictus, & Prætorio Præfectus Gubernator, Anno circiter 495. postquàm oblectationis gratia Insulas istas lustrasset circa Annum 75. à condita Rivoalto. Ejus inscriptionem collatis exemplaribus antiquis, & M. S. à doctissimis Vltramontanis restitutam ne prætereas, qua eos corrigas, qui loco *Tribunis*, legunt: *Nos Tribunus Venetiarum, Præpositus Senatus*. Tribunis namque scribit; non ad Cassiodorum Tribuni. Corrigas, etiam si fortè offendas, *Al Tribuno di Venetia, Senator, & Popolo*. Pluribus namque scribit non uni. Nobiles fuisse primos habitatores & divites ex iis Cassiodori patet, *Vos qui numerosa navigia in eius confinio possidetis*, & *Venetiæ plenæ*

nobili-

nobilibus. Brevi tempore latos ei terminos Imperii fuisse ex eo habes: *Venetiæ prædicabiles quondam plenæ nobilibus ab Austro Ravennamque Padumque contingunt, ab Oriente iucunditate Ionii litoris perfruuntur*, Ædem etiam habuisse Monetariam; Errarium ex eis constat: *Moneta illic percutitur quodammodo victualis*. Verbo præsenti *percutitur*, usquè in diebus Cassiodori: Ex quibus redarguas dicentes, quod ex Rudolphi I. privilegio Monetam percutiant; immo ejusdem Rudolphi testimonio, circa Annum 924. Venetis est Nummi Moneta firmata, *secundùm quod eorum Provinciæ Duces, à priscis temporibus consueto more habuerunt*. Sansovinus lib. 13. Hic rerum Venetarum status, donec torpescentibus Consulibus, placuit tanto corpori darè Caput; Ducem appellando ab odioso abstinentes Regis nomine, quòd invidum & superbum, propterea oblatum à Federico III. Imperatore, etiam post sęcula multa & non receptum. Patrem itaque cum quęrerent, non Principem, dixere Ducem: cujus officium, populum instruere, divina colere, humana diligere; & relicto penes Deum Imperio, servare inter cives consortium. Ad ejus majestatem omnia humanæ vitæ necessária ab oppidis & insulis abundè subministranda, decrevere Comitia: ne inopià justitia vilesceret, & pro familia sollicitus vendere cogeretur Rempublicam. Tantæ dignitatis designato simulachro; in certamina descendère Consules foro quasi venali. Quorum discordia excitatus Populus, qui sæpè Deo clangit afflante, Paulutium acclamarunt Anafestum.



PAVLVTIVS ANAFESTVS

DVX I.

Electus Anno 697. obiit Ann. 717. cum regnaßet Annos 20 Menses sex. Dies 8.

SCHEMA VETVS.

Heracleotes rexi Venetos, statui Rempublicam, Luitprandum Conciliavi.



VRbem Venetam cum à principio habuissent Leges, non Reges: post Annos ducentos & quinquaginta ad præsidium suæ libertatis, voluere Ducem, exauctoratis Tribunis, qui minùs vigiles obdormiebant adversùs piratas. Quantum fuerit Reipublicæ corpus? ex tribus ferè sæculis, quibus elaboratum, metire, priusquàm caput acciperet. Anno itaque Vrbis conditæ 276. primus omnium, Ducis titulo insignitur Paulutius Anafestus in natali Heracleæ solo; qui post præstitum juramentum promovendi jure Rempub: protinùs voto potiùs officii, quàm libidine Imperii, coactis ad validam classem insulis, quæ irruptiones retunderet Barbarorum, ostia fluminum præmunivit, armavit litora,

litora, Equilinos desertores terruit, percussoque fœdere cum Luitprando Longobardorum Rege, pacem finitimis imperavit, sibique à Superis imploravit, Torcelli Deiparæ excitato Templo, in quo D. Heliodori Altinatis, aliorumque Sanctorum exuvias piè reposuit, tanquàm Reipublicæ Tutelares. Anno uno supra vigesimum alter Romulus Rempublicam foris gladio produxit; Domi pietate Numa gubernavit. Heraclææ quievit; ubi longo post tempore, cum patria pater naufragium fecit.

Sabellicus, Sansovinus, Petrus Iustin.

SVb hoc Principe, ænea tantum utebatur Moneta Populus, voluptatis odiosus, solius avidus libertatis & pacis. *Contarenus lib.1.p.3. Histor. Venet.*



MARCELLVS TEGALLIANVS

DVX II.

Creatus Anno 717. Cornu posuit 726. cum sedisset Annos 9. Dies 21.

ANTIQVA INSCRIPTIO A MAIORIBVS POSITA.

Patriarcham Gradi defendi, Luitprandi arma repressi.

II



VRbem Venetam ad solius Ecclesiæ firmamentum in Aquis posuisse Deum, ne dubites, secundum respice Venetorum Principem Marcellum Tegallianum. Ex Equitum Magistro ad Principatum vocatus, comitiis Heraclææ habitis, ubi natalia subiit; rogante Gregorio II. R.P. propulsata violentia Patriarchæ Aquileiensis, qui Longobardorum phalangibus Gradensem angariabat Ecclesiam, Luitprandum valida classe comprimit lascivientem. Ita pacem Religione quæsivit, justitia servavit, quibus comitantibus secessit in sepulchrum Heraclææ positum, Anno sui Principatus ix.

Petrus Iustinian. Sabellicus. Sansovinus, Marcellus.

HOR-

HORLEVS HIPATVS

Cognomento Urſus DUX III.

Electus Anno 726. obiit 737.

INSCRIPTIO ANTIQVA.

Exarchatum Ravennæ vindicavi, & Gregorio Pontifici reſtitui, Plebis tumultuantis errore perii.

III



MArcellum Heracleanum Vrſus excepit Heracleanus & ipſe. Venetam iſte juventutem centuriis diſtributam, & rebus navalibus ita inſtruxit ludo præcipue Baliſtarum, ut ea, quæ timore hoſtis externi adhuc in Inſulis deliteſcerat, nunc terrorem vicinis incuteret, Vrſoque Duce cruentos ungues primùm in Longobardos exacuit Ravennæ incubantes. Parebat hæc civitas Byzantino Imperatori, habenas regiminis moderante Exarcho. Civilium autem diſcordiarum fluctibus agitatam facile ſe oppreſſurum cum agnoviſset Luithprandus Rex Longobardorum, Ildeprandum miſit nepotem, qui fugato Exarcho Vrbem expugnavit. Is ad Venetam fi-

dem confugiens, classem impetravit octuaginta triremium, quam Vrsus ipse noctu Ravennam eduxit, iactisque pontibus super mœnia in incautos descendit eo tempore, quo Exarchus cum terrestribus copiis, impetu aggreditur. Ildebrandus, somno sepultus consilii incapax, occiso Petædeo Duce, in Vrsi potestatem devenit. Victoriæ spolium Cæsari cessit; Vrbem enim cum Veneti domuissent, Exarcho donarunt. In Aquileienses postea Grado infestos vexilla direxit, quibus domitis, insolentior victoria factus domi superbire cæpit adversùs Æquilios de finibus altercantes cum Heracleanis; quibus cum nimiùm studère creditur, & præsentium discordiarum auctor, orto tumultu interficitur. Hæc prima furori Civium victima cæsa, Anno Principatus undecimo, non sine patricidarùm horrore, qui sedibus damnatis antiquis, in Medoacum migrarunt.

Lege *Sabellicum*, *Petrum Iustinianum*. Sansovinus *Hipatum* nomen dicit fuisse dignitatis, quam Ducibus Græcus Imperator impertiri solebat. Dicunt alii nomen fuisse familiæ, quæ hodie *Dandula* appellatur.



Ducalis dignitas Abrogata.
An. 737.


CÆſo Vrſo, ſedem Principis Matamaucum traduxere, damnàta Heraclea: qui cumque de creatione Ducis variarent ſuffragia irrepente ambitu, faſces placuit aboleri Ducales, ſubrogatis Militum Magiſtris, qui annuam Præfecturam ſubirent. Primus omnium, *Dominicus Leo*. Ei ſucceſſit *Fœlix Cornicula*. Hinc *Theodatus* Vrſi Ducis filius nuper ab exilio revocatus, cui in ſequentem quoque Annum, Imperium prorogarunt: verum priuſquam Magiſtratu abiret, non ſine populi mærore, vita deceſsit. Huic ſuffectus *Iulianus Cæſarius*, ſeu *Hipatus*; inde *Zianus Fabritiatius*, quem nondum annuo munere functum populus excæcavit tanquàm auctorem acerbi belli inter Ieſolanos, Heracleenſes, & Equilios, quorum ſanguine mare erubuit in loco, cui nomen relictum *Canalis Arcus*. Hinc novo Ducis deſiderio tentati populi, *Theodatum* Vrſi filium Medoacenſi conventu evexerunt. Anno 724.

Sabellicus, Sanſovinus, Petrus Iuſtinian. Marcellus.



THEO-

THEODATUS HIPATUS
DUX IV.

Electus Anno 724. ſecedit Anno 755.

LEMMA PRISCUM.

Vigili in Republica Domi, & foris tuenda oculi mihi per fraudem eruti.



THeodatus Vrſi Principis filius, non hæres Principatus, liberis aſsumptus ſuffragiis, circumſcriptis Heracleæ finibus cum Aiſtulfo Longobardorum Rege, in oſtio Atheſis Brundulam excitavit arcem, vallavitque aggeribus, præſentia ſua artifices urgens, ut opus abſolverent. Hanc occaſionem nactus Galla Mathamaucenus, iniecta in populo tyrannidis ſuſpicione, parricidas manus in Ducem intulit; quem dignitate, oculiſque orbatum relegant. Ipſe autem quaſi reſtitutæ libertatis vindex Princeps aſsumitur.

Sabellicus. Petrus Iuſtin. Sanſovinus, Marcellus.

GALLA

DUX V.

Electus Anno 755. Deportatur Anno 756.

VETVS INSCRIPTIO.

Oculis captus patriam & lumen amiſi.





Yrannidem uſurpat Galla, juſtiſsimo Principe injuſtiſsimè relegato; ſed malè partam dignitatem dum peſsimè adminiſtrat, vitiis obrutus & voluptatibus, privatus & ipſe oculis, altero regiminis Anno, juſtas flagitii pœnas deportatus perſolvit. Familia Tyranni hic non exprimitur; vel nomen proprium confunderetur cum Appellativo; vel in odium violentiæ ſuppreſsum; vel in ſolatium innocentis poſteritatis præteritum. Primus iſte, qui inter Venetos tyrannidem doceret, quam ignorabant. Hinc prope prodigioſus miraculo; quod Populus liberè natus, liberè enutritus, ſupra Annum Tyrannidem ſuſtinuerit; imò Imaginem permiſerit, ſed ad infamiam.

miam. Profperè namque fcelus videretur patratum, fi in feipfo periret; nec in æternum punires. Gallæ itaque imago exponitur, ut eodem tempore Civitas Libera fcelus reminifci nequeat fine vindicta.

Sabellicus, Sanfovinus, Petrus Iuftinian. Marcellus.



D O-

DOMINICVS MONEGARIVS

DUX VI.

Electus Anno 756. Pellitur Anno 761.

INSCRIPTIO NOVA.

Si mei non fuerint dominati: tunc immaculatus ero.

In aula namque Ducali Imaginem ſine Inſcriptione voluere Priſci, nobis ignota cauſa.



EXpulſo Galla, Dominicus ſubrogatur Monegarius Familia Nobili, Mathamaucenus, Tiranno Tirannus; cui ob ferociſsimum ingenium annui dati Tribuni, cum quibus Rempublicam adminiſtraret. Sub eo cœpit ſtare legibus Dignitas Ducalis. Hoc fræno minimè quievit, ſed magis efferbuit bellua regnans, & in Familiam Monegariam, Venetam traducere tentavit Rempublicam. Hinc Civitas ſuæ non oblita libertatis, Anno adminiſtrationis quinto, vel octavo, orbatum lumine abire coegit: ut qui ſce-

ſceptrum ſuſtinere neſciverat, Scipione ſuſtineretur. Throno pulſus, in Inſulam deportatus filios ſecum duxit, quos dietim enutriri curavit Verbo Patriæ, non patrio, Libertatem ſcilicet ſanctè colere, non Imperium; & Rempublicam magis quærere quàm familiam, hanc enim ipſe nimium prædilexerat. Ita loquuntur quum exarmati Tyranni, quibus nec melius loqueretur Deus, ſi verſaretur inter Mortales. Moderationem facillimè docentes, quam pati neſcierunt, ſcholam aperire ſolent poſt amiſſum Imperium in qua ut erudiant; opus non habent, aliena perquirere caſtra: ſatis eis pro librorum colluvie, & Doctorum turba exemplum ſui.

Lege Petrum Iuſtinianum, Sabellicum, Io: Baptiſtam Contarenum, Sanſovinum.

Familia hæc *Menegaria* vel *Monegaria* dicta, artus deſeruit mortales circa Annum MCCCLXXI. ut in *Chron.M.S.*



MAV:

MAVRITIUS GALBAIUS
DUX VII.

Creatus Anno 761. vel 764. filios habuit Consortes, & successores usque in Annum 804.

VETUS INSCRIPTIO.

Pacem colui, ditavi Rempublicam, Filii mei minùs felicem reddiderunt.



REipublicæ æquè quandoque nocent Virtutes, & Vitia, si excedant, & Imperium respiciant non officium. Moribus & ingenio Mauritius cum Populi favorem sibi conciliasset; frequentissimis Comitiis (quod ad eam diem nemo alius) Ioannem filium, Principatus consortem impetravit, & insano Liberorum amore, patriam liberam in servitutem traduxit hæreditariam. Ab hoc Principe Nauticam edoctus Venetus, infrenem ignotamque belluam Orientis, Occidentisque lacessivit Mare, & legem posuit Aquis, usque ad Herculeas columnas, ubi Gadir Europam seggregat & Africam, noti Orbis metam, & ostium ignoti. Fœdus etiam cum

Cœlo

Cœlo voluit:in Olivolensen primum inaugurato Pontificem *Obealto Marino*, Enognini Matamauci Tribuni filio, cum quo ut Dei Vicario leges consuleret, pro Imperii & Sacerdotii concordia, unicam pro libertatis tutela legem, meditatus est Evangelium. His actis obdormivit in Domino Senex Sanctissimus. Ioannes verò alium *Mauritium* ex se natum Collegam ascivit, exemplo detestabili, quod per Annos ducentos & sexaginta, Rempublicam pressit, & quasi oppressit. Coniurati namque Gradi aciem (quam filii scelera concitaverant) cum sola ingenii acie comprimere valuisset, parata classe Gradum cùm filiis clandestinè adortus, *Ioannem* Gradi Præsulem, fraudis ignarum celsa turri præcipitant, exprobrantes, quod Principibus oblatrasset, de quibus nihil, vel benè loquendum. Marmora cruore infecta ad tanti sceleris testimonium, pluribus sæculis, nullatenus potuerunt abstergi; licet Aquæ sæpe inundassent, lapidesque abluissent. Infandum Parricidium cum Venetus Populus ferro, & igne expiandum pararet, à Mari excitatus (quod primum mugiit & intumuit usque ad thronum Ducalem tanto pollutum scelere) quievit, *Fortunato* demortui Patriarchæ nepoti dignitate collata. Is nihilominus vindictam reposcens, conjuncto sibi *obelerio Antenoreo*, ne iterum opprimeretur, maturavit in Galliam: Tarvisium Antenoreus, ubi ab exulibus Venetis, & Ducis hostibus Obelerio Tribuno Matamauci, Felice Tribuno, Demetrio Marimano, Foscaio Georgio Princeps acclamatus, ferox rediit cædis spirans, atque minarum Matamaucum oppugnaturus. Ioannes & Mauritius irruentibus impares Mantuam aufugerunt, postquam Annos tres supra quadraginta, Gerionem gessissent.

Lege Chronicon *Danduli*, *Sabellicum*, *Petrum Iustinianum*, *Sansovinum*, *Io: Baptist. Contarenum*, *Marcellum*.

Fuit etiam Mauritius Hypatius, teste *Sansovino*, ad dignitatem traducto vocabulo, non familiam; fuit enim gente Galbaius, quæ quæ desiit vivere in altero Mauritio Principis ex filio, nepote.

OBE-

OBELERIUS ANTENOREUS

DUX VIII.

Creatus Anno 804. abiit Anno 809.

VETUS INSCRIPTIO.

Fratris ob invidiam Rex Pipinus in Rivoaltum: venit defendi patriam sibi gratificatus.



EX Matamauco Thronum per tyrranidem occupat Obelerius Antenoreus; conciliatoque favore populi, cum aliquandiu Reipublicæ præfuiſset, *Beatum* ſibi collegam adſcivit & *Valentinum* fratres. Exacti Galbaii Duces Nicephorum adiere Græcum Imperatorem, ut ejus ope patriam repeterent contra Obelerium, Venetiis ſedentem, qui ut clavum clavo refigeret, accitis Pipini Italiæ Regis phalangibus in Græcos rebellium auxiliares, Veneto renitente populo, (qui Græca fædera ſanctè obſervanda clamabat) advenientium Gallorum in caſtra ſeceſsit, tumultum timens popularem, deſignataque hoſtibus ſemita, Mathamaucum, Albiolam, Clodiam Regi expoſuit irruenti, qui fulminis inſtar, oppidis iſtis

expugnaſset maritimis, Vrbem ipſam deleſset, niſi in Canali, quem *Orphanum* appellant (quod in eo, Patre, Liberiſque penè viduata Patria jacuerit) occurrens Venetus, atroci pugna cum Gallo victore commiſsa Regiam claſsem profligaſset. Nec longe Pipinus ipſe ex mærore obiit. Prius tamen pace compoſita, efflagitante Rege, Obelerius in Vrbem receptus, cum comperiſset de revocandis in Vrbem Ducibus ſtudere Heracleanos, Æquiliorum ſubnixus auxiliis impigrè obſtitit lingua, manu; inculcans non priùs à civili ceſsandum diſcordia, quàm urbs ipſa Heracleanorum funditus deleretur, utrumque populum ita commiſit, ut hac voce quaſi ad claſsicum concitati, arma ponere accuſaverint, donec proprio ferro conſumpti, mutua clade, mutuoque excidio utramque urbem deleverint. Ex eo tempore Rivus Altus, Torcellum, Maiurbium Inſulæ habitatoribus auctæ. Ex hac clade concitati cives, Pipino abeunte, Obelerium eiuſque coniugem fœde trucidarunt, ambeſoque corde Sanguinem novi Catilinæ libarunt ſuſpenſo inter furcas cadavere *ad S. Martinum de Strada*; damnata trium Germanorum memoria, quorum Potentia luſtrum non exegit. Ni cum aliis, poſt Obelerium, *Beatum* ejus fratrem Principem ponas, cujus effigies inter Ducum imagines primum locum tenuit in Supremis Comitiis, Anno addito 807. cum epigraphe hic ſuprapoſita; quaſi Beatus primus omnium ſedem habuerit in inſula Rivoalti.

Sabellicus, *Sanſovinus*, *Petrus Iuſtin. Marcellus*, *Chron. M.S.* in Bibliothecis *Cornelia & Throna*.



ANGE-

ANGELVS PARTICIPATIUS
DUX IX.

Electus Anno 809. obiit Ann. 828.

MEMORIA ANTIQVA.

Tecta Palatina Communis parvula fundo
Ædifico Sanctum Zacchariamque Ilariumque.





Vcusque Venetæ Reipublicæ Adolescentia procedit: Iuventutem nunc promovent Angeli, simul & Homines, in Rivum Altum sede traducta Ducali, septaque marmore, Pontibus catenata Vrbe, vel Vrbes sexaginta pontibus junctæ Orbem in Vrbe ad miraculum exhibuere. Suo & Gallico tinctus sanguine, per demersas Pipini Legiones, sibi viam stravit ad culmen Imperii. Duo ei dati Tribuni, qui Sex numero hodie perseverant Regiminis Socii, vel Consiliarii. Ex tribus natis Iustum Torcelli vidit Episcopum: Iustinianum ad Leonem legavit Græcorum Imperatorem: Ioannem minorem natu, Collegam adscivit Imperii, ea Primogeniti

indignatione, quod in patriam reversus, domum fugiens paternam, cœnobio exceptus S. Severi cum *Felicita* coniuge, in patris conspectum venire apertissimè recusarit. Hinc pius senex absentiam filii diutiùs sustinere impotens, abdicato & relegato Ioanne, qui publica administratione, nec Patre jubente, ni Populus coegisset, abiturus erat, Iustinianum & Angelum ex filio nepotem collegas sibi cooptavit. Iustissimum Principatum funestavit perfidia nonnullorum Civium, filio forsan conspirante Ioanne, sed reste crepuit suspensa retro insulam S. Georgii. Post hæc urbem sacris turribus cinxit, erectis D. Laurentio, Zacharìæ, Severo, & Hilario Templis, ut in proprias Ædes se reciperent Sancti, cum descenderet auxiliares. Dono cum accepisset à Leone Imperatore, Christi laciniam languenti fœminæ panchrestum: Crucis Lignum, quo naufragus Mundus emersit: Prophetæ Zachariæ ossa, in illius nominis dicatam Ecclesiam invexit. Traduxit præterea ex fano D. Servuli, Monachos in asceterium Hilarii, quod in extrema Rivi Alti parte jacebat. Fundamenta posuit Apostolorum Principi Petro in Olivolensi insula. Vlricum Patriarcham Gradensi Ecclesiæ, cum auxiliari Carnorum manu incubantem, consertis manibus fudit, in vincula traxit; sed quia ad justitiam, non ad vindictam, tantæ victoriæ triumphum prohibuit. Patriarcha cæterique captivi ea conditione manumissi, ut decem Verres, Taurumque spectante Populo, Venetæ mactandos victoriæ, ut domitæ temeritatis monumenta, annuatim mitterent: quibus edocerentur victi, virtute, non scelere arma tractare. Hoc ritu Bellum gerere Sancti ipsi non prohibentur, cum quibus Anno duodeviginti ad Zachariæ fanum quievit. Sub hoc Principe, duo Cæsares accesserunt Venetæ libertatis testes Carolus M. Pipini pater & Nicephorus, qui Orbe ea lege diviso, ut alter Orientis, Occidentis alter Augustus diceretur: medius inter duo Imperia, veluti utriusque terminus, Veneta staret Respublica, tertium quasi Numen, & nulli obnoxia Maiestas.

Lege Petrum Iustinianum, Sabellicum, Io: Baptistam Contarenum, Sansovinum.

IVSTI-

JUSTINIANUS PARTICIPATIUS
DUX X.

Electus Anno 828. obiit 829.

SCHEMA VETUS.


Corporis alta datur mihi Sancti gratia Marci.



DEfuncto Angelo patre, Iustinianus cæpit ipse Rempublicam administrare; revocatumque ab exilio fratrem Ioannem, Populo reconciliavit, & Imperii Collegam assumpsit. Primum ei pro Religione Bellum adversùs Sarracenos, qui occupatâ Hispaniâ, in Siciliam, Calabriam & Apuliam victoriis tumidi vela ferentes, barbara conabantur imponere jura Mari. In hos bis movit, rogante *Michaele* cognomento *Balbo* Græcorum Imperatore Iustinianus; quem Deus non solùm læto fine beavit, sed sacris muneribus auxit, allato illis diebus Alexandria, per *Bonum* Matamaucensem, & Rusticum Torcellanum, D. Marci Evangelistæ corpore, quem pro suo Numine Tutelari Respublica excepit venerabunda. In tantæ ga-

zæ naufragium cum ventis, procellisque conspirassent Erynnes: Evangelista volens Venetis perpetuum præludere Maris Imperium; componi fluctus, suosque cruciatus repetere Regem jussit Infernorum. Iam enim Christianæ Fidei Sedes & Turris constituta Venetorum Republica; ad eam Cancellarium miserat unum ex quatuor Evangelistis, qui legem promulgant, custodiuntque Evangelicam ante thronum Dei. Marco itaque non ampliùs hospiti, sed contubernali suo jam facto novum Templum designavit, quod felici omine dictum *Capella Ducis*, ut in ea Princeps cum Evangelista arcana Religionis & Imperii consuleret. Hinc & in eam introspicere per fenestram soli Principi datum: partitoque onere inter Principem & Evangelistam, excubaret iste manu tenens Evangelium: Princeps verò sub clavibus Evangelistam Ære tandem Principis absoluta structura Templi, nè in eo aliquid alienum paterentur Principes, ac soli dicerentur Domini, & Patroni. D. etiam Zachariæ & Hilarii fana restituit, amplissimaque prædiorum accessione ditavit; à quibus in consortium vocatus, nondum completo Biennio, breve quamvis felix quia terreum despiciens Principatum, in sepulchrum abiit patrum suorum, in æde positum D. Hilarii.

Sabellicus, Sansovinus, Petrus Iustinianus, Marcellus, Chronicon Danduli, Io: Baptista Contarenus.



IOAN.

IOANNES PARTICIPATIVS
DVX XI.

Electus Anno 829. obiit Anno 837.

LEMMA PRISCVM.

Sub me, Sancti Marci Ecclesia conditur.
Ibique Corpus deponitur: Primicerius ordinatur.
S. Iuliani Ecclesia erigitur: tandem Clericus diem clausi.



PArticipatiæ dignitatis non minùs hæres, quàm Religionis Ioannes accepto diademate, curas omnes impendit circa D. Marci delubrum Ducario propinquum, ut Salomonis exemplo, diu, nocuque introspicerent Principes, & ex eo arcana Regni deducerent. Eò translatum Evangelistæ Corpus soli Deo patet; ne hominum audaciæ exponeret Fata Vrbis. Mystas addidit, qui Deo canerent, dum ipse legibus Rempublicam procuraret. A Templo postea, quasi consulto Numine, ad bella egreditur. In Caristam Insulam post Pipini cladem se receperat Obelerius imperii

 cupidus,

cupidus, & dignitatis amissæ; Ei faventibus Mathamaucenis, quos Ioannes immissa classe delevit. Inde in scelerum auctorem conversus vicit, supplicio sustulit, Matamauci truncum pro rostris exposuit ad terrorem. In Narentanos pyratica infestantes Maria, etiam vela tulit, coegitque Pacem petere & Religionem, quas lubens dedit ex Marco Evangelista suo: eorumque Legatum Sacrò levans ex Fonte, Ioannem dixit, nomine communicato, & Evangelio, quod usque in eam diem Illyrici ignorabant. Vnus cum superesset hostis occultus quia perfidus, Carolus vel *Carossius* Tribunus Bonosi filius: ut hujus invidiam declinaret Ioannes, in Galliam fugiit; & sedem quasi vacantem Carossius conscendit. Verùm quia malè parta, pessimè dilabuntur; auctore Basilio Trasimundo, Ioanne Marturio, Dominico Orcianico: trucidatis Populus conspirationis sociis, Carossium excæcavit, ejecit: fascibus in manu Vrsi Episcopi Olivolensis Principis filii, Basilii Trasimundi, & Ioannis Marturii, sanctè depositis: quousque ex Galliis rediret Ioannes: quos raro exemplo, venienti restituerunt. At is vel laboribus fractus, vel Senio confectus dum simultates dissimulat cum *Mastalitia* gente (nunc Baseia) inter Venetos nobilissima, in Ecclesia captus S. Petri, abraso capite, Sacris initiatus detruditur in Monasterium, Gradique Clericus vitam posuit.

Lege Sabellicum, Sansovinum, Ioannem Baptistam Contarenum, Petrum Marcellum, Petrum Iustin.



PETRVS TRADONICVS
DVX XII.

Electus Anno 837. Obiit Anno 866.

INSCRIPTIO ANTIQVA.

In Dalmatas & Saracenos Mare Superum infestantes classem instruxi. Apud ædem S. Zachariæ interremptus occubui.



XII



IOanne mortuo Participatio Petrus subrogatur Tradonicus reluctans & invitus, qui Pola oriundus, ex Æquilio pulsus Gallico tumultu suo cruore conspersus victor venerat Rivum Altum. Vndique in eum illicò confluxere barbari, Narentani, Mauri, Saraceni, in quos movit sed Marte infelici: Classem tamen instaurat Duce Ioanne filio suo, quem Collegam adsciverat, ut irruenti Fortunæ fortiorem clypeum objiceret: qui sanè fæliciori pugnavit auspicio. In accolas Benaci Lacus pro Veronensibus tertia expeditio in spetiem potius triumphi, quàm certaminis. Pacem namque sanguine scripsit hostili, & Belli faces, ubi exarserant, demersit. In Sarace-

Saracenos quarta expeditio, qui Græcas Insulas rapinis vastabant. Michael Imperator suis difisus viribus, Venetos imploravit. Adfuere isti sexaginta triremibus, & juxta Crotonem inito certamine, post varium congressum apud fæderatos Victoria stetisset, ni Græci ad primum ferè pugnæ signum turpiter effugissent. Hinc Maurorum rabies in Venetos conversa, qui pugnæ intenti, alterius cornu fugam non prius respexerant, quàm undique à Barbaris circumventi, animo & virtute pares ad extremum hostium numero, & suomet labori impares lassas non victas Saraceno dedere manus. Hinc lacera classe Princeps rediens in patriam, ut Superos placaret, Templum posuit Paulo Doctori Gentium: Benedictum III. Christi Vicarium ea Venetiis veneratione excepit, qua decet pro Deum. Agneti iste Maurocænæ in D. Zachariæ fano, Vestalium Antistiti sacros cineres donavit SS. Sabinæ, & Pancratii, libertatis pignora, & custodes Reipublicæ. Ad quorum venerationem cum descendisset Princeps, interceptus à conjuratis Stephano Candiano, Vrso Grugnario, eorumque affinibus, unde tricesimo sui Principatus Anno, cæde tollitur miserabili, quam sibi paraverat dissidia fovens Barbolanorum, Selvorum, Iscolarum adversus Polanos, Iustinianos, Baseios, quorum plures misit in exilium, ex judice vindex factus & penè carnifex. Populus tamen Summi Magistratus cruore conspersus Triumviros (*Advocatores Communis* nunc appellamus) creavit, ut in Parricidas inquirerent; quorum alii in Græciam, alii in Galliam deportati. Vrsus Grugnarius unus ex coniuratis, dæmone vexatus cruciatu periit horribili, ut manifestam faceret Tradonici cædem non solùm hominibus, sed & superis displicuisse, sibique illatam iniuriam vindicasse. *Per me enim* (Sapientia inquit Æterna) *Principes imperant, & potentes iustitiam decernunt.*

Lege Sansovinum, Sabellicum, Petrum Iustinianum, Petrum Marcellum, Io: Bapt. Contarenum.

In hoc Principe familia etiam petiit Tradonica. *Chron. M. S.*

VRSVS

VRSVS PARTICIPATIVS
DUX XIII.

Electus Anno 864. obiit Ann. 881.

VETVS ELOGIVM.

Furentes Dalmatas compeſcui: Saracenoſque Italiam vaſtantes apud Tarentum feliciter profligavi.

XIII



TRiumvirali judicio pacata Reſpublica Vrſum Participatium Ducem aſsumit. Illata ab Saracenis clade ſegniter uſi Narentini toto diſcurrebant palantes Adriaco, ut in Lacunis quaſi natantes piſces jacerent Veneti, gravi Populi ejulatu, cujus querelis accenſus Princeps triginta Longarum navium inſtructa Claſse, movet in latrones. Hi ſolo nomine territi pacem ſupplices per Legatos exorant, obtinentque ea lege, ut damna illata ex æquo, & bono rependant. Aucta poſtea valida triremium apparatu Claſse, in Saracenos Vrbi & ipſos ex vicinia incubantes progreſsus, circa Gradum acceſsu turba præpropero, ſolaque tuba fugat, fugientem non procul à Tarento profligat. Rei fæliciter geſtæ teſtis Populus,

lus, qui Principi cum manubiis revertenti Ioannem filium Victoriæ socium consortem dedit Imperii. Ita Vrsus perduellium ruina, triumphis auctus, Imperio composito, cum Carolo Crasso Occidentis Imperatore fædere confirmato; Dosiduri Insula Vrbi adiecta, & Mappalibus piscatoriis ad inhabitandum instructa, primus ipse civili structura ædificia erigens, in quibus Vernas locavit pedisequos, & prætextatos, Spina Lunga (nunc Iudaica) Barbolanis, Selvis, Iscolis ab exilio redeuntibus in domicilium permissa: Campanarum usu, & dono Græcis edoctis, quas antea nescierant, ut Basilio Imperatori gratus rependeret; à quo dictus Protospatharius; Anno initi Principatus decimo septimo obiit, funus procurante Ioanna ejus filia Abbatissa in Cœnobio S. Zachariæ. Præficas, egerunt sex alii filii, Ioannes & Vrsus Venetiarum futuri Principes, Petrus & Baduarius cum Victorio Patriarcha Gradensi, & Felicita coniuge Ioannis Ducis Bononiensis.

Lege Sabellicum, Sansovinum, Petrum Iustinian. Petrum Marcellum, Io: Baptistam Contarenum. Chron. M. S.



IOAN-

IOANNES PARTICIPATIVS
DUX XIV.

Electus Anno 881. reliquit 887. Reasumpsit Anno 888.

INSCRIPTIO PRISCA.

Comaclensem urbem Senatui Veneto infensam victricibus armis nostris subegi.



VRso defuncto Participatio, Ioannes ejus filius & Collega solus Rempublicam àdministravit. Æmulus paternæ gloriæ Baduarium fratrem ad Ioannem Pontificem Oratorem misit; ut eo auctore Comaclum finibus circumscriptum Venetiæ Antiquæ, Reipublicæ cederet. Consilia hæc subodoratus Marinus Comacli Comes vulneribus, vinculis Venetum Romam proficiscentem accersit, ab itinere retrahit, extorto cessionis juramento. Hinc patriæ restitutus Baduarius vulnere, & mærore contabuit. Ioannes verò cædem ulturus fraternam, in hostiles inferens arma lares,

post

post longam obsidionem, evertit, Ravennatisque agri incendio, Cædis auctores quæsivit, sæviit, donec desiderati qui cæderentur. Nec adhuc satis patentatum credas, Comaclum incendio sustulit, ut ampliùs Comaclum non invenias. Deposuit postea venerans Altaria ferrum, fanum extruxit SS. Cornelio, & Cypriano Sacrum in Medoacensi littore, manus forsan ut expurgaret cruentas, quod Mare inundante, Murianum translatum, cum suo Tutelari. Adversa postea cum cœpisset valetudine tentari, jussu Populi, Petrum & Vrsum germanos fratres Veneti Cœli designavit Atlantes, parænesi sanctè præmissa, Rempublicam minimè eis commendari in hæreditatem, sed in tutelam à publico Orbis Rege, qui Venetos natura regit, dum homo Dei gratia gubernat, & supplet regnando, Deum, ProRex Dei, Tonanti similis non tamen æqualis. Qui licet conflare valeat ex pulvere Reges, nullum tamen æqualem facit, nec facere valet. Mementote fratres, Venetorum Ducibus alium superesse Regem qui lentè quidem, sed secure vindicat Genus Humanum. Hic dictis, tam Cœlo placuit reverentia Ducis, quod Letho vicinus sua funera vicit, & Mors tèrrita fugerit; Petro tamen Ducis fratre & Collega ætatis suæ Annorum viginti quinque, immaturè sublato, cui Vrsum alterum subrogavit fratrem; cum quo tandem, novo tentatus morbo, ut fluctuantis Populi invidiam declinaret, sponte secessit, & Ducatus insignia liberè tradidit successori, Petro Candiano; cujus ob cædem throno iterum vacante, Respublica timore concussa, fasces denuo ei misit precarias, veluti in Lorarium à Patre Patriæ custodiendas: donec excusso pavore, sedato tumultu, ad otia se restituit privatus, postquàm successori suis manibus, Cornu imposuisset Regale.

SECVNDA EPIGRAPHES EI POSITA.

Consensu Patrum, Populique iterum Dux electus, Mensibus sex, diebus tredecim peractis, invalescente morbo, Ducatu denuò me abdicavi.

Sabellicus, Petrus Iustinian. Io: Bapt. Contar. Sabellicus.

PETRVS CANDIANVS VEL SANVTVS DVX XV.

Electus Anno 887. cecidit mense quinto eiusdem Anni.

LEMMA PRISCVM.

Dum adversus Narentanos, manus fortiter consererem, inter micantia arma, pro Patria viriliter cecidi.



DVx Ducem creat, Candianum Participatius omine semper infausto Regni bicipitis: & solito iusta canere ante sepulchrum. Narentini hostes Reipublicæ anniversarii cum ex Illyrico Caprulas usque prædabundi advolassent; Candianus ut à rapinis eos dimoveret, longis aliquot rostratis insectatus, juxta Miculum Dalmatiæ promontorium offendit, suoque exemplo in prædones impressione facta, profligaverat; cum ad hostium castra Fortuna transfuga

fuga nascentem freto tumulavit Victoriam: dum enim Candianus nimis avidus in consertissimos se se hostes protrudit, ictu sagittæ perimitur. Hoc casu consternata classis sine Duce, sine rectore in manus tota concedit rapaces. Extincti Candiani cadaver ab Histris subtractum paulò post Gradum relatum ibidem humum subiit.

Sansovinus, Sabellicus, Petrus Iustin. Io: Bapt. Contarenus.



DOMI-

DOMINICVS TRONVS, VEL TRIBVNVS DVX XVI.

Enetorum Princeps, adeſt Dominicus *Tronus*, vel *Tribunus*: cujus nulla memoria in Ducali Palatio, vel in Hiſtoria; ſed ſolùm in Inſtrumento Clodienſi producto, Anno 1293. contra Petrum Gradonicum Venetum Ducem regalia poſcentem à Clodienſibus, qui ad ſuæ urbis immunitatem, chartam exhibuère ſequentem, teſte Sanſovino. *In nomine Dei & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti &c. Rivoalti. Cartam ſecuritatis facimus nos omnes &c. de cunctis placito & altercatione, & à tempore Domini Dominici Tribuno Ducis & Senioris noſtri, nos omnes Clugienſes de Clugia Maiore & Minore, & totius Venetienſibus &c.* In fine verò ejuſdem inſtrumenti ſubſcriptiones leguntur ſequentes.

Ego Dominicus Tribuno Gratia Dei Dux confirmo.
Ego Petrus Forentio iudex manu mea ſcripſi.
Ego Petrus Tribunus filius Ducis manu mea.
Ego Ioannes Tribuno filius Dominici Ducis.

Supplenda itaque Ducum hiſtoria, adiecto Dominico Tribuno circa Annum 887. Huic Principi (teſte *Sanſovino*) tres fuere filii; Petrus, quem collegam habuit in Principatu: Ioannes, & Dominicus Patriarcha Gradenſis: ſed teſte Ferdin. Vghello *tom.* 5.

Italiæ Sacræ pag. 1185. *Dominicus Tribunus Petri Ducis Venetiarum xvi. filius, consentiente Clero, post Vitalis obitum in Patriarcham assumptus est. Anno 906. præfuit Annis 7, M.* 11. *diebus* 3. ex quo habes Dominicum Tribunum Patriarcham Gradensem filium fuisse Petri Tribuni Venetorum Principis, non Dominici; sed Dominici nepos.



PETRVS TRONVS, VEL TRIBUNUS DUX XVII.

Electus Anno 888. Obiit Anno 912.

INSCRIPTIO PRISCA.

Ab ingentibus undique bellis Patriam ingenti claſſe tutatus ſum.





PEtrus Dominici Principis Tribuni filius more vetuſto ſedem occupat paternam; quum Gens Scythica ſuis denuò excita ſedibus, Berengario in faucibus Italiæ devicto, fulminis inſtar per Lombardiam in noſtram provinciam erupiſset, fama Venetarum opum illecta. Hoc rerum curſu, direptis nobilioribus oppidis, combuſta Clodia, in unam Rivoalti expugnationem intenti, ratibus undequaque paratis ſe inſtruunt. Tribunus pe-

ctore armatus Civium, mænibus etiam cingere voluit latera Vrbis, ducto muro à Castelli rivulo ad ædem Virginis Iubanicam, catena ferrea ab ipso muro ad Georgii fanum protensa. Ingenti postea audacia, Gallicæ cladis recordatione erecti, animosi exiliunt præsente Tribuno Principe, adversùs immanissimum hostem, qui circa Albiolam consederat. Missilibus primùm inito certamine, Barbari jaculatores prælio assueti terrestri, in lintribus fluctuare cęperunt. Veneti locorum gnari, navibus firmi veluti stataria pugna, certantes: hostem facile sternere, fundere, iniectisque harpagonibus fugitivos sistere potuerunt: unde Barbari universi gladio vel aqua perierint. Horum spoliis Respublica vulnera superioribus recepta bellis lenivit, hocque Duce quievit. Regnavit iste quatuor lustris, domi justitia clarus, foris terribilis, & post Scythas devictos, quò altiùs ascenderet, non haberet. Solus enim irruentes Hunnorum phalanges propulsaverat; cum vicini omnes sub gladio corruissent hostili: totaque Italia & Lombardia incendio conflagrasset. Morientem Luxit Populus: nec sine miraculo, quòd eum longævi non pęniteret Principatus. Cadaver Fanum D. Zachariæ excepit, nobili Ducum Sepulchro.

Lege Sansovinum, Sabellicum, Petrum Iustinianum, Petrum Marcellum, Io: Bapt. Contarenum.

Nec Lectorem fugiat, quod scribit Sansovinus *Troni* & *Tribuni* cognomina confundi Gentilitia. Ne videamur palpare viventes, cum *Tronum* hic diximus vel *Tribunum*.



VR-

VRSVS PARTICIPATIUS
DUX XVIII.

Electus Anno 912. obiit Ann. 932.

INSCRIPTIO ANTIQVA.

Quoad decuit, Iustitiam, & pacem colui: tandem concepto voto, in Monasterio S. Felicis, diem clausi.





VRſum ſed innocuum & manſuetum Gens exhibet Baduaria. Vngues exerit ſed in ſeipſum, quia Sceptrum non reſpuerit. Sapiens, Religioſus, Iuſtus, Pius cauſam nunquàm procuravit familiæ, quam Reipublicæ dicebat oppignoratam ære, ſanguine, fide. Vnicus ei filius Byzantium miſsus, & à Græco Imperatore dictus Protoſpatarius, in reditu, crudelis Reguli in Illyrico mancipium factus genitorem excitare non valuit ad vindictam; quam pater exigere ferro potens, neglexit; & ne ſanguinem funderet, per legatum Dominicum Matamauci Archidiaconum, auro redemit. Poſt hanc legationem Dominicus ex Archidiaco-

no, Episcopus dictus, fructu officii honestè præstiti volentibus & valentibus benefacere. Pacis avidus in Clodiam vix arma tulit, etiam retraxit: ut nescias citiùs ierit, vel redierit solius timore justitiæ, auditis legibus quas à Majoribus pactas protulère Clodienses. Aureum verè sæculum, in quo pro Sapientia non pro libidine, administrantur Regna; ipsique Reges profitentur non consistere sine Iustitia. Cudendi æris à Priscis traditam facultatem, in Argentum ampliavit Libertatis jure, qua ab initio nata, non facta Respublica. Cœlestis cupidus Regni, projectis phaleris, quas invitus induerat, Monachorum in claustra receptus, D. Felicis asseterio nomen dedit, ut ibi psalmodia & jejunio securior Orbes, quàm Orbem ferro revolveret. Si quæris cineres? Altini quiescunt. Si animam? Hæc ad Superos evolavit.

Lege Sansovinum, Sabellicum, Petrum Iustinianum, Petrum Marcellum, Io: Bapt. Contarenum.

Sub hoc Principe (teste *Io: Bapt. Contareno Histor. lib. 3. pag. 25.*) cępit Veneta Respublica monetam cudere *Argenteam*: cum antea percussisset solumodò *æneam*.



PE

PETRVS CANDIANVS VEL SANVTVS DVX XIX.

Electus Anno 932. obiit Anno 939.

EPIGRAPHES.


Comaclum expugnavi: Iustinopolim censuariam reddidi.



PEtrus Candianus Petri Principes à Dalmatis cæsi filius (nepotibus etiam nomen hæreditarium) puellas cum vidiſset, quæ ad Connubia auro gemmiſque divites in Templo convenerant ab Hiſtris raptas ad libidinem traduci; è veſtigio inſequutus prædones, qui in Caprulanis paludibus furtum dividebant, inopinantes aggreſſus, repetita præda ad internecionem confecit. Iuſtinopolim temeratæ Iuſtitiæ, piratarumque ſedem expugnat: Lanterium ſuperbum Marchionem Iſtriæ domat: Pacem roganti (Marino in-

tercedente Patriarcha Gradensi) ea conditione largitur, ut qui Veneres asportaverant, Bacchum centum doliis captivum Venetias quotannis inferrent. Victoriæ memoriam Ludi annui servarunt Mariarum nuncupati: duodecim scilicet Virgines apparatu solemni, frequentissima urbis parte circumvehebantur; more retento usque ad Genuensis belli tempora: tunc enim Clodiam tenente Ligure: civitate curis occupata majoribus, ludus evanuit. Grates tamen Virgini Deiparæ acturus Princeps annuatim in templum descendit S. Mariæ Formosæ. Ab Istris postea ad Comaclenses vela convertit, Vrbemque victam igne voluit expiari, asportatis priùs SS. Saturnini & Nicodemi exuviis, quas in Virginis Formosæ templo locavit. Hostibus septennio domitis placuit quiescere; ut mortuus tempori, æternitati resurgeret.

Lege Sabellicum, Sansovinum, Petrum Iustinian. Petrum Marcellum, Io: Baptistam Contarenum.



PETRVS

PETRVS PARTICIPATIVS, VEL BADVARIVS DUX XX.

Electus Anno 939. obiit 942.

PRÆCONIVM EI SCRIPTVM.

Multa Berengarius mihi privilegia fecit
Atque Monetam cudere posse dedit.



FOrtis adest Princeps, armatus, victor, læsus, lætus ne patriam bellis involveret, vindictam, quàm à Dalmatiæ Regulo exigere jure poterat, neglexit: tutiùs ducens Regnum calamo, quàm ferro tueri: & astu quàm hasta servare. Ex Illirica captivitate reversus, in patria libera coronam facilè invenit; quod in servitute didicisset libero Populo dominari. Publico præcinctus gladio vim sibi præteriit illatam: nè ad vindictam Iustitià videretur abuti, & priva-

privato illatam, in Rempublicam redundaret. Vltio cum ſit doloris confeſsio: nec magnus animus quem curvat iniuria: privatus quievit, Princeps indulſit. Suis primum à rebus ſecedens, ut civibus otia pararet, nec ſomno vacabat, nec ſuccumbebat, ut monita conſcriberet ſalutaria: quibus cum Regibus præcipuè Longobardorum pacem coleret, & cum Græcis fædera inſtauraret, mercimonia augeret. Biennio præfuit ſedendo, dum alii pugnando. Ejus Imperium ſine ferro, ſine maleo expolitum transmiſit ad poſteros in oſculo pacis. Obiit ut vixit, ſine jurgio, ſine querela: inter Beatorum agmina ſecedens, ad D. Zachariæ fanum relictis exuviis, ſub ramis Olivarum.

Lege *Sabellicum*, *Petrum Iuſtinianum*, *Petrum Marcellum*, *Sanſovinum*. Inter fœdera cum Berengario Rege Longobardorum percuſsa, Ius illud fuit Regale naſcenti coevum Reipublicæ, ſignandi monetam propriam: cujus uſus (teſte *Caſsiodoro lib.... ep.24.*) in Rivo Alto Sede erecta Ducali, connaturales fuit Venetæ Reipublicæ: *Monetam illic quodammodo percutitur victualis*: ipſo ſubſcribente Rudolpho I. Imperatore (teſte Dandulo *in Annalibus*, & Sanſovino *pag.486.lib. 11.*) Ducem Venetum *poteſtatem habere faciendi Monetam, quia eidem Imperatori conſtabat, antiquos Duces hoc continuatis temporibus perfeciſse.*



FE-

PETRVS CANDIANVS III.

DUX XXI.

Electus Anno 942. Obiit Anno 959.

MEMORIA ANTIQVA.

Sub me Reliquiæ S. Io: Bragoræ Eccleſiæ deportantur.
Obiit paulò poſt ſubſtitutum filium.





PEtrus Candianus tertius, qui Patri in Collegam datus laſcivente juventa Imperium amiſit, ætate moribuſque maturior redemit poſt obitum Baduarii. Ante Imperium ignavus, crudus, moleſtus, poſt imperium gnavus, clemens, modeſtus laſciviam exuit, cum purpuram induit. Ferocia in piratas converſa, Narentinos ſæpè domitos, nunquàm fractos, prælio frequenti delevit penitùs. Pacem ab eis petitam diſtulit, donec toto Mari collectas prædas reſtituerent. Bello liber externo, inteſtino obnoxius, ſemper infœlix ſive vincat, ſive vincatur, adversùs filium, gladium exacuit, parricidam. O Imperii cœca libido; propter quam Pater, Patria, Deus cubare nequeunt ſine cuſtodibus. Ad-

fuere

fuere Principi in ſuppetias, Aquarum inundatione Mare, hiatu Terra, fulmine Cœlum; contra omnes Parricida, armatas dirigit acies adversùs genitorem in templo clauſum; minimè contentus homines vincere, niſi Deum propria in domo laceſseret. Excitatus tunc furor Populi, impium propulſavit filium, reſteque ſuffocaſset; niſi pius pater pro ſuo parricida interceſsiſset. Hinc pax ſed bello crudelior. Genitori namque ingratus & patriæ, ad latrones confugiens, ducem eis ſe præbuit proſcriptus, ut terra marique rapinam agerent. Decreverat Pater Optimus, in quo ſemper Reſpublica familiæ prævaluit, patriæ libertati filium immolare. Sed mærore conſumptus dum in expeditione eſset, Anno Principatus undecimo vel xvii. cecidit, de Republica magis, quàm filio ſollicitus: Clero anathematizante & Populo eos, qui Parricidæ proponeret Indulgentiam.

Lege Sabellicum, Sanſovinum, Ioannem Baptiſtam Contarenum, Petrum Marcellum, Petrum Iuſtin.



PETRVS CANDIANVS
VEL
SANVTVS
DUX XXII.

Electus Anno 952. obiit Anno 971.

EPIGRAPHES PRISCA.

A populo ſpretus, Dux eligor, occidor ferro.





Tat contra rationem, defenſor mali ſui, Populus. Favore mobilis, & inconſtans quem damnavit, laudat: & priuſquàm Sol occidat, & Luna recurrat; iiſdem in comitiis, eadem probat, & reprehendit: quem morti adjudicavit, Prætorem ponit, Principem eligit, Candianum illum; qui imperium Patris arripere malens, quàm expectare, & ſibi uni per nefas aſſerere, quàm per leges habere cum genitore commune; turbas aluit, ſeditioſos centuriavit; propterea ſpe patriæ recuperandæ præciſa, jure & jurejurando proſcriptus,

ſcriptus, cum piratis Rempublicam laceſsivit; nunc populari levitate, more triumphali, miſsa claſse revocatus in patriam, fortuna ſuffragante, repugnante virtute, inter feſtivos furentium plauſus thronum ſcandit; quem verè divitiis auxit, titulis, & honoribus. Sub eo namque Gradenſis Antiſtes. Patriarcha dictus in Romano Concilio, Primas præfuit Venetis & Iſtris. Ad repetendum Chriſti Salvatoris ſepulchrum, claſsicum canente Io: XII. R. P. renovato cum Imperatoribus fœdere, hoſtibus vetuit infidis, pretio vendi arma, alimenta, rates, ſub pęna librarum auri centum: & cui æs deficeret, in corpore lueret. Sancta hæc cæcus prophanavit Amor. Violato thoro, in thronum inducit adulteram, legitimà cum prole, Ioannà relegatà coniuge, Vvaldertam Oberti Principis Hetruriæ filiam. Addit aliud pro dote ſcelus, ex Gynecæo in forum, à foro in confinia, flagitia transfert, quæſità juris ſpetie, quo libidinem obumbraret Imperii. Senatu itaque inconſulto, Opitergium nobilem urbem, caſtra ducit, prædia poſcens ex dote debita, confictiſque criminibus, arcem capit, aciem fundit, primates perdit. Scelerum inde torquente conſcientia, ut à populo ſibi caveret irato, Regiam inſtruit in arcem, præſidio munit timore Nemeſis, quam prævidit, ſed non vitavit. Venetus namque Populus memor libertatis avitæ, ex paranympho carnifex, poſtquàm Vitam porrexiſset Tyranno, vitam repetiturus flama, & ferro, ad valvas uſque Ducales irrumpens, quamvis repulſus, alti furoris arma, faces & ignem in atrium immittit. D. Marci Templum flamma correptum concidit. Candianus Aris, ad quas confugerat, incendio pulſus, in Plebis ferrum mactandus incidit cum filio parvulo, quem ſinu ſtrinxerat, & deprecabatur inſonti. At ſpretis precibus, utrique fauces eliſæ, & cadavera in macellum abiecta; ne quis ad imitandam tyrannidem ſupereſset. Ioanne tamen Gradonico rogante, tam fœdum ſpectaculum ſubtractum, & in æde D. Hilarii honorificè ſepultum.

Lege Petrum Iuſtinianum, Sabellicum, Io: Baptiſtam Contarenum, Sanſovinum. M. S. Danduli.

P E

PETRUS VRSEOLUS
DUX XXIII.

Creatus Anno 976. Obiit Anno 977.

VETUS INSCRIPTIO.

Ecclesiam S. Marci prius ædificavi: deinde Monachus factus miracula plurima egi.



PEr rogum ad regnum aſcendit Vrſeolus. Igne ad ſolius Candiani Ducis perniciem immiſso, cum Ducarium, Vrbis Templa, tercentæque privatorum domus conflagraſsent: Ducarium, Templum ſuo ſumptu magnificentiùs reſtituit; jure, vel iniuria corruptum? incertum. E Cęlo forſan demiſsæ faces, quæ tyrannide Vrbem purgarent. Invitus ad ſedem rapitur, fluctum timens popularem, in quo rarus Innocentiæ locus. Religione tamen colligavit, juramento exacto, quod omnes ſolummodo Rempublicam procurarent. Afflictæ urbi Princeps datus patrem geſsit, ex cinere adhuc fumante ædes excitans marmoreas, & Templum Aureum; cum quo & ſæculum reformavit moribus aureis, ſub-

ditis

ditis ad Iustitiam, & Pietatem compositis. Pietati arma coniuncta. Cum enim funesto Sarracenorum agmine, post subactam Capuam, ferro & fame Barium præmeretur in Apulia, instructis Vrseolus navibus, Annonà recreavit, debellataque Barbarorum classe, Saracenos toto Mari fugavit: qui ab eo tempore oras Italicas appetere formidarunt. Victor rediens, fasces, quos semper fastidierat, cum Annum sustinuisset, abiecit; aula, uxore, filio relictis. Concubiis umbris connubia deseruit, stellarum facem præferente eo, cujus amore diadema spernebat. Priusquàm discederet, Clerum, Monachos, Pauperes, redditibus, donariis, Nosocomio fovit, auxit. Vitalem Candianum in patriam Gallos sollicitantem, Angelo revelante, detexit, patienterque sustinuit. Regia excedens Ioannem Gradonicum, & Ioannem Maurocænum cum D. Romualdo, & Guarino consilii conscios habuit & socios, cum quibus in Aquitaniam abiit ad tyrocinium obedientiæ. Tria ibi professus, Silentium, Psalterium, Ieiunium, Rempublicam spectavit, curavit etiam à longè. Ejus discessu mæstus adhuc quærit, sed frustra populus, ni forsan inveniat inter Beatos. Ex alto namque nostras audire, & exaudire preces, testantur Miracula.

Sabellicus, Sansovinus, Petrus Iustin. Petrus Marcellus, Io: Baptista Contarenus.



VITALIS CANDIANVS

DUX XXIV.

Electus Anno 977. obiit Anno 979.

PRÆCONIVM VETVSTVM.

Cives discordes sedo: Morior Monachatus.





Itali Candiano Candiani III. filio vitam dedit salum, rogum insani patris sanos mores: solium Deus. Populi consensu Dux electus vota populi, & vota Dei implevit abundè, justitià, & abundantià pacis. Hinc patruo interprete Vitali Candiano Gradensi Antistite, Othonem III. Imperatorem patriæ reconciliavit: Cives ad concordiam, absquè murmure, blandè, leniterque coegit: iis ipsis placens, quos aliquando damnavit. Morbo petitus repentino, Anno regiminis secundo, plenus meritis, non Annis thronum reliquit, ut vitam ageret solitariam, & inter mortuos vivens disceret, benè mori. Cupiens porrò securè enatare, gazæ suæ sarcinas proiecit in

D paupe-

pauperes, vix lectulum servans, in quo mori posset. Claustra ingressus D. Hilarii, Angelos testes habuit suæ pœnitentiæ. Obiit adstante Principe successore suo Tribuno Memo, qui ad famam Sanctitatis accurrens, spiritum imbuere desiderabat exeuntem, quo suum moderaretur Principatum. In Cœlos cum bona præmisisset, & seipsum; idcirco expeditior pervenit; die scilicet Monachatus septimo, Christi verbis prolatis. *Pater in manus tuas comendo spiritum meum.* Exeuntem Confessorum turma circumdedit cum hymnis & canticis, eà pompà, quà Angeli occurrere solent hominibus pœnitentibus.

Sabellicus, Sansovinus, Petrus Iustin. Petrus Marcellus, Io: Baptista Contarenus.



TRI-

TRIBVNVS MEMVS

DUX XXV.

Electus Anno 979. obiit Anno 991.

SCHEMA VETVS.

Regis ab insidiis defendens Imperialis
Othonis patriam, pondera multa tuli.





Optimus ecce civis, sed minor Principe: non enim satis optimo Principi sancti mores. Auro dives (quod ad lasciviem, non ad Regnum) Animam potiùs hominis subiit: quàm Principis: cujus Spiritus, aureus exigitur in corpore ferreo. Satis homini, non satis Principi unica virtus: vel inter reliquas Iustitia una pro cunctis. Sine justitiâ nequit Princeps agere Pro-Regem Dei: cum sine eâ Deus ipse minimè in Cœlo consistat. Hæc sola Regem disgregat à tyranno. Munera respuit, personas non respicit: æquo pu sat pede pauperum tabernas, Regumque turres. Felicissimus Princeps futurus Memus, nisi inno-

cens aſsumpſiſset aliena delicta, & pacto amicitiæ, vel vinculo
corruptus affinitatis, in partes deſcendiſset eorum, quorum erat
Iudex conſtitutus. Maurocæna & Caloprina accuſatus foviſse
diſsidia (quorum claſsicum, & cædes promiſcuæ uſque in aulam
inſonuère Othonis Imperatoris) ut reus languet, forſan innocens,
quia indefenſus. Sed hæc venia datur Antiquitati, fabulis miſcere
hiſtoriam ſinè piaculo. Vrbis potiundæ avidus Imperator, ad eum
confugientibus Caloprinis occurrit, accurrit, erexit, Rei benè ge-
rendæ occaſionem nactus, cępit immiſsà fame præludere, bello
certaturus aperto; ni maligna conſilia, Cæſaris obitùs intercæpiſ-
ſet repentinus: & intercedente Adheleide Imperatrice (cujus in
aulà Vvaldrada degebat olim Principis Candiani coniux) Reſpu-
blica facinoroſis Caloprinis veniam dediſset. Ab hoc Principe Io-
annes Maurocænus ex Aquitanià redux Inſulam, quam D. Geor-
gius inſederat, dono accepit, ut D Benedicti cænobiarchis aſyl-
lum eſset & domicilium; quò Memus ipſe diademate poſito vel
ſpoliatus ſe recepit, ad frugem meliorem, filii inſtructus exem-
plo, qui vitam æmulabatur Angelicam ſub ſigno Michaelis Ar-
changeli. Ejus exuvias S. Zaccharias excepit in ſinu ſuo.

Lege Sanſovinum, Sabellicum, Petrum Iuſtinianum, Petrum Marcellum, Io: Bapt. Contarenum.



P E-

PETRUS VRSEOLUS II.

DUX XXVI.

Creatus Anno 991. Obiit Anno 1009.

VETVS ELOGIVM.

Subiugo Dalmatiam Communis commoditate: Sponte bona multi colla dedere iugo.



BEllum in Deum, divorumque Imagines gestiente Græco, ita prevaluere Barbari & Piratæ, quod Histria, Dalmatia sedibus quasi, exciperentur avitis. Tantis calamitatibus cum se eximere non valerent Illyrici, ad Venetos confugierunt Græco annuente Cæsare: quorum imperium gerebat Petrus Vrseolus Secundus, cui parens Vrseolus primus Cornu prædixerat, & Cornucopiam. Idea illi Principis Sancti, Imago paterna, à quà pro summo erat, Iustitià non esse degenerem: major tamen evasit fœderibus, atque triumphis. Eo namque vivente, totà namque Grecia Veneti mercatores à teloniis & vectigalibus navigarunt immunes. Italia, Syria, Ægyptus non sine honore, D. Marci suspexere vexilla. Histri ad Venetæ classis

appulsum, Vrseolo fidem jurarunt. Omnium primi, Parentini, inde Polani totâ orâ sequente maritima usque in Dalmatiam: ubi Iaderenses primi legem ultro acceperunt: vulgataque eorum deditione, reliquæ urbes Litoreæ & Mediteraneæ jugum subiere suave. Nulli namque vis illata, vel iniuria. Clementiâ in tutelam suscepti Populi, justitiâ atque religione defensi. Corcyra Nigra sola cum Lesina olim Pharia maluit vim pati, quàm se se tradere. Vrseolus nè ullum perfugium piratis relinqueret; armis uti decrevit in eos, quos pietas non exarmasset. De Corcyra itaque Melæna sumptum supplicium. Phari insula validissimum piratarum asyllum, & præda refertum diutina, eversum, supplicio sumpto eorum, qui deditionem dissuaserant. In Narentinos pro coronide itum: quorum castra, totaque regio diruta, deletumque cum ipsis oppidis pervicacissimæ gentis nomen: rabiem & sævitiem crudelissimi hostis, pari furore mulctando. Domum insolita fęlicitate reversus, novo titulo Dalmatiæ Principis auctus, hospitio excepit Othonem III. Imperatorem: quos ut Sacramenta stringerent: filiam Ducis, eo tempore natam Otho de Sacro fonte levavit, muneraque remisit Imperatoribus ex fędere dari solita. Libertatis porrò securitatem ut Numinibus commendaret: instaurato Grado, corpora SS. Fortunati & Hermagoræ, & cum his Dionysii, Largi, & Hermogenis novo condidit Sacrario. Venetias D Barbaræ reliquias à filio Ioanne (Hic Byzantini Cæsaris neptem duxerat in uxorem) Byzantio traiectas, Tormentorum præsidem in Vrbe constituit: Heracliæ Templum cum ædibus excitavit. Tantis triumphis Atlas iste in senectute pene nutavit, gemino appetitus hoste, Peste & Fame, quasi unum sperneret bellatorem. Hanc Annonâ suo ære collectâ cum saturasset: illi quasi succubuit, quòd ægrotantibus, doloris particeps adesse voluerit, Nuru amissis & filio, uno eodemque funere. Bona sua testamento partitus, Liberis, Pauperibus, Republicâ ex æquo scriptis hæredibus: in atrio D. Zachariæ condi voluit, ne profano, ut aiebat, cinere Sacrum pollueret.

Lege Petrum Iustinianum, Sabellicum, Io: Baptistam Contarenum, Sansovinum.

OTHO

OTHO VRSEOLVS

DUX XXVII.

Electus Anno 1009. Obiit Anno 1026.

VETVS INSCRIPTIO.

Marte gradum redimens, quem vi Patriarcha tenebat Vrbis Aquileiæ demum de ſede repellor.



OTho Vrſeolus bellicoſo patre, juſto avo natus ab uno arma, ab altero leges edoctus, avi Sanctitatem, patris triumphos æquavit. Nondum quartum impleverat ætatis luſtrum, cum Princeps inauguratus, Latus patris Collega ſtipavit. Ejus fama impulſus Geica Rex Pannoniæ filiam illi matrimonio locavit. Nec Venus Martem corrupit, ſed in Hadrienſes accendit, qui in Rempublicam auſi animos tollere, ſpolia coacti deponere & pacem rogare, habuere, ferro, flamma conciſi, ut deinceps lacertos movere non valuerint. Murcimirus etiam Croaciæ Regulus Iadrenſibus infeſtus, cum Othone congredi auſus exutus caſtris & commeatu, vix

fugà intra rupes elapſus, ſupplex pacem obtinuit, quam cum potentioribus colendam ſuo malo didicit. Poſt victoriam Otho luſtravit Hiſtriam, Dalmatiam, novoque fidelitatis juramento exacto aſtrinxit populos. Sed heu quàm citò patriæ fœlicitati invident Fata. Ex Dalmatia reverſum Dominicus Flabanicus iniquà coniuratione incautum opprimit, & juſtitià ſecurum; captumque abrasà barbà, Anno quinto, ex quo ſolus Rempublicam adminiſtrabat, ſecundò in Græciam relegant. Ibi vitæ fabulam perſolvit humanæ.

Lege Sabellicum, Petrum Iuſtinian. Petrum Marcellum, Io: Bapt. Contar.

Sanſovinus in vita hujus Principis Othonem ſcribit bis pulſum in exilium. Primò quando ex Dalmatià reducem, orto cum civibus diſsidio relegarunt cum fratre Patriarcha Gradenſe. Reſtitutus & Pepone Patriarcha devicto Aquileienſi, iterum Byzantium deportatur, occaſione poſtea ſurgentis diſcordiæ inter eum, & Epiſcopum Olivolenſem.



PETRUS CENTRANICUS

DVX XXVIII.

Electus Anno 1026. obiit Anno 1032.

MEMORIA ANTIQVA.

Præceſſore meo privato ſceptra guberno.



IVſtitia Veneto pulſa Cœlo, Othonis exilio, locum pellicibus dederat. In partes diviſa Republica; trahebat ſua quemque voluptas. Horum fortior Petrus Centranicus ad Principatum aſsumptus, vel intruſus, Bello occurrere civili tutiùs ducens, quàm hoſtibus externis, arcem amiſit Gradenſem à Pepone occupatam Patriarcha Aquileienſi, qui ſpecie tutelæ, favente ignavia Centranici, armatus irrepſerat. Hinc irati cives Trabea exutum Ducali, abraſà barbà, quarto Magiſtratus Anno, in carcerem detruſerunt; vel in Clauſtrum; miſsis Byzantium Legatis, qui Othonem revocarent Vrſo interim fratre Gradenſi Antiſtite ſubrogato, qui precariò Rempublicam adminiſtrare, ſed eum invenere.

venere defunctum: Cœlo forsan exigente vindictam; ne ingrata civitas Principem suis, avorumque meritis clarissimum reciperet, quem impunitis parricidis exulem patiebatur otiosa. Morte cognita fratris, Vrsus se administrationi subtraxit, ut ex carminibus ad ejus depictum simulacrum in Ducali prostat palatio.

Othonem fratrem supplet Patriarcha Gradensis
Donec ab exilio defunctum comperit esse.

Et Dominicus Vrseolus Principatum invasit, unaque nocte retinuit; furente pro libertate populo, à quo usque ad sanguinem flagellatus ejectus, Ravennam fugiit, ubi contabuit. Princeps & nihil, humanæ vicissitudinis rotam sola nocte sustinuit: Et inter maximum & minimum unica Luna fuit.

Sabellicus, Petrus Iustin. Sansovinus, Petrus Marcellus, Io: Bapt. Contarenus.

Tot Reges & Principes cum suspicis Clericali tonsura redimitos; pietatem nè credas & Religionem, sed supplicium: Cœnobia namque Antiquis, & Claustra carceres fuere Regales.



D O-

DOMINICVS FLABANICVS

DVX XXIX.

Electus Anno 1032. obiit Anno 1042.

INSCRIPTIO PRISCA.

Sub me salubre decretum: ne quis consortem, seu successorem in Ducatu sibi vivens faciat.





Ominicus Flabanicus ob iniquam in Vrseolos conjurationem, exul & profugus, fluctuantis Populi suffragiis revocatus in Patriam, & in Patrem asumptus, sui Principatus decennio, Reipublicæ plus attulerit, vel abstulerit? incertum. Gemina sub eo Comitia, Prophana, & Sacra: utrisque Principe adstante, favente, vel promovente. In his disciplinà restitutà Ecclesiasticà, & sine superstitione Religione firmatà, suas habuit Cultus leges, quibus ad syllabam & mensuram homo laudes persolveret Deo. In Comitiis Civilibus, postquam Othonis optimi Principis in exilium ejiciendi auctor fuisset: Vrseolæ gentis, quam *Magnam Vrsam* accusabat futuram

turam populo plaudente inſano, qui hujus familiæ veterum meritorum oblitus, alieni odii miniſter, proſcriptioni (nullo reclamante, ſubſcripſit, nec amplius de reſtitutione cogitavit) hoſtis acerrimus, ſcelera uno penſat facinore: quòd Principatus hæredes, conſortes, collegas ſub pœna perduellionis, cum Patre Liberos interdixerit. Libertas (quæ una pro cunctis) laudat extollit, Flabanicum, nec ad colluviem Tyrannorum rejici permittit. Imò poſt Legem latam Mortales deſeruit protinùs; quod opus abſolviſset immortale: ratione inſtituta regnandi, quà omnes regnant, & Libertas cubat ſine cuſtodibus. Ab hac die dicitur redemiſse Deus populum ſuum, vigilem deſcendiſse ad oſtium Libertatis: nec ullum permiſiſse ProRegem Dei, niſi à Deo datum. Anno x. vel xi. Principatus Flabanicus Fato ceſsit, ſepulchro exceptus in templo S. Zachariæ, vel in Cœnobio S. Crucis.

Sabellicus, Petrus Iuſtinianus, Petrus Marcellus, Sanſovinus, Io: Bapt. Contarenus.



D O-

DOMINICVS CONTARENVS

DUX XXX.

Electus Anno 1042. obiit Anno 1068.

EPIGRAPHES PRISCA.

Bello convictam Iadram castigo rebellum.





ANno tertio super quinquagesimum servatæ fidei, Iaderenses abiuratâ Republicâ, ad fraudis imitationem, totum sollicitabant Illyricum. Hinc Dominicus Contarenus Flabanico subrogatus expeditâ classe Iaderam navigans, eo impetu oppugnavit, ut illa muralibus concussa tormentis, fugatisque Pannonis Regis suppetiis, cui se se dederat, nè à fundamentis excisa ignominiæ suæ testis superesset sempiterna, novum præstitit fidei sacramentum. Ejus expugnatione vulgatâ, de cæteris Dalmatiæ oppidis triumphavit. Adversùs Normannos secunda fuit Contareni expeditio, qui Macedoniam maritimam cædibus ac rapinis replebant, torpente

Græco

Græco ſuperbià, & ignavià. Pepum etiam Aquileiæ Præſulem; qui Grado inſederat denuò, ſternere placuit, ſed anathemate immiſso à Romano Pontifice. Inito tandem fœdere cum Henrico III. Imperatore, pacis hoſtiam litavit gemino in templo, quod ipſe excitavit. Alterum D. Nicolao in litore, D. Benedicti vallatum cohorte. In Vrbe alterum D. Michaeli, cujus phalangibus commiſsà Vrbis cuſtodià; ipſe Anno Imperii xxvi. ad Deum abjit, relictis ad D. Nicolai, exuviis.

Sabellicus, Sanſovinus, Petrus Iuſtin. Petrus Marcellus, Io: Baptiſta Contarenus.



DOMINICVS SILVIVS
VEL
SELVVS
DVX XXXI.

Electus Anno 1068. obiit Ann. 1084.

INSCRIPTIO ANTIQVA.

Armatum repuli Guiscardum Marte Robertum
Dyrachii hinc Dominum me vocat Præsul Alexis.



HVmanę vicisſitudinis accipe hiſtoriam, non fabulam ut legas, & lugeas. Contareno Duci cum Nenias canerent, non adhuc abſoluto funere, in eodem Templo ludit populus, Ioquè canit Dominico Silvio. Luctu in citharam verſo, ſubita acclamatione ſalutant Principem. Habuit iſte coniugem Gręci faſtus & ſuperbiæ plenam, Byzantii natam, quæ ad lavandum aqua ſpreta communi, floribus aurantiis, Roſarumque uteretur, ut adeun-

adeuntium ſenſus obrueret. At cum nil immoderatà luxurià brevius: in fętidiſsimam tabem cultus ille declinavit inſolentiſsimus; ut nec aquà, nec alià ope, tabidi corporis ſaniem valeret abſtergere. Ex adverſo pius Princeps Religioni totus intentus, D. Iacobi in Rivoalto primum Vrbis Templum vetuſtate fatiſcens reſtituit. D. Marci ædem, quam lateritiam invenerat, pretioſo fulcivit marmore, ſubſtrato auro Muſivis ornavit; & ad miraculum, totam ibi Cęli molem atomis compegit lapideis. Gemina ei in Normannos expeditio alternante fortunà ſuſceptà: pugnà namque navali Dyrachio pulſus, dum repetità acie hoſtem ferox inſequitur; ferociùs repulſus, parvo navigio fugitivus revertitur, claſse reliquà diſsipata. Belli cladem Princeps ſui exauctoratione perſolvit reus fortunæ, non virtutis. Defunctum tanquam innocuum D. Marcus in gremio Templi ſuſcepit, Imperii Anno XVI.

Petrus Iuſtinianus. Sabellicus. Petrus Marcellus. Sanſovinus. Io: Bapt. Contarenus. Chron. M. S. Danduli.



VITALIS PHALETRVS DE DONIS

DUX XXXII.

Electus Anno 1084. Obiit Anno 1097.

VETVS INSCRIPTIO.

Clare fit occultum Corpus mihi Sancti Marci.





ADversùs Normannos reparatà classe, alteram primà non minorem prope Corcyram, cædem Venetus subjit. Hinc fædere, & affinitate Phaletrus, quod ferro non valuit, Fata subvertere tentans, vel deludere. Orientis, & Occidentis manu valvas occlusit. Illyrici regnum, quod belli jure piratis perditis, majores nostri sibi asseruerant, firmavit ipse duorum Cæsarum decreto, Alexii Constantinopolitani, & Henrici Germani. Venetias iste descenderat in adorationem Marci Evangelistæ, qui in aliam sedem cum dubitaretur migrasse, bracchio ex columna exerto, Rempublicam

E succol-

succollare ostendit in quadro positam Religionis. Hac occasione Phaletri natam de sacro fonte suscipiens, cum eà Rempublicam adoptare professus, egit deinceps magis, amore paterno, quàm majestate Regali. Surrepentibus autem cum Annonæ caritate in Vrbem vitiis, quæ nunquàm sine patrocinio: Censores præposuit nomine *Proprii*, cum gladii facultate; cujus timore ad normam naturæ, Populus honestè viveret; alterum non læderet: suum cuiquè tribueret. Hoc Magistratu reddita est tranquilitas magna; qui & sæculo vigens currenti *Proprii* nomen servat, licet coniugibus & affinibus vigilans, a criminibus ad civilia descenderit: eo tamen inscio; nullus adhuc peccator morti destinatur. Anno XIII. vel XXII. Princeps vitam posuit, tumbà exceptus lapideà, in ostio D. Marci, quum Aer, Tellus, Astra, Pontus insanirent, & solo Contagio se contererent. Vigebat Fames, & solà sterilitate nutriebatur. Cum Elementis insanis gestiebat Populus, mi[illegible] panis operiendo sepulchrum Principis, clamabat: *Satiare mortuu, qui nec pane vivos satiare valuisti.*

Petrus Iustinianus. Sabellicus. Petrus Marcellus. Sansovinus. Io: Bapt. Contarenus. Chron. M. S. Danduli.

EPITAPHIVM.

Moribus insignis, titulis celeberrime dignis,
Cultor honestatis, Dux omnimode probitatis
In commune bonus, semper ad omnia pronus,
Publica conservans meliora boni coacervans,
Dum veterum gesta renovans, plus reddis honestas.
Cunctaque iucunde faciens das semper abunde,
Vt fieret plenus quicunque veniret egenus,
Plus quoque longinquo refovens, quàm carne propinquos.
Vita fuit cuius patriæ tremor hostibus huius,
Reddens tranquillos, hos lingua viribus illos,
Cuius erat scire popülos pro pace subire,
In quocunque fores expendia sive labores,
Decretis legum muniens ....regum,
Vt fieres horum Rex & corrector eorum,
Fama sreper cædros cuius dedit ire Faledros,
Christi natalis peragis dum festa Vitalis,
Duceris ad funus factus dolor omnibus unus,
Obiit V. Fale. DL. De... Domin. Ven.
Dux.... Ann. ..... D.
. . . . . . Indict. IIII.

VITALIS MICHAEL
DUX XXXIII.

Electus Anno 1097. obiit Anno 1100.

PRÆCONIUM VETUSTUM.

Pisanam Classem Sacræ Telluris, ut hostes
Præpositum Caifam Ægypti iure repulsi.




D redimendum Salvatoris Sepulchrum cum Orbem exciret Vrbanus Pontifex. Veneti ne Christo viderentur deesse; CC navium classem sub Ioanne filio Principis Vitalis Michaelis, & Henrico Contareno Castellano Antistite compararunt. Diviso tunc Orbe Terrarum, ab una pietas, ab altera superstitio pugnabat. Belli votum, Hierosolymæ expugnatio, pro quà noster penè Orbis sub signis peragravit. Veneti sacræ militiæ tesserà assumptà, Rhodum navigarunt, ubi à Pisanis probro excepti invidià instigante, vel Græco Cęsare (qui Syriacam expeditionem invidebat Latinis) ferro propulsarunt; ex quinquaginta navium

classe Pisanâ, vix duabus & viginti fugâ servatis. Captivæ tamen redditæ, quod in Turcas inservirent: & Veneto satis esset, vicisse. Ioppen inde navigantes, Gothofredum salutavere Bulionium totius Belli moderatorèm; à quo laudatâ Venetorum virtute, Porphyriten expugnandum accepere. Eo victo Tyberiadem (quam nullo successu Galli tentaverant) occuparunt. Sacro tandem adorato Sepulchro, Barbaris onusti spoliis, triumphi spetie in Adriacum rediere; sacra D. Nicolai, & Theodori corpora referentes. Huic in æde Salvatoris; illi, in litore datus locus. Et quia repetitâ irruptione litora Græciæ & Dalmatiæ exhauriebant Normanni: Michaelius icto cum Pannonibus fædere, in Apuliam movit, ut hostem ad sua tutanda, ab alienis invadendis retraheret. Ad primum classicum se dedere Brundusium, castraque viciniora, cum opimo spolio. Ita supplici & avocato hosti Michael pacem dedit, sibique & Græcis pristinam restituit securitatem. Matildi etiam Grandi per Italiam Principi, Ferrariam agmine restituit auxiliario; immunitate ibidem Venetis acquisitâ, victoriæ & amicitiæ testimonio. Victrices palmas D. Benedicto appendit, cui D. Cypriani Templum cum censibus, & latifundiis largitus, militiæ pretium quam Sanctus gesserat in Venetorum castris. Annos quatuor cum fœlix regnasset, fælicior obdormivit in Domino. Cineres D. Zacharias excepit.

Lege Sansovinum, Sabellicum, Petrum Iustinianum, Petrum Marcellum, Jo: Bapt. Contarenum.



OR-

ORDELAPHUS PHALETRUS


D V X XXXIV.

Electus Anno 1102. obiit Anno 1117.

MEMORIA ANTIQVA.

Addo Croatiam titulo, iungoque Ducali.




IN Ordelaphum Vitalis Principis Phaletri filium, cum Michaelis fortuna, dignitate translatà, Sacri Belli instauratà face; centum navium clasſis instruitur; quam bellicus Princeps Ptolemaidem mirà celeritate traducit; ubi Balduinus terrestribus copiis frustra ſedebat. Iunctis itaque viribus inexpugnabilem urbem ita obſidione fatigavit maritimà, ut ſuprà ſpem, etiam expugnaverit. Post Ptolemaidem Sidonem trajectum, quę visà claſse portas aperuit. Acceſsit inde Berythus victorià tamē non incruentà: quibus adiecta Farania ad Nili ostià arx munitiſsima, quà à fundamentis eversà, Mare in Syriam navigantibus liberum patuit. Strenuis commilitonibus à Balduino fixa trophæa, ut toto regno Hieroſolymitano, Regio uterentur jure. In patriam reverſus obvios habuit Patavinos, qui Tarviſii & Ravennæ auxiliis tumidi, circa Bebianam arcem, limina uſurpaverant. Pugnà initâ,

 pro

pro Venetis Victoria stetit magnà hostium cæde. Fugitivis ab Henrico Imperatore Veronæ stante auxilia rogantibus Cęsar consilio profuit; ferro posito, certarent legibus. Patavinos veluti decrepitos patres foverent Veneti. Patavini glorię non invidentes Venetorum, gloriarentur potiùs eos genuisse, qui ad eam diem tantum terræ marisque essent adepti. Sic lapidibus pòsitis (Cęsare ipso Agri mensore) Finium Regundorum actio quievit. Inter triumphos gestientibus Superis; Inferi ad vindictam civitatem ferè totam gemino deturparunt incendio. Cum quibus ne Superi crederentur conspirasse; eo tempore, quo Ecclesia restituebatur Ioannis Baptistæ, igne consumpta, voluit Præcursor Christi, dexteram suam, quà Deum Hominem baptizavit, Hierosolymis Venetias deferri, & in templo sibi sacro locari; pignus fidei, & fęderis sempiterni, quod Ioannes eà manu in Cęlo subscripserat. Post incendium Crinitus Cometes mæstitiam auxit, Iaderensium indicens defectionem; quam Rex Pannoniæ excitaverat non tam illecebris, & donariis, quàm specioso libertatis nomine. Dalmatiam propterea repente, Ordelapho: Pannones qui in pręsidio erant, classiarios provocantes ad terrestre certamen, obviū illicò habuere Ordelaphum, qui tanto impetu descendit è navibus, ut fusi dissipatique Pannones totà brevi Dalmatià cederent. Eadem semper est virtus, aquis vel terra provocata dimicet. Fautorum strage exanimata Iadera ad obsequium rediit, conditionibus arbitrio victoris receptis. Sebenicum inde receptum, murorum reparatione prohibità, ne iterum arce confisum deficeret. Victoriæ instans, Liburniæ montibus superatis, hostium adhuc palantes reliquias vel cæcidit, vel duxit captivas. Hinc nouo Croatię vel Liburnię Principatus titulo auctus, Venetias rediit; triumphum captiuorum pompà nobilem, nec antea in urbe visum primus ducens. Diviso spolio Tabulam Aræ Maximæ unionibus contextam atque lapillis Marcus accepit Evangelista, portionem manubii Superis debitum. Hostium vexilla in templo suspensa ad excitanda in posteris virtutis memoriam. Cladis fama ad vindictam excitavit totam Pannoniam. Phaletrus de retinendà Dalmatia sollicitus Iaderam repetit castris circumfusam hostilibus, & vallo profundo: quem dum Phaletrus superare cogitat, & inter dimicandum intromittere auxilia, ad pugnam Barbaros è munitionibus elicit, strage mutuà, & serò ad neutram partem inclinante victorià: donec Veneti Ducis interitus, sagitta transfixi (dum manu præsens consilia demonstrat) nostrorum animos turbat, & victoriam hostibus cedit. Cadaver Venetias delatum D. Marcus suà in æde recepit, Anno bis nono Principatus.

Lege Sabellicum, Petrum Iustinian. Petrum Marcellum, Io: Bapt. Contar.

D O-

DOMINICVS MICHAELIVS
DVX XXXV.

Electus Anno 1117. obiit Anno 1130.

INSCRIPTIO PRISCA.

Tyrium cum Syria præsens tibi Christe redemi.



IN Principem assumptus Dominicus Michaelius, quamvis ætate grandævus Balduini Regis Hierusalem cognitâ captivitate, cum ad tuendam Dalmatiam, arma teneretur toto torpescente Christiano Orbe convertere; sociis accurrere maluit, & solus pro Religione, quàm pro Imperio dimicare. Ducentis itaquè diversi generis instructis navigiis Cyprum navigat, ubi auditâ obsidione Ioppensi, quam septingentæ ligneæ Vrbes Mari innatantes, pluresque & ferreæ Provinciæ urbem unam quatiebant, ad eam solvendam proras convertit. Certior, in portu sedère hostes securos, quòd intercepto commeatu oppidum acciperent fame domitum, incitato remige se se immittit, validaque impressione facta, favore opprimit, cædit, priusquàm Barbari se se ad tutelam colligerent,

 naufra-

naufragi & incensi operuère Mare. Prætoria capta Triremis, Obsidio soluta, Ioppes magna Venetorum gloria ab excidio vindicata. E triumphato Mari Tyrum cōvolavit hactenus inexpugnabilem creditam. At dum spe longiùs in obsidione tempus protrahitur, terrestres inter sociorum copias rumor emanat; expeditissimum obsessis adventare auxilium, & hinc fugam Venetos meditari. Calumniâ Michaelius cognitâ, ut Venetam sociis testaretur constantiam, ademptum singulis suis navibus omnem nauticum apparatum, apud confœderatos ceu fidei pignus deposuit; ut indè constatet, inviolabilem apud eos, fœderis sanctitatem, neque eorum animos vel adversâ vel prosperâ nutare fortunâ. Hoc Fidei documento confirmati socii Venetum *Terræ Sanctæ Servatorem* acclamantes, cœperunt instare fortiùs, donec exacto quinto obsidionis Mense, deditione acceperunt obsessos. Vrbem ingressi, Turrium pinnis Veneta Hierosolymitanis immixta signa præfigunt: Tyri & Ascalonis tertiâ parte libero jure receptâ. Victoriis oneratâ Classe, Princeps domum repetit. In viâ non defuere triumphi; Caloiannes namque Imperator ob partam de Tyro victoriam, Veneta offensus fœlicitate, in vicina Vrbi loca irrumpens, cuncta ferro miscebat. Hinc Michaelius subito recursu deflectens in Græciam, Rhodum primò, Chium exinde præcipua Orientalis propugnacula Imperii, pari mox fortunâ Samos, Mitylenem, Andros in Egæo Mari Insulas expugnat, occupataque Methone, Græcorum repressit insultus. Iaderam tandem tertiò transfugam, spoliavit mœnibus, cujus exemplo totum Illyricum in fide permansit. Numinibus quoque cum Græciam spoliasset, D. Theodori ossa in Æde D. Marci deposuit: D. Donati Corpus ex Perâ advectum novo intulit fano. Charitatis autem suę erga Patriam perenne volens monumentum, Ædem Charitatis Canonicis excitavit Lateranensibus; in quâ publicè sago rejecto, saccum induit pęnitentiæ, depositâ melior quàm fuit ante coronâ. Ejus funus pompâ insolitâ duxit Successor ejus Petrus Polanus, Anno Imperii decimo primo; quievitque in Templo D. Georgii.

Sabellicus, Petrus Iustinianus, Petrus Marcellus, Sansovinus, Io: Bapt. Contarenus.

PE-

PETRUS POLANUS DUX XXXVI.

Creatus Anno 1130. Obiit Anno 1148.

VETUS ELOGIUM.

Fanum sub me tributarium efficitur: Monasteria Sanctorum Clementis, & Iacobi de Palude construuntur.



REiectis per Michaelem insul's ejus gener subrogatur Petrus Polanus: cujus tempore Fanum Fortunæ, proprio Numine desertum à proximis Pisauri, & Senogalliæ populis, crebris oppugnationibus infestatum, hosti manus dabat, ni ad Venetæ virtutis fortunam confugisset Hac unâ favente servatum; nam immissâ classe, cæso hoste, urbs libertate redemptâ ad memoriam beneficii, stato pro viribus tributo, Veneti Imperii facta est vectigalis. In Patavinos etiam, qui aggeres Meduaci fluminis subvertebant, ut aquæ sterilibus paludibus urbem Venetam obsepirent, ad Tumbam pugnatum strenuè, & quantum aquæ Patavini infuderant; tantum sanguinis profuderunt, captis eorum tercentis quinquaginta nobilibus.

bus. Primatibus tamen Patavii teſtantibus, id in Veneti nominis odium non factum, captivi ad unum remiſsi ſunt. Nec longè; excidium Græciæ, Rege meditante Rogerio, occupatis pro libidine, in Ionio Mari, Thebis, Chalcide, Corcyrà; per Græci Imperatoris Legatos exorata Reſpublica, veterum iniuriarum oblita adfuit validà navium claſse, quà Corcyrenſes primò, captis Siculis triremibus XIX. exempti hoſtili jugo; mox in Siciliam translata Belli face, ſtrage cruentà, vaſtatis pagis Incolis in captivitatem abductis Græco Imperio, Venetis armis, eſt reſtituta Majeſtas. Claſsis reditum præceſsit interitus Principis, quo inclytæ victoriæ conturbata lætitià ludicris abſtinuit Civitas. Præfuit ille Reipublicæ, Annis undeviginti, Morbo in caſtris contracto ſuccubuit, grandi mœrore Populi.

Lege Sabellicum, Sanſovinum, Ioannem Baptiſtam Contarenum, Petrum Marcellum, Petrum Iuſtin.



D O.

DOMINICVS MAVROCÆNVS
DVX XXXVII.

Electus Anno 1148. obiit Anno 1156.

EPIGRAPHES PRISCA.

Sub me admirandi operis Campanilis S. Marci construitur: & universæ Histriæ tributa renovantur.



EOdem Sydere cadit Rogerius Siculus Venetorum Hostis, & Princeps surgit Dominicus Maurocænus. Arma iste tractavit in Syrià, suoque consilio, & manu, Christo Redentori restitutus Thalamus, & Tumulus. Victoriam ut Deo assereret, & cum commilitonibus Angelis trophæa misceret, Turrim tam altè erexit, ut Gigantum dicerem, ni ut eam prodigioso miraculo dirutam; hanc ex æquo tam supra, quàm infra terram stare scirem. Alta superat cacumina Montium, & tanquàm Sydus salutiferum longè lateque venientibus occurrit ab ortu, & occasu. Novus Nimrod ful-

mina

mina pietate fulminaturus cogitavit, gladio in terram projecto, Deum propiùs venerari. In hac ſola Ægyptus, Babylon confuſa receſsit. Ab hac mole ad Templa conſtruenda converſus pius Princeps, alterum Dei Genitrici Mariæ; alterum Mathæo ſacrat Apoſtolo: quorum auſpiciis ad bella filium direxit, ſex longis navibus in piratas Anconitanos quibus totidem biremes interceptæ, rapinà redemptà, fune ſublato eorum Duce Guiſcardo, maritimis rebus ea tempeſtate illuſtri Latrones Illyrici Polę obſeſsi annuo vectigali pacem redemerunt: eademquè pęnà mulctati Æmonenſes. Demum cum Anconitanis contracta ſocietas, & in communem hoſtem cum Siculis fœdus percuſsum. Sic metu, vel amore vicinis, remotiſque pacatis nationibus, ad requiem Princeps tranſiit æternam, Anno Principatus octavo, in Luprió ad fanum Crucis receptus.

Lege Sabellicum, Sanſovinum, Petrum Iuſtinian. Petrum Marcellum, Io: Baptiſtam Contarenum.



VITALIS MICHAEL II.

Anno 1156. Electus DUX XXXVIII. *obiit Ann. 1173.*

INSCRIPTIO ANTIQVA.

Imperium vasto triremibus undique missis
Vrbis Aquileiæ Patriarcham traaotribetis.



AD clavum regiminis asſumptus Vitalis Michaelius II. Rempublicam protinùs populo asſociavit Piſano. Legitimà namque repudiatà coniuge ab Imperatore amente potius, quàm amante Friderico Ænobarbo; Orbe in partes diviſo, dirum ſcindebat ſciſma tunicam Chriſti. Alex. III. R. P. contra Victorem Antip. quia adorarent Veneti, Aenobarbum concitaverant, & cum eo Patavinos, Veronenſes, Ferrarienſes, Aquileienſes. Hoſtium tamen numerus victorias multiplicavit. Primus omnium in foveam cecidit, quam ipſe foderat, Vlricus Patriarcha Aquileienſis, qui cum auxiliaribus Carnorum copiis Gradum occupaverat. Fugatis namq; turpiſsimè Carnis, Vlricus in captivitatem ductus anniverſaria Venetiis fovet bacchanalia, cęſo ad memoriã Tauro, cum duodecim apris, Patriarcha ſcilicet & duodecim Canonicis. Adrienſes qui Lauretum vaſtaverant & Caputaggeris: tubà auditá militari, fugà ſe ſubduxerunt. Purgato itaque Adriaco piratis, producto Imperio, cum pax ſperaretur diuturna; Cæſar exurgit

git Pelaſgus. Bellum iſte moturus in Siculum, cum quo Reſpublica fœdus inierat, in ſocietatem Venetos provocat. Hi fœderis jura ſanctè colentes, adversùs amicum negarunt auxilia. Emanuel ea propter verſus in rabiem, arma in Guillielmum parata, in Rempublicam abſque aliâ Belli denuntiatione convertens, vocato in Belli aleam Pannone, Tragurium, Spalatum, aliaque uſurpat Dalmatiæ oppida. Plus cladium ab ejus fide; quàm ab armorum illatum perfidiâ. Equi namque Troiani renovatâ fraude, Venetos mercatores iterum in Græciam invitat: qui fide decepti Legatos misêre, unà cum mercimoniis. Cum veniſsent Legati, non admiſsi; Mercatores navibus interceptis, in vincula dati. Hinc inſidiarum ultrix intra centum dies, centum navium enata claſsis, Michaelio Duce, primùm Dalmatas compreſsit, poſt in Eubœam delata eam occupaſſet, ſi Græcas ſallendi artes noviſset. Præfecto Inſulæ dum ſanctè juranti, & pacem credit offerenti, militem cohibet: Legatoſque mittit ad Cæſarem; qui præ monitus, quæ callidè cum Veneto acta eſsent, reſpondere moratur; ut interim miles otio corrumperetur; ſpatiumque daretur iis, quibus jam mandaverat, fontes, ac flumina, unde claſsis aquabatur, venenatis ſuccis imbuerent. Interim; dum ſiti cogente læti bibunt Veneti, Lethum bibunt. Ex hoc potu infecta Veneta Claſsis, militem amiſit univerſum. Ex C. & LX. navibus, ſolumodo decem & ſeptem, eæque propugnatoribus nudatæ ac remige, funeſto remigravere ſpectaculo. Hac miſeranda lue tota eſt Gens Iuſtiniana deleta; ut etiam Venetiæ ſuis Fabiis ſuperbirent. Mortuos tamen ſuſcitavit mortuus Nicolaus Iuſtinianus, inter Monacos ſacris addictus, qui (thalamum Pontifice indulgente Romano) juncta ſibi in coniugē Annâ Michaeliâ Principis filiâ, uberem & beatam prolem ſuſcepit, ex qua tot Heroum agmina emanarunt. Dux interim, qui nimiâ credulitate militem perdiderat, conſilii inops, diſsipatæ claſsis reliquias in patriam reduxit pernicie civium deplorabili. Suo namquè adventu ſæva peſtilentia adeò urbem invaſit, ut paucos intra dies penè habitatoribus vacua remanſerit. Hinc furens populus, quaſi ex condicto claſsem Princeps Græco perdendam obieciſset, volentē ſe purgare ex ſuggeſtu, exertis gladiis coegit è mediâ concione deſcendere, fugientem ad D. Zachariæ fanum, confodiunt, ritè tamen Confeſsione peracta, Anno xiix. ſui Principatus. In gravem poſtea mærorem, populi furore converſo, publico excipitur funere, teſtimonium populi pœnitentis. Decemviri etiam adiecti, ut atroci ſupplicio in eum inſurgerent, qui adversùs ſummum Magiſtratum peccaret.

Sabelicus, Sanſovinus, Petrus Juſtin. Petrus Marcellus, Jo: Baptiſta Contarenus.

S E.

SEBASTIANVS CIANVS
DVX XXXIX.

Electus Anno 1173. obiit Anno 1180.

SCHEMA VETVS.

Ducatum titulis dotavi ingentibus; atque
Papa minis liber fit, Federice tuis.




ABsoluto Michaelis funere, Aureum Mastropetrum Comitia vocabant in Principem, virum singularis consilii & innocentiæ. At iste Rempublicam familiæ præferens, ut incredibili erat erga Patriam charitate, in utiliorem Reipublicæ civem suffragia verterent, rogavit. Sebastianum respicerent Cianum, virum Septuagenarium, divitiis potentem, qui non solùm consilio, sed & auro populum juvare posset. Maripetri consilium sequuti Patres, Cianum declaravere Principem; quem miro consensu populus probavit. Magna sub hoc Principe, domi, forisque gesta. Tres primo columnas misit Græcia, quarum una superato artifi-

cum

cum ingenio, nimio pondere pressa jacet sub aquis. Reliquæ in foro positæ D. Marci, suo intercolumnio præstant, aleis vel dolo malo impunè ludere. Opificem nunc habes infamem, qui pro mercede, tàm turpi Ordini consultum voluit. Primus etiam Rivi Alti fluctus sub immensi Pontis jugum misit? arcumque paravit, quasi compedem totius Maris, cui brevi nuptura erat Veneta Virgo. Reipublicæ gloriæ Emmanuel invidens Imperator postquàm toto Orbe, hostem ei quæsiisset, Henricum Dandulum, alterum ex Legatis ab Senatu repetitum missis, quæ Venetis per fraudem ablata fuerant, sub colloquii spetie, ad se vocatum candenti ære obcæcasset; Anconitanos nostrà senjunxit amicitià. Cianus ex adverso, inità cum Ariminensibus societate, eductà classe hostes ita conclusit, ut damni reparatione pacem isti petere coacti fuerint. Triumphi gloriam casus cumulavit Alexandri III.R.P. Roma profugus Christi Vicarius timore Aenobarbi Imperatoris, qui subrogato Antipapà illum ad necem inquirebat, Venetias in unicum confugerat libertatis asyllum, coqui veste larvatus. Hic hortulo præpositus S. Mariæ de Charitate, quasi gregarius homo culturæ incubuit, donec detectus Sebastianum Ducem; totumque Senatum magno cum honore in adorationem traxit. Missique ad Cæsarem Legati, pacem rogantes dari Pro Deo. Respondit tumidus Fridericus: mala omnia expectarent, ni quamprimùm hostem transmitterent fugitivum. Religio tamen apud majores prævaluit, ad durissima quæque promptos, potius quàm fidem erga Romanum Antistitem profanare. Præcipiti ergo furore actus Imperator, immisso filio Othone, cum octoginta rostratis navibus in oram Venetam, totam Histriam devastat. Cianus non minori usus celeritate, cum triginta longis navibus in hostem occurrit, & juxta Salborium in Piranensi tractu, Deo adjuvante Vicarium suum, Cæsarianos quamvis numero Superiores profligat, Othone capto filio Aenobarbi: qui cladem nonnisi ab irato Numine religiosè fassus, libertatem sibi dari rogavit, ut de pacis conditionibus cum patre ageret, quibus non impetratis, ad constitutum diem se reversurum spopondit. Abire permissus patrem expugnavit, qui Venetias descendens, accidens ad pedes Alexandri, calcato collo verba audiit Prophetæ. *Super aspidem & basiliscum ambulabis, conculcabis Leonem & Draconem*; quibus respondens, *Non tibi, sed Petro*: rependit Papa, *Et mihi, & Petro*. Cæsare postea abeunte; Alexander priusquàm Romam rediret, ad memoriam recepti beneficii, Principem & Rempublicam augustis illustravit insignibus: quorum unum, annua desponsatio Maris; in signum Dominii sanguine parti: publicarum literarum plumbea obsignatio, cum cæteris insignibus,

gnibus, & ornamentis, quibus Princeps decoratur, cum Regiâ maiestate in apertum prodit. Tantâ gloriâ Sebastianus auctus, aureo in populum effuso congiario, quo Imperium testaretur Aristocraticum, Principatum apparatu clausit domus Aureæ (Ita vocant ædem D. Marci: quòd auro tota fulgeat purissimo) Nam senio confectus cum adversâ valetudine laborare cœpisset, ut se ad iter pararet æternum, in claustra secessit D. Georgii, ut ab eo disceret sanctè mori. Ibi domibus distributis, quas tenebat circa forum D. Marci, inter Clerum & Monachos, cucullo indutus sceptrum remisit, quod coram Vivorũ, & Mortuorũ judice minimè juvat. Anno Ducatus septimo, vel octavo decessit, auro abundè collato Procuratoribus D. Marci, quo Viduis, Orphanis consulerent & indigenis.

Sabellicus, *Petrus Iustinianus*, *Petrus Marcellus*, *Sansovinus*, *Io: Bapt. Cont.*

Epitaphiũ ejus Statuæ inscriptum jacenti in portis Ecclesiæ veteris.

Hic Dux egregius, sapiens, dives, cenerescit,
Vivit cum Christo, mundo sua fama nitescit,
Sebastianus vocitatus in orbe Zianus,
Cum Papa, Princeps, Clerus, plebs hunc recolebant,
Iustus, purus, castus, mitis, cuique placebat.
Consilio pollens, bona plantans, & mala tollens,
Robur amicorum, patriæ lux, spes miserorum,
Et flos cunctorum, Dux electus Venetorum.
Binos coniunxit gladios, & more refulsit,
Eloquium sensus; bonitas clementia census,
Illi parebant, nulla virtute carebat.
Obiit anno Domini MCLXXVIII. Mens. Aprilis.

Novũ Epitaphiũ instaurato sepulchro in Ecclesiâ novâ S. Georgii.

Memoriæ Sebastiani Ziani Invicti Ducis, cuius
Armis fracta pius Frider. Ænobarb. Cæs.
Pertinacia, mox officiis delinita, eundem
Inter se, & Alexandrum III. Pont. Max.
Pacis arbitrum voluit, quâ nutans Christiana Resp.
Tandem sublato dissidio conquievit.
Monachi pluribus obstricti Beneficiis
Celebriori loco monumentum restituere. MDCX.
Obiit MCLXXVIII.

Vivit adhuc, & perseverat *Ciana* Gens (corrupto tamen *Ciano* in *Zane* vocabulo teste *Faroldo*, & *Dogliono* Histor. Venet. lib. 5.) in Marino Zane Senatore amplissimo, qui post nobiles Veronæ, Brixiæ Præturas, & Generalatum Palmæ, in patriâ modò Magistratus regit supre mos, dulci Iustitiæ plausu.

Lege quæ dedimus *lib. x. Monarchiæ nostræ cap. 2.*

F AN-

ANDREAS Vel AVRIVS MARIPETRVS VEL MASTROPETRVS.

DVX XXXX.

Electus die 19. Apr. Ann. 1178. abiit Ann. 1189. obiit Ann. 1194

PRÆCONIVM EI SCRIPTVM.

Desero Ducatum, Monachus vivo, morior que.





AVreo restituto sæculo ab Aurio Mastropetro in Principem per viros assumpto quadraginta, Pax rediit cum Pannonibus, Ferrariensibus, & Pisanis. Iadera insigni levitate clara ad Belam Pannoniæ Regem desciverat. Perfidiæ, ac temeritati cum obviam pergere tam celeriter prohiberetur Respublica, publico laborante ærrario; Civium locupletiores in publicam causam

sam

ſam opes erogavere privatas: quibus auxiliis in Illyricum transfretatum, Iadera acri obſidione cincta, cum in deditionem nutaret, hortatu Clementis R P. ſervatur, partæque cum Pannone in biennium induciæ, ut in Syriam convenirent. Acquievit Venetus de Religione magis, quàm de triumpho ſollicitus, apparataque lectiſsimà claſse Ptolemaidem quarto venit, quam Saladinus occupaverat Sultanus Ægypti, qui ut ſe Brutorum monſtruoſum ducem oſtenderet, Serpentes ſuis phalangibus centuriaverat. A quis tamen præfocata ſunt monſtra, & poſt unius Anni obſidionem, urbis denuò jure belli redemptæ privilegia ad Venetos rediere, cum maritimis oppidis, & opìmo Barbarorum ſpolio. In dedititios à victore ſævitum, quod S. Crucis dimidium ab eis promiſsum, ſit nuſquàm repertum. Dum hæc foris; Domi, Princeps urbem in ſex Claſses diviſit; quibus totidem dati Conſiliarii ad cuſtodiam. Mortale tandem faſtidiens imperium, Cornu ad pedes appenſo Redemptoris, Crucem manu tenuit, ejuſque in ædibus Monachus vitam poſuit, & inferias recepit.

Sub hoc Principe, teſte Sabellico, & Petro Iuſtiniano nummus percuſsus, quem ab Auctoris nomine *Aurellum* dixere.

Sabellicus, Sanſovinus, Petrus Iuſtin. Petrus Marcellus, Io: Baptiſta Contarenus.

Contradictionem temporis, quæ conſurgere videtur in morte Sebaſtiani Ciani, cum in ejus Epitaphio mortuus dicatur Anno 1178. in noſtrà verò Chronologià Anno 1180. ita conciliabis. Naturaliter moritur Princeps Sebaſtianus Cianus Anno 1180. Civiliter, quando Throno ſcilicet ſeceſsit, Anno 1178. quo tempore Quadraginta virali Collegio committi cœpit Ducis electio. *Sanſovin. lib.* 11. *de dignit. Princip.* quà methodo *Maſtropetrus* primus eligitur.

HENRICVS DANDVLVS
DVX XLI.

Electus Anno 1191. obiit Anno 1205.

MEMORIA ANTIQVA.

Henrico Duci est titulus. Quartæ partis, & dimidiæ totius Imperii Romaniæ Dominatori.





IN Principem Cęcus assumitur, Henricus Dandulus, & nè cęcos electores diceres; Quadraginta Virali suffragio creatur, juxta Sibyllæ vaticinium, De expugnatione Byzantii, sub cęco Duce. Candenti laminà ei oculos hebetaverat periurus Emmanuel, quum jure & Gentium fide Legatum advocasset. Cruci pro Scipione innixus, Imperii fines latè promovit. Verona primũ Veneto interdicta commertio, quia Athesim navigantibus vim fecisset, ad inopiam coacta, ferro posito pacem rogavit. Pisani & ipsi Syriæ auxiliatores ex invidià bellicæ laudis, occupatà Polà Venetorum tributarià, hyberna ibi meditabantur; cum in pugnam.

gnam vocati oppidum amisere cum pluribus navibus: repetitoque ad Methonem certamine victi, sinu excedunt Adriaco, & à Victoris mansuetudine pacem impetrant honestissimam. His domitis, ad Transmarina vocatus trophæa ab Innocentio III. R. P. (qui Hierosolymis adversùs irruentem Turcam, totum congregabat Occidentem) Balduino Flandriæ Comiti, Bonifacio Montis Ferrati, aliisque sacræ expeditionis Ducibus pecunia deficientibus, transitum fortissimus senex obtulit gratuitum; dumodo Iadera (quæ per eos dies defecerat, Veneto restitueretur Imperio. Hisce firmato legibus fędere, Dandulus quamvis cęcus ut suos si non manu, consilio juvaret, Classem 240. navium (ex quibus 60. rostratæ) conscendit. Cujus solo conspectu territi Histri annuo iterum se submisère tributo. Eorum socii Tergestini legem & ipsi tunc primùm subiere. Post hæc Iaderam itum: cujus obsidio longior, quia milite defensa Vngarico. Victa tandem Venetum quartò accepit imperium Romano adversante Pontifice, qui in gratiam Pannoni Regis omnes excommunicavit, sed statim absolvit, quia fortes, & gratia non indignos. Iaderæ stantes Alexium quindecim Annorum adolescentem Isaaci Imperatoris filium, à patruo tyrannide pulsum, & auxilia implorantem audierunt. Magna iste promittebat, inter cætera reconciliationem Ecclesiæ Græcæ cum Latinis, si eorum armis Imperio restitueretur paterno. Fœderatis conditio placuit: & licet expeditionem primùm damnarit Innocentius, mox probavit ad Syriacam non utilem modò, sed necessariam. Ex Dalmatià itaque Constantinopolim solvunt, expositoque exercitu, terra Franci, pelago Veneti perruptà catenà, quam ad utrumque Bosphori caput Tyrannus imposuerat, mari primum urbs regia invaditur, triremibus aliquot intercepit: exinde colligatis simulantennis, e corbibus in muros iacti pontes, è quibus nostri missilibus, igneque in proxima tecta coniectis, ita terruere hostem, ut eodem trepidè se recipiente, primi intra męnia desilierint. Rem non minùs impigrè gessere Franci, prostratis erumpentium Græcorum turmis, retroque cedentibus, urbem victores ingrediuntur tumultuariè. Fugiit tyrannus Alexius; eductus è carcere senex & excęcatus Isaacius, cum Alexio filio spetiem retinuit pristinæ dignitatis. Anno sequenti dum Veneti stant in Anchoris; Franci in hybernis Ver expectant, seditione excitata à Murtzuphulo, uno è proceribus Imperium affectantibus; uterque obtruncatur Imperator, collectoque seditiosi agmine in castra irrumpunt fœderatorum. At gens Græca novandis aptior quàm gerendis facile repellitur, fugaturque Murtzuphulus. Renovato tunc fœdere, eo pacto arma parantur: ut quid-

quid gladio acquirerent, æquo jure dividerent. Repetitâ ergo oppugnatione Byzantii; eadem enituit Venetorum virtus: Priores enim, pulsis è muro Græcis, urbem intrant, fęderatis portas recludunt: exceptique utriusque ductores exercitus triumphali acclamatione, Anno belli tertio convenere: ut quindecim viri crearentur, quibus jus esset eligendi Imperatorem eâ conditione; ut si Veneti nominis Imperator non esset; quem ipsi vellent, darent Antistitem. Quini ergo à Venetis electores dati; totidem à Flandrensi & S. Pauli Comitibus: Monferratensis, & Allobrogum Duces numerum expleverunt; quorum suffragiis Balduinus Flandrensis Imperator declaratur. Veneti Thomam Maurocænum subiecerunt Antistitem. Cessere eisdem Insulæ Aegei Maris: Bonifacio præter Cretam jam sibi ab Alexio juniore datam Thessalia, & Peloponnesus cum Regis titulo. Cretam quoque emit Respublica auro repenso. E minoribus, quæ in mari erant Insulæ, Senatus Consulto occupanti datæ ad vitandum publicum dispendium, easque servandas à piratarum incursu, ope privata. Vnius Anni cursu post captum Byzantium, omnia Græcanici Imperii loca Latinis cessere, unâ exceptâ Hadrianopoli, cujus in obsidione Balduinus periit à Valachis captus inter insidias: paucosque post dies etiam Dandulus Venetorum Princeps, Byzantii expiravit ex morbo, vel ex vulneribus, Anno sui Principatus XIII. in D. Sophiæ atrio sepultus.

Sub hoc Principe nummus percussus, quem Octonis taxatum ab initio, ut nunc Grossum nuncupavere, teste *Sabellico lib.* 8.

Sabellicus, Sansovinus, Petrus Iustin. Petrus Marcellus, Io: Baptista Contarenus.



P E-

PETRVS CIANVS

DVX XLII.

Electus Anno 1205. obiit Anno 1227.

PRÆCONIVM VETVSTVM.

Belli potens tota mihi subditur insula Cretæ.





SEbastiani Ciani proles augusta *Petrus Cianus* fasces stringit Reipublicæ, ex Arbæ Comitatu ad Principatum assumptus. Primum novi Principis facinus; Prætorem Byzantii *Marinum Zenum* destinare: à quo Aenei Equi veluti libertatis quadriga, in foro D. Marci effrenes hinniant in fornice Templi. Vnius & triginta Triremium in Hellespontum educta classis, obvios in Adriaco sortita Ligures piratas, qui *Vetrano* Duce, litora nostra depredabantur, in eos tanto impetu irruit; ut Ligur nostrorum impressionem minimè sustinens, victus trepidè aufugerit, *Vetrano* latronum capite in nostra potestate relicto, qui Corcyram ductus scelera morte solvit. Inde Methonem, Coronemque piratarum latibula ducens, eiectis grassato-

ribus, castra recepit; Corcyram traductâ Coloniâ, quæ tutum foret adversùs indigenas, & hostes munimentum. Gravior subinde Cretæ rebellantis sollicitudo; quæ nonnisi post varios casus, & discrimina rerum, Veneto iterum se submisit Imperio. Pacatam insulam primus omnium administravit Ducis titulo, *Iacobus Theupolus*: cui hostis non defuit civilis. Agestephanitarum, scilicet familia, quę luxu gestiens & ambitu Cretenses iterum ad defectionem incitavit. Hinc à Theupolo in auxilium accitus Marcus Sanutus, qui Cycladibus imperabat, turbarum auctorem facilè repressit, hoste tamen excitato majore. *Sanutus* namque quasi non patriæ, sed sibi vicisset, annonæ deficientis prætextu, pulso legitimo Duce *Theupolo*, Cydonem occupavit. Venetias rumore delato, Classis brevi in insulam navigavit: quà fortior Theupolus Themeno egressus, quò se receperat, noctu Cydonem irrumpit, somnoque sepultis excubatoribus, conscentis męnibus urbem repentè occupat, in Aegeum retrocedente Sanuto. Post Theupolum, Ducatum tenuere Paulus Quirinus, Ioannes Storlatus, Bartholomæus Gradonicus, sub quibus in Ianuenses, primò, qui vi & fraude totam penè Insulam occupaverant, ter concursum, præcipuè sub architalasso Io: Trivisano, qui ad Drepanum, quamvis classe impar animo maior, viginti eorum insectatus rates, duodecim cępit, reliquas fugavit. Victoria pacem peperit, eam supplice petente Ligure, donec ad novum certamen ambitio gloriæ vel imperii provocaret. In Vatazium etiam Lesbii Principem pari fęlicitate certatum; ejus triginta navibus ferro, vel naufragio submersis, Creta quinto seditiosa post Annos sex & viginti domita quievit. Eodem tēpore, quo Cretæ seditio grassabatur civilis; pugnatum cum Patavinis tertiò: quos Tarvisinus luxus ad spectacula vocatos fœminea, in libidinem concitaverat & superbiam. Castellum media urbe purpureis stragulis murorum loco munitum, ingenuæ Virgines aureas pro galeis gestantes coronas, pro thoracibus armillas, propugnabant. Nobilissimi adolescentes virginibus non dissimiles arcem oppugnabant. Missilia, poma, moscatæ nuces, lillia, rosæ, aliique flores in pilarum spetiem conglobati; eiaculationes aquæ Rosaceæ, aliaque odoramentorum genera. Ad ludum venerant Venetiis, & Patavio non pauci: initoque certamine contigit, ut Venetorum juvenum globus occupata repentè portà, jam jam esset illaturus signa. Patavini, qui in proximo & ipsi oppugnabant gloriæ invidi, facto in signiferum impetu, vexillum D. Marci ignominiosè lacerarunt. Hinc rixa, nec sine cæde futura; nisi Arbitri, & Castrorum Præfecti spectaculum edicto solvissent. Patavini suæ culpæ conscii, quasi iniuriam accepissent, iurato cum Tarvisinis fœdere, Veneta ingressi limina, Bebia-

nam

nam usquè turrim irrepsère: ibi occurrente Veneto manus conseritur tanto hostium pavore, ut fugà præcipiti, quadringenti eorum cum quatuor vexillis in potestatem ceciderint Venetorum. Tarvisini auditá sociorum clade, retro abierunt pacem efflagitantes, interprete Patriarcha Aquileiensi, quam utrique populo clementissimè Cianus indulsit: Pacato Marte, Venerem Princeps accendit nuptiis *Constantiæ* Tancredi Siciliæ Regis filiæ, quam bigamus superinduxit ad prolem, non ad libidinem; Cultor namque virginitatis, cœnobium ei à fundamentis paravit, & *Virginum* dixit. Fidei vindex Catholicæ, Byzantii curavit unà cum Collega Roberto Imperatore (ea namque concordia Byzantini Cæsares cum Venetis studiosè perseverarunt, ut Venetum Ducem Collegam charissimum appellarent) Romanum Pontificem Græcis patrem restituere; sed pertinacissimi Græci coire maluerunt cum infidelibus, quàm cum Romanis. Cianus interim cum consenuisset, post Annos Imperii duos supra viginti Euboea, Achaia, & Cephalene sub imperio receptis, in D.Giorgii cęnobio, otia quæsivit, ubi paucos post dies Religiosus Princeps & Regalis Monachus decubuit, exceptus ad fanum D.Georgii in patrio sepulchro.

Lege Sabellicum, Sansovinum, Ioannem Baptistam Contarenum, Petrum Marcellum, Petrum Iustin.



JACOBVS THEUPOLUS

DVX XLIII.

Electus Anno 1228. obiit Anno 1249.

EPIGRAPHES PRISCA.

Armis recupero Iaderam, legesque reformo.





PAri merito, parique urnà cum Principatum prænsarent Iacobus Theupolus, & Rainerius Dandulus; datum Fortunæ arbitrium, quæ meritis omen addidit, Iacobi Theupoli. Genio iste ferox, consilio prudens, manu validus ex Cretę Ducatu, Dux totius Reipublicæ assumptus, Cretenses qui altera manu ferebant lapides, panem alterà ostentabat; par pari referens, gladio exarmavit, astu decepit. Auditâ obsidione Byzantii à *Ioanne Vatazio* Lesbi Principe, qui cum Ponti Rege Imperium dividere pactus erat, viginti quinque triremium adornatâ Classe, ducibus *Leonardo Quirino*, & *Marco Gussono* vix Hellespontum venit, quod in illius faucibus hostem offendens, pugnâ initâ cruentâ locum tenuit, & victoriam.

Acce-

Accepere vindices loco præmii, Lanceam quæ Christi mortui latus aperuit: Spongiam quâ potatus; & Sudarium, quo involutus, cum parte SS.Crucis, quæ postea S.Ludovicus redemit. Prostratus *Vatazius* surrexit audacior; Classe namque Venetâ redeunte, graviore ipse apparatu Vrbem aggreditur, ut à *Ioanne Michaele* Byzantii Prætore vinceretur tertiò, paucis in eum eductis triremibus, tentataque veriùs quàm initâ pugnâ, clade funditur miserabili: victoriam procurante haud militum multitudine, sed animorum constantiâ. Sub hæc tempora, propter Imperii & Sacerdotii discordiam in factiones Italiâ discerpta; Pontifici quæ studebat Romano, *Guelfa* dicta; quæ Cæsari, *Gibellina*. Gallia Cisalpina præcipuè tyrannidem passa Ezellini satellitis Cæsarei, qui Patavio incubaverat, cum Vicario Christi malediceret: Veneti ex innatâ pietate adornatam classem sub Ioanne Theupolo Principis filio, in Apuliam immiserunt, quò profectus, Thermolas & Bistricem aliaque Pontificiæ ditionis castra Sedi restituit Apostolicæ; Cæteam (navium ea tempestate nobilissimam, quæ mille viros ad pugnam ferebat instructos, in Sipontino portu diripuit, incendit. A Mari postea in continentem bellum translatum, Duce *Petro Theupolo* Ioannis fratre, Principis filio, quem Mediolanenses in Prætorem asciverant. At non eadem ubique fortuna. Dum enim ad Curtem Novam in Cæsarianos signa confert, capitur, missusque in Apuliam à populo discerpitur furenti. Bebianam eodem tempore ex agro Patavino turrim quatiebat Cæsar, cujus impressionibus profectò illa cessisset; nisi confestim magna navicularum copia in subsidium missa turrim servasset. Anno sequenti (Salutis 1240) Ferrariam *Fridericus* ademit Ecclesiæ. Veneti qui patriam ipsam Summo Antistiti devoverant, repetitis armis sub ejusdem Principis auspiciis per Padum classem ducunt; dum terrà Legatus Pontificis, & *Actius Atestinus* urbem perstringere adnituntur: Veneti tormentis bellicis muro disiecto, per ruinas ingressi portas recluserunt terrestribus copiis, capto *Salinguerra Taurelio* Cæsaris Præfecto. Victoria hæc pluribus decorata privilegiis, Venetum etiam Prætorem à Ferrariensibus eligendum perpetuò firmavit: elegeruntque primum *Stephanum Baduarium*, qui turmas deduxerat Pontificias. In regressu erat Veneta Classis spolia dividens; quum Iaderæ nova defectio. In eam missus *Rainerius Zenus*, terra marique rebellem urbem, duobus mensibus flagellavit, domuit, & jam sextum Imperio Venetorum substravit, Colonia eò traductâ, quæ fidem Barbaros edocèret. Legionariis tandem Feciales adiecit, quinque viris, qui domi pacem cura-

rent

rent domesticam. Officium etiam *Petitionis* erectum, quod Venetis jura diceret, non jura daret. Et quoniam veteres Legum tabulas malus Ignis ademit: ingenio Princeps nova edidit jura suo. Exemplum addidit moderationis, diademate posito: ut tutiùs viveret inter privatos, & ibi disceret, Imperare sibi. Gloriosum Principatum Templo absolvit DD. Ioanni & Paulo posito: ubi se humandum jussit, ut in consortio gemellorum Martyrum, Carnis expectaret Resurrectionem.

Lege Sabellicum, Sansovinum, Petrum Iustinian. Petrum Marcellum, Io: Baptistam Contarenum.

EPITAPHIVM.

Quos natura pares, studiis, virtutibus atque
Ædidit illustres Genitor, Natusque sepulti
Hac sub rupe Duces Venetum clarissima proles
Theupula, collatis dedit hos celebranda triumphis.
Omnia præsentis donavit prædia Templi
Dux Iacobus, valido fixit moderamine leges
Vrbis, & ingratam redimens certamine Iadram,
Dalmatiosque dedit patriæ post Marte subactos
Graiorum pelago maculavit sanguine classes
Suscipit oblatos Principes Laurentius Istros,
Et domuit rigidos ingenti clade cadentes
Bononiæ populos: hinc subdita Cervia cessit,
Fundavere vias pacis, fortisque relicta
Re, superos sacris petierunt mentibus ambo.
Dominus Iacobus obiit M C C L I.
Dominus Laurentius obiit M C C LXXIII.

M A-

MARINVS MAVROCÆNVS
DVX XXXXIV.

Electus die 13. Junii 1249. obiit Anno 1252.

SCHEMA VETVS.

Primiceriatum baculo, Mitraque ornavi.




Arinus Maurocænus, primus eorum, qui novo electionis genere Princeps dictus Reipublicæ, quam ipſe Præturis,& Legationibus procuraverat. Annis quatuor Imperium abſolvit, ſed legibus munivit æternis, Tyrannis domitis, qui undiquè ſolium lacerabant. Nutantem Cretam ſeptuaginta quinque Patrum, Civiumque Coloniâ veluti columnâ fulcivit, & Feudi jure Fidem firmavit, reſtitutis accolarum frequentiâ ædificiis, ut veterem Cydonem in Cydone quæreres. Claſsicum Romano canente Pontifice in *Ecelinum*, Patavii tyrannum, Crucem ſumpſit, qui ex obſcuris natalibus ad Regiam propè evectus Majeſtatem, univerſam penè Galliam præmebat Ciſalpinam, annuente Friderico

rico

rico II. Imperatore, cujus partes impigrè tuebatur Tirannus adversùs Ecclesiā, ac Impius, & audax supra triginta hominum millia teterrimis sustulerat suppliciis. In hoc monstrum junctæ Venetorum copiæ cum milite Pontificio, *Ansedinum* Ecelini nepotem, Patavii pręfectum ad Corregiolam obvium habuere; sed inde submotum, vicinisque castris expoliatum, fugientem inclusere Patavii, in quod admotis machinis, per Pontem Corvum Veneti irrepsere, postea per Altinatem portam, urbem totam expugnarunt. Hoc recepto *Ecelinus* nuntio, Mantuanam solvit obsidionem, Patavium accurrens, quod grandi vallo circundatum furenti, & irruenti nihil respondit. Quare spe urbis redimendæ frustratus, in ultionem versus, quos ad duodecim millia suis habebat in castris Patavinos, ad unum necari jussit. Meritas tamen non evasit pœnas; ad Abduam namque interclusus à fœderatis, vulneratus mortem sibi conscivit. Pontifex Deo, & Venetis victoriam testatus, D. Marci Primicerium Phaleris decoravit Pontificiis. Inter triumphos Maurocænus ex Curià morte decessit, in vestibulo exceptus D. Marci. Ejus Tessera Gentilitia prima omnium, Senatus Consulto, delubri pariete pependit, ut in eo veluti in speculo se adornarent posteri; & moribus non aberrarent ab eo, cuius stemmate gloriarentur.

Lege Sansovinum, Sabellicum, Petrum Iustinianum, Petrum Marcellum, Io: Bapt. Contarenum.

EPITAPHIVM.

Hic requiescit Marinus
Merocenus Dux.



R A.

RANERIUS ZENUS

DUX XXXXV.

Creatus die 25. Ianuarii Anno 1252. obiit Anno 1268.

VETUS ELOGIUM.

Ex Acre pulsos Genuenses das Mare victos.





VEnetiis Roma resurgit; & in eam, Ianuæ refloret Carthago. Hic multos Annibales; ibi plures Scipiones, quorum unus Ranerius Zenus. Bis iste merito, ac suffragio Princeps, nihil Fortunæ intulit in thronum, à quà post obitum Theupoli prohibitus, scandit tandem virtute. Ex Firmanæ Vrbis præturà, ad thronum vocatus, Venetias descendit quatuor stipatus triremibus, Marco comitante Ziano. Sub hoc Principe Ecelini deleta propago; ne in domo nefarià scelera renovarentur, & vindictæ. Levis inde causa cum duas potentissimas nationes in apertum concitasset; odium tandem Ligurum erupit, & invidia adversùs Venetam Maiestatem. Tyri & Ptolemaide cum Forum, Curiam, Ædes possiderent Veneti, testimonia per eos *Syriæ Redemptæ*, & nihil cum Ligure tenerent commune præter templa; de cœnobio S. Sabbæ exorta

con-


contentio utrumque Romam traxit, ubi Papa tam Venetis, quàm Ianuensibus declaravit commune; sed minimè isti acquiescentes decreto, cum sacram domum, pulsis Venetis, in arcem erexissent, æmulum iniuriâ provocarunt illatâ. Classe itaque xiii. triremium è Tyri portu eductâ, Ptolemaidem venère, ubi tres & viginti novem Ligurum onerariæ jacebant in anchoris, subitoque tumultu refractâ catenâ, omnes oppresserunt incautas: indè Sabbæ fanum, quod opere communiverant tumultuariò, eodem impetu recipiunt, receptum diruunt. Eâ clade magis irritatus Ligur quàm territus, quadraginta triremes, naves cæteas decem ex Italiâ in Venetos ducit. Veneti & ipsi mirâ celeritate triremes quindecim, onerarias decẽ, duce Andrea Zeno instruxere. Qui Ptolemaide erant, minora & ipsi navigia circiter quadraginta, cæteas decem adiecère. Iuxta Ptolemaidem concursum magnis utrinque viribus & odiis, ad Venetos tamen inclinante Fortunâ tanquam validiores, Pisanæ societatis incremento. Fuso itaque fugatoque hoste, pluribus demersi triremibus, naves viginti quinque captæ dicuntur. Victoriæ appendix incendium fuit omnium ædium, quas Ptolemaide tenebant Ligures: donec Pontifice intercedente aliquot captivorum millia manumissa sunt. Non diu tamen Venetis victoria stetit. Michael Paleologus junctus Liguriè Byzantino solio Baldovinum, Venetumque Prætorem Græcorum proditione deturbat Anno octavo & quinquagesimo postquàm illud Galli, Venetique coniunctim habuissent. Pari sydere in sinu Tessalonico agitati Veneti palmam cessere Liguri. Vices tamen alternante Fortuna, Venetus Eubœa potitur, & Ianuensi cruore Propontis erubuit. Ad Drepanum totis viribus concursum, ubi Mare penè concussum. Vtraque natio pugnandi avida, spectantibus Siculis, per multas horas, certamen miscuit incerto Marte. Venetis tandem adhæsit Victoria, captis xx. triremibus, combustis reliquis, remigum militumque ad satietatem numero in vincula abducto. Ex nostris non paucos Mars, Mare absorbuit. Palæologus auditâ Ianuensium clade, de se, sociisque actum timens, cum Veneto victore inducias juravit quinquennales excluso Ligure; qui in adversis ferocior, ad piraticam versus, Cydonem in insulâ Cretæ diripuit, mercatoriam navem spoliavit. Veneti ut oram Græciæ maritimam ab incursu servarent hostili; circa Methonem triremes locarunt, quibus tutam multos Annos habuere provinciam. Tantis bellis errarium exaruit; cumque ad instruendos navales apparatus pecunia deficeret; nisi pro communi salute nova vectigalia populo imponerentur: Is ea non tàm indignatione, quàm seditione reiecit, directis in Curiam armis, lapidibusque in

Prin-

Principem, qui plebi occurrerat furenti . Plures etiam Patritiorum domus expilatæ; Senatores ad necem quæſiti, donec promiſsà abrogatione tributi, ſeditioſa turba quievit; habità tamen in contumaces quæſtione, atque ſupplicio, ut cæteris exemplo eſsent: ſeditiones auctori ſuo numquàm ceſsiſse fœlices. Ab hac die Princeps ſemper mæſtus apparuit, & tædio Mortalitatis conſumptus in Gemellorum æde, exuviis poſitis, Cœlos conſcendit, Anno ſui Principatus Decimo ſeptímo.

Lege Sabellicum, Sanſovinum, Petrum Iuſtinian. Petrum Marcellum, Io: Baptiſtam Contarenum.

Ranerium Zenum primum in coronatione ſuà Cornu novaſſe Ducale, coronà adiecta vel circulo aureo, Sanſovinus eſt auctor *lib. xi. de dignitate Principis* minimè ſibi conſcius hanc novitatem per eumdem Sanſovinum, contigiſse Anno 1249. Ranerium verò Zenum regnare cœpiſse, Anno ſolumodo 1252.



LAVRENTIVS THEVPOLVS
DVX XLVI.

Electus die 23. Iulii 1268. obiit 16. Augusti. Anno 1273.
Principatus Anno V.

MONIMENTVM ANTIQVVM.

Claustra Marina tuens, profligo Bononienses.

XLVI.





Hronum Iacobi patris occupat filius Laurentius Theupolus, electionis jure non sanguinis. Non alium namque Regem habent Veneti, præter Deum. Vterque Princeps, merito genitor, Fortunà genitus. Inter namque Ranerium Dandulum, & Iacobum Theupolum æque diviso Quadraginta Virali Collegio, ut à Calendis Martii, ad Nonas Maii nullus eorum excederet viginti suffragia: in Iudicem adscita Sors Theupolum prætulit, quem propterea Zianus Princeps adhuc viuens in asceterio D. Georgii, quamvis affinem Bizantini Cæsaris, cuius filiam Laurentius in vxorem duxerat; & Ianuensibus illatà clade fulgidum sprevit tamquam Fortunæ filium, non Iustitiæ; quæ in posterum ut sacræ Ducum electioni sola praeesset; unum supra quadraginta addidere suffragium; dispar namque numero Deus gaudet, & sicut Vnitas in Trinitate, ita Trinitas in Vnitate perficitur. A *Iacobo Baseio* Eligentium seniore, populo expositus, in occursum & obsequium

quium habuit Capita Artium, more vetusto. Regia illi conjunx Rascæ Regis filia, convivio exhibito, juxta leges patrias, dum similes nuptas Natis afferre parabat, Iacobo nempe primogenito, Illyricam Principem, auri gazà, & oppidorum dominio prædivitem: Petro sècundògenito matronam Vicentinam: Patres non adprobauère conjugia, imò lege Ducibus interdixère futuris, eorumque filiis; fœminas nè ducerent alienigenas. Princeps assumptus, Hominum, Deorum, Naturæ petitus fulminibus, adversùs steriles campos, ingratos homines, feroces hostes conserere cogitur. Ligur primus inter Tyrum, & Ptolemaidem quamvis numero fortior succubuit, inducias rogavit, ut vires instauraret ad vindictam. In Mari prævalente pirata, à quo infida & periculosa nostrorum ad frumentationem in Apuliam navigatio; ad gentes placuit vicinas confugere, quæ paulò ante Ecelini tyrannide liberatæ, cum gratæ & memores sperarentur beneficii, immemores & ingratæ repertæ. Ferrarienses, Tarvisini, præcipuè Patavini non ęre, non precibus flecti potuerunt, ut frumentationem suis in agris permitterent. Ad vindictam itaquè Senatus novam de Portoriis legem vulgavit in eos, qui cum navibus intra Phànaticum sinum, & Padi ostia navigarent. Id ægrè passi Bononienses, bellum illicò indixère, nisi decretum vectigal Senatus revocaret. Risit Princeps minas populi insanientis, ad triennium bello protracto, ut sensim hostis dilaberet. Primo impetu cladem Venetus subiit funestam: quadraginta nàmque hominum millia in castris Bononienses habuisse proditum est: alterà tamen pugnà, cæsæ aciei dedecus, hostium sanguine delevit. Fracti Bononienses pacem his conditionibus acceperunt: ut suo diruto ad Primatium castello, quarumdam rerum asportatione permissà, libera Padi ostia Veneto relinquerent. Anconitani & ipsi Bononiensium exemplo non nihil movere ausi, ad Gregorium X. R. P. appellarunt; sed nihil innovatum. Princeps septem Annos cum Fatis luctatus, insidiis petitus *Dolce* gentis, mœrore cotabuit ad DD. Ioan: & Paulum tumulatur.

Lege Sabellicum, Ioannem Baptistam Contarenum, Petrum Marcellum, Petrum Iustinianum, Sansovinum, apud quem legimus *lib.xi. de dignitate Principis*, in electione Laurentii Theupoli, Anno 1268. morem coaluisse creandi Principem, quem adhuc Patria servat inconcussum, præcipuè Electorum quemlibet adprobandum vel reprobandum suffragiis Supremi Consilii.

EPITAPHIVM.

Commune duobus Principibus Iacobo, & Laurentio Theupolis lege sup. pag. 92.

IACOBVS CONTARENVS

DVX XLVII.

Electus die 6. Septembris. Anno 1273. Cornu posuit die 5. Martii. obiit die 6. Aprilis. Anno 1280.

ELOGIVM VETVSTVM.

Fit Iustinopolis Venetorum subdita regnis.





THeupolo Iacobus Cõtarenus ex Procuratore D. Marci octuagenarius subrogatur, Dominici Contareni olim Venetorum Principis recta propago, quum inter Bellum & Pacem nutaret Sæculum. Iustinopolis specioso libertatis titulo, Veneto ejecto Prætore in obsequium declinaverat Patriarchæ Aquileiensis, qui imperii avidus adversùs Andream Basejum urbem repetentem armatus accurrerat. Sed quia bellum facilius geritur quàm fœliciùs, primo certamine in fugam actus hoc unum profuit; quod nostràm geminavit victoriam. In Anconitanos etiam jam lata de

Por-

Portoriis lex iterum in pugnam traxit, minimè eis suffragante tutelà Pontificis. Nostrà namque victi constantià pacem ea conditione acceperunt, ne onus detrectarent impositum. Ligures prędà restitutà, quam ab onerariis nostris extorserant, pacta sanctè servarunt. Domi nè Venetæ purpuræ, spurio sanguine splendor occumberet, Nothis Magistratus interdixit. Murano in speciem urbis, Templis, cœnobiis, ac viridariis producto Prætorem dedit: Ioannis Saraceni conspirationem dissipavit, conjuratorum sumpto supplicio. Patavinis & Tarvisinis, qui ingrati sæviente caritate, Annonam negaverant, magnificè indulsit, minimè pensatà sceleris attrocitate, sed Principis maiestate. Mantuanos civili discordià laborantes, interprete Marco Sesendulo composuit. Solam ætatem cum superare haud posset Nonagenarius, Principatu sponte deposito, in domum secessit Boccassam, in vico positam S.Lucæ, ubi donatus sumptibus publicis, paulò post naturæ concessit, ad Minores sepultus.

Sabellicus, Petrus Justinianus, Sansovinus, Petrus Marcellus, Io: Baptista Contarenus.



IOANNES DANDVLVS

DUX XLVIII.

Electus Mense Aprili; Anno 1280. Obiit Mense Novembr, Anno 1289. Principatus IX.

EPIGRAPHES ANTIQVA

Insula Piranum Subduntur: cudo Ducatum.





HAbent ſua Sydera vitia; nõ tàm hominum iſta, quàm temporum: Homines propterea purgantur & tempora. Vrbs adeò ſorduerat Veneta, ut dilui haud poſſet abſque diluvio: ita inundavit Mare, ut penè enatare viſa ſit civitas. Ingens ad hæc Motus terræ alluvionem ſequitur, ejuſque tremore excuſsæ corruere moles. Hoc Claſsico Cœlum, Chriſti fideles excitabat in Syriam, ubi ſuperba Babylon Æthiopes armabat in Deum. Dandulus ex Cherſonæ Comitatu ad thronum vocatus, quo Idumeæ minùs accurreret, Bello Carnico moratur & Aquileienſi. Ad coercendos Hiſtriæ rebelles progreſsa Claſsis, principem ſeditionis habuit Patriar-

Patriarcham Aquileienſem, qui impetu territus Venetorum in fugam dilapſus, Hiſtros domino permiſit priori. Claſſe recedente, Aquileienſis iterum non tam ſuis, quàm Goritiani Comitis auxiliis ad ſpem melioris fortunæ reverſus, Hiſtriam ſecundò ad defectionem compulit. Hinc denuò immiſsà Claſſe Tergeſtum rebelle oppidum promotis machinis impetitum, ſed fruſtra: ad minora officià noſtris Ducibus cum maximà copiarum parte dilapſis. In Syrià etiam peius res geſta; gliſcentibus Chriſtianorum diſsidiis, Hieroſolyma Chriſti natalibus, morte, reſurrectione ſanctiſsima, à Saladino expugnatur, pactis illicò cum Veneto induciis, nè in ſe totam concitaret Europam. Paratur interim à Romano Pontifice miles, & apud Venetos ſtabat in anchoris claſsis, quæ dum lento gradu Ptolemaidem petit, elapſo induciarum tēpore, Sultanus Babylonicus Tyrum, Sidonem, Tripolim, Berythum expugnat, diruit: indè Ptolemaidem cum ſexaginta equitum, peditum centum ſexaginta millibus ducit, Non. Aprilis. 1291. Stetit hæc aliquandiu ſola Venetorum virtute: & innumeris cincta legionibus, nulliſque ab Europà allatis ſuppetiis urbs corruit miſeranda, non ſine infami Europeorum notà, totà amiſsà Syrià, quæ Annorum fermè CC. labore à majoribus noſtris parta fuerat. Ita namque in eà vivebant Chriſtiani, ut maluerit Deus eam ab inimicis ſuis incoli, quàm à viris conſecratis prophanari. Agnovit Dandulus iram Dei, quam ut declinaret, ſeveris legibus laſcivam morum licentiam cohibuit. Primus is, qui Aurum Venetiis cudendum voluerit; argumentum ſæculi ferrei; quòd peſtillenti metallo Iuſtitia ipſa vix incorrupta reſiſtat. Novem Annos Reipublicæ præfuit, & ad DD. Io: & Paulum ſepelitur.

Sanſovinus, Sabellicus, Petrus Marcellus, Petrus Iuſtinianus, Io: Bapt. Cont.

EPITAPHIVM.

Dandalei Generis magna virtute Ioannem
Hæc brevis illuſtrem continet urna Ducem.
Claruit in magnis eius ſapientia rebus,
Quem monſtraverunt ardua facta probum;
Conſilio pollens, ſenſu maturus, acutus
Ingenio prudens, eloquioque potens.
Præcunctis patriam ſummo dilexit amore
Illius ad regimen providus, atque vigil.
Anni dum Chriſti currebant mille ducenti
Octogintanovem, ſpiritus aſtra petit.
Qui defunctorum fruitur ſuffragio, luce
Decedens mundo conſociatur eis.

PETRUS GRADONICUS
DUX XLIX.

Electus die 25. Novembris Anno 1289. obiit xiii. Augusti. Anno 1313.

INSCRIPTIO ANTIQVA.

A faciendo ſalem Paduanos Marte coegi
Vrbem purgaui, propulſis ſeditioſis.





MOrtuo Dandulo, Iacobus Theupolus à ſeditioſo populo poſtulatur in Ducem. Is autem ſibi imperare malens, quàm Reipublicę cum tumultu, Marochium ſeceſsit, ibique latuit, donec Patritiorum ſuffragiis ex Iuſtinopolitanâ Præturâ vocaretur ad ſolium Petrus Gradonicus ætatis Annorum duo de quadraginta, qui diem S. Catharinæ ſacrum feſtum volvit, uti ſuæ aſsumptionis anniverſarium. Andreas per id tempus, Rex Pannoniæ, Stephani ex Tomaſinâ Maurocenâ filius Venetum ingreſsus theatrum non tàm domum ſubiit maternam, quàm ſigna uſurpavit gentilitia, albâ tantùm Cruce cum parvo circulo illis adjectâ. Sequutum inde

Bellum

Bellum cum Genuensibus quintum (quamvis à Barbaris occupatà Ptolemaide, quæ odiorum causa videbatur) ex solo livore, & Imperii libidine, Maris Imperium sibi arrogante Ligure. Huius prima in Pisanos injuria Venetorum socios ad Lamellam insulam: quorum ultio Rogerio commissa Mauroceno cum LX. triremium classe. In Ponto iste Euxino, Peram combussit hostium refugium, Folia vetera iniectis flammis solo æquavit. Pari fęlicitate *Ioannes Superantius* in Thracià Caffan debellavit negotiationis emporium. Inde in Tauricam Chersonesum progressum, ubi frigore nautæ & milites debilitati & penè debellati, liberum aperuere Mare *Lampadio Auriæ*, qui cum lxx rostratis litora omnia perturbavit. In eum xc navigia armata tumultuariè, Duce *Carolo Dandulo*. Ad Corcyram Melæan occurrerunt forti quidem, sed infausto Marte, nostrà profligatà classe, *Dandulus* ipse captiuus hostilem ornaturus triumphum, nisi generosà morte se eripuisset ignominiæ, Venetis tamen non inultis: hostis namque suo sanguine madens, majora non ausus fugienti similis Adriaco excessit. Mutato Duce in *Marcum Baseium*, non est mutata Fortuna. Ad Hellespontum petitus ab hoste, & numero circumventus, fortiter præliando cessit numero, non virtuti. Tantis malis minimè prostrata Respublica, viribus tertiò refectis, Duce *Dominico Slauvo* cum paucis navigiis in Liguriam transmisit, cuius oram maritimam rapinis, incendiis vastavit, in ipsoque Genuæ portu ad ciuium contumeliam plura demersit: inde recedens duas triremes oppressit, & more triumphantis puppibus adligatas Venetias remulcavit. Pax tandem magis necessaria quàm voluntaria composita; cum ambarum nationum vires extremo penè consumptæ essent excidio. Ex orà Ligusticà Patavium navigavit Bellum, cum quo fœlicius decertatum; & Patavio in Cretam remeavit adversùs *Andronicum Paleologum*, quòd vectigal, vel acceptam mutuò pecuniam solvere recusasset. Septem supra viginti triremes missæ Duce *Benedicto Iustiniano*, qui tractum maritimum Byzantini Imperii desolavit, pluribus occupatis navigiis, Græcorumque pluribus in captivitatem ductis, quos omnes laqueo sustulit memor fraudis, quà Veneti cum Balduino fuerant eiecti Byzantio. Hoc metu Paleologus debita solvit. Bello sedato externo, plusquàm Civile Domi grassatur, *Marino Bocchonio* adversùs Principem plebem excitante. At cum auctore repentè opprimitur, qui unà cum sociis supplicio sublatus capitali. Populari seditioni Patritia successit, diem ultimum dictura Reipublicæ; nisi Cœlum in Parricidam, Ventorum, Imbriumque armis depugnasset. Baiamons Theupolus sanguine

clarus

clarus, divitiis affluens laxatis insolentiæ habenis cum pares negligeret, superiores nō admitteret, totam tandem cępit abhorrere Rempublicam. Origo discordiæ à simultate cum Dandulà familià cui Princeps *Petrus Gradonicus* nimio plus fauere videbatur, q ''que *Iacobo Theupolo* Baiamontis patri (frustra eum in Principem populo deposcēte) prælatus fuerat; ipsum propterea Principē primò, Baiamons cæterosque sibi invisos confodere cogitavit, & si quà cederet, Imperium occupare. Sceleris instante die, Cœlū densatis nubibus procellosoque tonitruū gemitu, & crebra fulgurum corruscatione damnavit, dissuasitque. Minimè tamen contumaces terruere portenta; nec fama patefactæ conspirationis. Tumultuariè namque ad arma vocati, qui libertatem patriæ desiderarent: in Foro Marcianò manus conseritur: Libertas in medio constituta à civibus amittenda, vel conservanda. Huic post cruentam pugnam victoria adfuit, fugiente Theupolo cum perduellibus, per viam mercatoriam, quem manus mulierculæ mortario è fenestra projecto concidisset; ni vexillum in alterius manu vetulam decepisset. Conjuratione extinctà, de proditoribus sumptum judicium, publicatis eorum bonis, ædibusque dirutis. In parricidam pessimis artibus reditum molientem in patriam rogata lex; ut quovis ære proscriptus interficeretur. Decemviri insuper constituti ad patriæ munimentum, quibus datum ius ligata solvendi, ligandique soluta. Victoriæ monimentum servant adhuc Convivium Anniversarium die 15. Iunii D. Vito & Modesto sacra à Duce exhibitum: portæque ligneæ palatii Theupoli dono datæ Templo dictorum Martyrum. Lapidea columna erecta ad angulum Ecclesiæ parochialis S. Augustini. Tantis malis hoc unum deerat, ut sextò quoque Iadera deficeret. Tantis motibus concussus Princeps, non sine veneni suspicione Anno Imperii XXIV. Muriani quievit ad D. Cypriani ædem.

Lege Sabellicum, Petrum Iustinianum, Petrum Marcellum, Io. Bapt. Contaren.

Sub hoc Principe cum diem clausisset extremum Bertucius ejus filius; mandavit Senatus eadem pompà funeris, ad tumulum duci, quà Procuratores D. Marci. *Sansovinus lib. 11. de Princip. dignitate*. Carmina Italica incisa columnæ.

De Bagiamonte Tiepolo fu questo terreno,
E mo è posto in commun, accioche sia
A chiaschedun spavento per sempre, e sempre mai.
Del mille tresento, e diese:
A mezo il mese delle ceriese
Bagiamonte passò il ponte,
E per esso fò fatto il Consegio di Diese.

M. A.

MARINVS GEORGIVS
DVX L.

Electus Mense Septembri Anno 1313. obiit die 14. Iulii. Anno 1314.

ELOGIVM PRIMVM.

Tempore meo rexi Iaderam, & rebellantem purgavi.





AD Marini Georgii promotionem conveniunt Sanctitas, & discordia. A morum probitate sortitus cognomen *Sancti*, solo aspectu Electores discordes ad sui compulit electionem. Auram captantes ad fenestram, Georgium cum inspicerent casu prætereuntem, tamquam à Deo missum, voce iubilationis, *Io: Sancto*, acclamarunt in Ducem. Ab illà die cautum, vt Electores in Conclavi clausi, occlusis ianuis atque fenestris, nec prætereuntes videant, nec videantur. Toto suo Principatu Solem numquam aspexit serenum, nec mare tranquillum. In Iaderam rebellem imissà classe, Duce Philippo Belegnio, & *Dalmaso* homine Hispano, qui castris præesset, auro iste pollutà fide,

fide, rebelles potiùs firmavit. Fraude tandem detectâ, dum proditor seditiosis ipsis invisus aufugit, ulciscente Numine, mari penè obrutus, gazâ naufragio amissâ nudus appulit in Apuliam. Iaderenses spe nullâ in armis dolisvè repertâ, deditione factâ eas conditiones acceperunt, quibus cohiberi solet levitas seditiosa. Fulmèn accessit Clementis V. R. P. ob Ferrariensem causam, cujus clavibus cum desperaret Cœlum reserare Georgius, D. prænsavit Dominicum, ei privato sumptu Fanum ædificando, ubi frequens Collegium, quod sacris operaretur instituit, adjuncto Nosocomio, in quo languentibus Procuratores D. Marci, victum subministrarent, hoc voto Curatores perpetuò designati. Ipse verò quum per hæc pia opera, decem Menses Reipublicæ præsuisset, octuagenario major cadens ad sepulchri saxum, ad DD. Io: & Pauli alliditur, occulto sarcophago, nè populi pietate cadaver discerperetur, quod turba inquirebat devota.

Sabellicus, Petrus Iustinianus, Petrus Marcellus, Io: Baptista Contarenus, Sansovinus in ejus vitâ. & *lib. xi. de Principis dignitate.*



IO:

IO: SVPERANTIVS
DVX LI.

Electus Mense Augusti, Ann. 1314. ætatis suæ 71. Obiit cadente Decembri 1328. Principatus sui Ann. 14.

VETVS ELOGIVM.

Tragurium, Spalatrum, & Sebenicum sub iuga mitto.





IO: Superantius ſanguine clarus, divitiis affluens, vultu ſeverus, ingenio mitis, fortunæ, hominum, Elementorumque ferociam, quæ in Rempublicam conſpiraverant, ſuperavit, eaque indulgentià Iaderenſes in fidem recepit, ut januam eis quaſi aperuerit ſeptimò rebellandi. Procuratorum tunc D. Marci numerus auctus: Sacris Reſpublica reſtituta, interprete *Franciſco Dandulo*, cognomento *Cane*; non quod ferreà vinctus catenà ad menſam proſtratus Pontificis jacuerit; hoc enim & in Sacerdote ſuperbiam; & in Legato abiectionem argueret; ſed ex cognomine, quod in Republicà familias quandoque ſecernit. Victà Clementis irà, in Venetos verè clemens reſcripto prohibuit; ne

amplius

ampliùs à Romano Pontifice Veneti ſpiculo tam lethifero peterentur. In piratas poſteà miſsus eſt *Iuſtinianus Iuſtinianus* cum quadraginta triremibus, vectus in Ponticum, aliquot prædonum naves circa Boſphorum Thracium, incendit, Peram obſedit, cujus oppidani penſatis damnis pacem rogarunt, & impetrarunt. Hæc foris: Domi urbs in urbe poſita, in quà Martis, Vulcani, Neptunique triregnum. Eò nullus alius ingreditur. Iupiter ipſe inter ipſorum imbres nonniſi fulmina conflaturus & tonitrua. Ab hoc navali armamentario educta iterum Claſsis, quæ novam Cretenſium defectionem compreſsit. In *Martinum Scaligerum* tandem bellum recruduit, cujus tyrannide Patavium præmebatur; nec priùs arma poſita, quàm Patavinis etſi ingratis libertas reſtituta. Venetis namque anathemate Clementino notatis, nullus Patavinis infeſtior fuit. Sexdecim Annos, & ſex Menſes Superantius Rempublicam geſsit, eà abundantià in urbe relictà, ut cibaria vileſcerent; & paucis obulis menſam inſtrueres ad ſaturitatem. In eo nunc Sacello D. Marci jacet, ubi Baptiſmi lavacrum viſitur, ſine Epitaphio, cum inſignibus tamen Gentilitiis.

Sabellicus, Sanſovinus, Petrus Iuſtin. Petrus Marcellus, Io: Baptiſta Contarenus, quo teſte, Anno 1328. decrevère Patres, ut ad decorem publicæ Maieſtatis ornaretur Cornu Ducale, pretio ducatorum 1500. *lib. 11. de dignit. Principis*, quamvis hodie pretio æſtimatum ducatorum centum & quinquaginta mille, pro ſolà Coronatione reſervetur. Minoris pretii, ſed ejuſdem formæ alio dietim permiſſo, ſine quo ex lege in publicum prodire Dux non permittitur *Sanſovin. lib. 11. de dignit. Princip.* Eodem proponente Principe Superantio, Anno 1320. decretum; teneri Principem decies ſaltem in Anno exire cum Alpino ſuperpelliceo, vel Monili, ita appellatur à Bernardo Iuſtiniano, quo humeros pectuſque cooperit uſque ad cingulum; Legum argumentum, quas Princeps in pectore claudit imperio Legislator, moribus executor, quorum candorem excitat candido ſuperpelliceo.

FRANCISCVS DANDVLVS DVX LII.

Electus die 8. Ianuarii 1328. Obiit Mense Novemb. 1339.

EPIGRAPHES ANTIQVA

Marchia tota diu mecum bellando subacta
Tarvisium tandem sub mea iura dedi.





Franciscus Dandulus cognomento Canis, domi consilio latrans, foris hostem dente lacerans, semper fidelis patriam quasi familiam pater potiùs, quàm Princeps distribuens, Vallenses & Polanos, qui olim defecerant, ad ultroneam deditionem revocavit, gravi Patriarchæ Aquileiensis indignatione, qui repentè illapsus in Histriam, ut illam armis repeteret, Iustinianum obvium habuit cum copiis, à quo fusus & turpiter victus Histriam deseruit, & provinciam suam nobis diripiendam aperuit. Per ea tempora *Thomas Viarus* quamvis classe validior dum temerè in Ligures irruit, ictu oculi, amissis triremibus, parvo ipse navigio Venetias recessit, ubi trusus in carcerem vitam posuit, memorabili exemplo ducibus, non speciosa sed necessaria sequenda consilia. Turcæ interim sub Amurathe, Ligurum ope, in Europam traducti,

cti, occupatis nonnullis Græcorum provinciis, ita Mari prævalebant Ægeo, ut in Orientem navigantibus nil tutum relinquerent. Legationibus excitati Reges; irruenti tempestivè occurrere, si salvam vellent Italiam: Contulit Gallus nomen vires Pontifex & Respublica ad Italicæ præsidium libertatis. *Petrus* enim *Zenus* Venetarum triremium ductor hostem in Ionio navigantem demersit, Græca litora Barbarorum prædis referta spoliavit, & omnium primus de Turcis triumphavit. Piratis tandem cum Mare purgasset, Smyrnam applicuit, urbem fœliciter expugnavit, ingressusque Asiæ Medi erranea, dum sacris de more operam daret, à convolantibus undique aggrestibus interceptus in templo opprimitur; & tanti viri occasu, spes omnis evanuit melioris fortunæ. In Scaligeros tandem Veronæ Principes, qui per aliorum opprobrium, fines dilatabant imperii & in stagnis prope Clodiam, arcem munierant, ut per Padum & Athesim navigantes ad portorii solutionem adstringerent, Legatione præmissà, quia turpiter spretà & irrisà, arma decreta, Dandulo reclamante Principe, percusso cum Florentinis fœdere, qui antea Venetam opem in Scaligeros imploraverant. Expeditione vulgatà Atestini, Gonzagæ, Rex Boemiæ suos Legatos Venetias misère, undè unà die sexaginta Europæorum Principum Oratores adfuerunt in urbe. Curà *Petro Rubeo* Parmensi Principi, castrorum cōmissà, geminoque Legato *Marco Cornelio*, & *Andrea Mauroceno*, qui brevi Tarvisino Patavinos spoliarunt imperio; Patavii in Principem *Marsilio* subrogato *Carrariensi*, quo magis constaret, in Scaligerum Venetos classicum cecinisse, solius libertatis voto; & ut vicini populi pace fruerentur à Deo datà. His gestis Dandulus ætatem complevit, & Principatū, ad Fratres Minores illatus, ubi in Maiorum quiescit sepulchro.

EPITAPHIVM.

Laudibus innumeris, meritisque parentibus iste
Franciscus virtute nitens clarissima proles
Dandula quem genuit, patriæ venerabilis huius
Dux fuit illustris, qui libertatis amore.
Edomuit fastus tumidos, & vincla re solvit.
Marchia quas dudum nimium quoque pressa iacebat;
Tervisina quidem, vicinaque castra Salinis
Attentata ruit, clara dum rexit habenas,
Quaque decus terraque Mari successibus auxit,
Hic Venetum patriam hosti magis esse timendam
Fecit; at undeno solii præsignis in anno
Decessit fœlix, domini tunc mille trecentos
Ter denosque novem Phœbus devolverat annos
Luxque Novembris erat cunctis celeberrima Sanctis.

Canis nomine, quod hic offendis, cognomen habeas ejus genitori Ioanni, & avo Francisco commune, ut de Francisco ex Scripturis patet privatis. De Ioanne verò scripturâ publicâ apud Sansovinum; epistola nempe Ioannis Danduli Venetorum Principis, Anno 1280. In quâ legitur. *Nos Ioannes Dandulus Dux &c. Facimus, confirmamus, & ordinamus NN. & Sapientes VV. Mathæum Quirino, Ioannem Can Dandulo, & Iacobum Theupulum Ambasciatores &c.* Consonat *Petrus Guilombardut*, coetaneus Francisci Danduli, apud quem legitur: *Franciscus Dandulus filius quondam D Ioannis Can electus fuit Dux Venetiarum & positus in Ducatu, die Veneris octavo Ianuarii* 1328.

Lege Sabellicum, Ioannem Baptistam Contarenum, Petrum Marcellum, Petrum Iustinianum, Sansovinum.

EPITAPHIVM.

Laudibus innumeris meritisque parentibus iste
Franciscus virtute nitens clarissima proles
Dandula quem genuit, patriæ venerabilis huius
Dux fuit illustris, qui libertatis amore
Edomuit fastus tumidos, & vincla resolvit.
Marchia quis dudum nimium quoque pressa iacebat:
Tervisina quidem, vicinaque Castra Salinis
Attentata ruit claris dum rexit habenas
Quaque decus terra, marique successibus auxit.
Hic Venetam patriam hosti magis esse timendam
Fecit, at undeno solii præsignis in Anno
Decessit felix; Domini tunc mille trecentos,
Ter denosque novem Phœbus devolverat Annos:
Luxque Novembris erat cunctis celeberrima Sanctis.



BARTHOLOMÆVS GRADONICUS DUX LIII.

Electus die 7. Novemb. 1339. obiit 28. Decemb. Ann. 1343.

MEMORIA ANTIQVA.

Pacificè rexi, publicumque & mente protexi.

LIII.





Ndream Dandulum V.I. Doctorem, D. Marci Procuratorem, ætate florente, Annorum ſcilicet undetriginta, poſtulante populo, ne videretur cum eo adversùs Reipublicæ libertatem conſpirare, extra urbem ſeceſsit, donec à Patribus, quadraginta virali comitio, Bartholomæus Gradonicus D. Marci Procurator in Principem ſubrogatur, uno & trigintà ſuffragiis. Ætate iſte & conſilio grandævus, & penè octogenarius, ſceptrum ſubiit rugientibus Furiis, Igne, Ferro, Aquà. Templa, Turres, Regiam, antè Martias Calendas, quatientibus undis, ut ſupra tres cubitus præteritas inundationes præſens excederet, novo ex hoc Cataclyſmo civitas non enataſset, ni ei auxiliatores accùrriſsent

rissent Marcus Evangelista cum D.Nicolao, & Georgio, qui urbis patroni Venetæ Reipublicę vigiles Fata custodiunt. Ad fauces Mathamauci portus, navis appulerat Cacodæmonum, ut urbem submergerent iam puræ Religionis asyllũ. In eos opportunè adfuere Cælites cum cymbà piscatorià, quam reluctante sene (qui ex horridà tempestate retrò erararium se noctu receperat) conscenderant, piscatorē urgentes, ut quamprimùm eos ad Mare trajiceret. Quod cũ negaret tempestate deterritus; illi verò arreptis remibus, vellent soli in altum ducere; invitus se remigen prębuit usque ad portũ, ubi rugiebant Dæmones: in quos facto signo Crucis; navem fluctuanti pelago demerserunt; ad quod protinus aquarũ tempestate secutà, unus eorũ ædem proximam subiit; alter ad D. Georgii fanũ devectus; tertius pristinam cymbæ stationem cum piscatore repetiit, à quo licet non religione vacuus ob ea, quæ viderat, naulũ tamen audax petere non dubitavit. Cui ille: *Ad Principem ibis, qui tibi mercedem cumulatissimam solvet.* Haud mihi Patres fidem præstabunt: replicanti Piscatori. *Pignus accipe*, ait Marcus, simulque ei annulum, quem in manu habebat, tradidit inquiens: Nuncia Duci & Patribus, urbē nostrà operà, nocte hac horrendo liberatā diluvio. Et ne quid erres, eũ quem vidisti ædem Nicolai subire, D.Nicolaum esse non ignores: Georgium alterum: me verò Marcum *Evangelistam*; quibus dictis evanuit. Eo pignore confirmatus senex Curiā ascendit, quę viderat, & audierat, enarrat, Annulũ exhibet. Defixit primo Miraculi magnitudo, inde publicæ gratulationes Cęlitibus redditæ: Seni stipendium decretum. Annulus Evangelistæ ex illà die *Piscatoris* dictus Ex Italia verò cum in Cretam adversùs Græcam inconstantiam bellum translatum esset; ubi saltu dumisque fortis Seditio, aperte congredi denegabat; velut anguis in foveà quæsitus, & oppressus vetus iterum subiit imperium. Novissima omnium Fames accessit, quæ jejuna jejunis cadaveribus enutrita; quartam miseræ plebis partem absumpsit. Per hæc tempora Regium illud Conclave, in quo, octavo quoque die Patritio rum recurrunt pro retinendà libertate Comitia, erectum est: ex quo Popiliam, Pelestrinam, Mathamaucum, Torcellum, Medoacum missi sunt Magistratus, ut annonam providerent; cum antea urbes illas maritimas Dux ipse per Gastaldiones gubernaret. Princeps porrò tantis malis impar, mærore sublatus in D. Marci vestibulo conditus jacuit.

E P I T A P H I V M.

Moribus insignis recti basis, indole clarus
Clarior & meritis, patrii servator honoris
Clauditur hoc tumulo, Gradenigo Bartholomæus,
Dux fuit is Venetum, quarto defunctus in Anno.

ANDREAS DANDVLVS
DVX LIV.

Electus Anno 1343. obiit octavo Idus Septemb. Anno 1354.

SCHEMA VETVS.

Alta trium probitas mihi quarto ſuggerit inſtar,
Qui de Danduleà prole fuere Duces.




Ndreas Dandulus Henrici Danduli, qui plenus triumphis, patriæ Byzantinum adiecit imperium, generoſa propago, Rempublicam ornat gladio, calamo ſuſtinet. Ætate adhuc immaturà Procurator dictus D. Marci, munificentià & comitate, quà purpuram Principatum etiam ſibi conciliavit, Annorumque tantumodo tertii ſupra trigeſimum, Senioribus & Senatoribus præfuit. Octava recurrebat Iaderenſium anniverſaria defectio, quaſi de occiſorum capitum ſanguine renaſceretur: quorum exemplo nè tota Provincia deficeret; *Petrus Canalius*, & *Marcus Iuſtinianus* immiſsi, ut terra marique pugnam rebellibus inferrent: Strenuè iſti rem geſserunt; quamvis expeditæ copiæ cum ipſo Rege è Panno-

è Pannonia in rebellium subsidium advenissent; sed Annonà laborantes rediere fugienti similes. Victoriam cumulavit urbis deditio, quæ impetratà veniâ victori & domino se restituit. Sub idem tempus cũ Ægypti Sultano pacta (Romano permittente Põtifice) navigatio Syriaca ad mercium commercium. Domi *tres Auditores* creati, & *Veteres* appellati, ut Advocatorum loco, jura provocationum perquirerent. Leges patrias Princeps ipse proprio stylo notavit, in Codicem congessit, quem *Sextum* appellavit. Libera namque nata Respublica legibus voluit vivere propriis; cum prisci Romani sub Rege nati, à Græcis mutuaverint. Eodem auctore Supremi Consilii leges dispositæ, sub rubricà collectæ, & temporibus distributæ. Pacis otium turbavit Bellum à Superis immissum, Motu Terræ, Agrorum sterilitate, Aeris pestilentià. Primo, ruinà turrium, templorumq; urbs tota concussa, dehonestata. Secundà, quæ à Gradonici principatu invaluerat, pesti associata ferocior reddita urbem penè vacuam reddidit & inanem, ut àd propagationem opus fuerit, oblato jure civitatis extraneos invitare. Nova etiam bellorum funera istæ indixère Præficæ: quorum exordium Iustinopolis, quam *Marcus Iustinianus* (priusquàm externarum gentium robora coirent) in fidem retraxit. *Albertum* Carnorum Regulum, qui Histriam totam cædibus everterat, ex saltibus catenà illigatum Venetias traxit; ubi eiuratà audacià, veniam impetravit & libertatem. In Ligures tandem adornata Classis (qui piraticæ assueti naves Venetorum onerarias prædati fuerant in Hellesponto) duce *Marco Ruzino*, in Carystio portu quatuordecim eorum navibus demersis temerarios castigavit, Chalcidem ductis captivis. Resumptis tamen viribus Ligur Chalcidem restitutus, urbis incendio, cladem pensavit receptam. Exordia hæc durioris dissidii: icto namque inter Græcos, Venetos, & Aragones fœdere, dum *Nicolaus Pisanus*, è Dalmatià in Siciliam solvit, ut Aragoniis se consociaret, turbato mari penè naufragus Methonem tenuit, ubi refectis navibus, curato milite ad obsidendam Peràm reversus, in faucibus Bosphori, cuius inter angustias non poterat fæderatorum classis tota in certamen explicari, Ligurem obvium habet sub auspiciis Pagani Auriæ. Ibi necessariò concursum tanto animo, ut pugnam summo mane initam cadẽtes tenebræ dirimere non potuerint; sed lux altera expectata ad judicium victoriæ. Initio Græci linguà, quàm manu promptiores ad primam Ligurum impressionem averterunt. Aragonii, qui secundum in congressu locum tenebant, Græcorum ignavià exterriti, & ipsi prælio se subtraxère. Conatus omnis in solos Venetos recruduit; continuataque pugna, quoad fessi, nulloque recreati subsidio, victi à victoribus cæsi unà cum *Pancratio*

Iustiniano, qui mori pugnando maluit, quàm turpiter fugiendo gloriam fedare. Auditâ clade Respublica, pudore magis quàm timore resperſa novam inſtruit ad vindictam claſsem, eodem *Pisano* duce, qui fato meliore, ad Peram repetito certamine, hoſticis nonnullis diſperſis; cum cognoviſset triginta Aragonias juxta Cyrnum perculſas eſse, ita opportunè adfuit oppreſsis ſociis, ut hoſtem accurſu terruerit inopinato, fugientemque harpagonibus remoratus, plurimarum navium ſpolio iniuriam vindicavit præteritam: Non propterea ſuperbiam depoſuere Ligures, nativà ipſà libertate neglectà, Io: V. Comiti Mediolanenſium Duci ſe ac Rempublicam permitentes: ut ita quæſitus ab invidia hoſtis adversùs Venetos decertaret. Aleam porro V. Comiti detrectanti, & honeſtis conditionibus pacem petenti negarunt, fato forſan cogente, ut eorum elatio clade proximà retruderetur. Sinum itaque Ligures ingreſsi Adriacum cum quatuor triremibus, Pharum, Curzulam, incendio abſumunt. Veneti dum contra Ligurem, & Inſubrem arma ſociosque procurant; Dandulus Anno Imperii XII. integrà adhuc ætate ex humanis deceſsit, præclarum ſortitus tumulum in æde D. Marci, ad lavacrum Baptiſmi; ſpecioſius verò in ſuis Hiſtoriæ monimentis.

Sanſovinus, Sabellicus, Petrus Marcellus, Petrus Iuſtinianus, Io: Bapt. Cont.

EPITAPHIVM.

Quem reverenda cohors virtutum tempore nullo
Deſeruit, gelidi brevis hæc tenet aula ſepulchri,
Membra valentis erant probitas, cui dogmata ſenſus,
Ingenium penetrans modos, atque profaminis alti.
Nobilitatis opus, morum ſerieſque vetuſtas,
Qui dedit aſsiduos patriæ memorandus honores.
Et quia clara ſonant populis ſua geſta per orbem,
Plura ſinit calamus meritò recitanda notare.
Dandula quem ſoboles peperit generoſa Ducatum,
Andream omnimodam Venetum ratione mentem.
Septima dumque dies Septembris mille trecentos,
Quatuor at decies iam quinque dediſſet obivit.

Corrigentibus Franciſco Petrarcha, & Benintendi magno Reipublicæ Cancellario, incisa fuiſse præſentia carmina, auctor eſt *Io: Stringa.*

M A-

MARINUS Vel FALERIUS PHALETRUS

DUX LIV.

Electus 11. Septembris Anno 1354. Capite plectitur xv. April. 1355.

IUDICIUM PUBLICUM.

Temeritatis meæ pœnas lui.



Efuncto Dandulo, Principatum accepit Marinus Phaletrus Eques & Comes Marinæ Vallis, ingenio, divitiis, natalibus, regimine clarus etiam apud externos, sed usque ad insaniam iracundus & furenti similis. Prætor namque cum esset Tarvisii, & publicæ supplicationi interesse deberet, in quâ Sacratissimam Eucharistiam deferre solebant Episcopi; moræ impatiens, Episcopum serò advenientem alapâ percussit gravissimâ, ut senem præsulem quasi in terram deiecerit. Absens Princeps assu-

mitur, dum Avenione apud Pontificem; Legati munere fungeretur. De suà clanculò electione instructus rediit, duodecim ei occurrentibus Legatis, qui in patriam reducerent: Noctu in urbem accessit. Mare sævientibus & tempestate prohibitus ad ripas Ducales appellere, sub obscuram noctem per geminas columnas, ubi reis capitale irrogatur supplicium, medius incedens, quasi gressu fatidico Dux præmoneretur superbus recta agere, & gladium timere justitiæ, quæ in solo libertatis, æquo pulsat pede pauperum tabernas, Regumque turres. A Ligure primum vulnus, qui auro V. Comitis reparatà classe mercenarià, postquam Pontifice interprete tributarius pacē rogasset adhuc ferociebat. In portu Sphagiæ stabat Pisanus cum navibus triginta quinque, ultra minora navigia, nil hostile cogitans, somno sepultus. Paganinus autem cum sex & triginta Ligusticis triremibus casu discurrens per exploratores monitus, Venetos facile deleri dormientes posse, instructà continuò classe, portum tacitè ingressus, sine cęde, sine sanguine omnes opprimit incautos, unà exceptà triremi, quæ fortè secesserat. Pisanus ipse cum quinque hominum millibus Ianuam ductus hostilem nobilitavit triumphum. Tantam cladem portendère prodigia; Corvi in aere crocitantes, seque adinvicem dilaniantes, quorum cruore Venetæ aspersæ triremes. Eodem in portu hominem casu lapsum bellua monstruosa voravit. Post homines sæviere Elementa, quæ contagioso halitu, concussione terræ Vrbem penè quassarunt, Princeps ipse immani concitus irà, decoris oblitus, necessitudinum immemor, vanis agitatus causis in patriā conspiravit ingratus, tyrannidem cogitans, vindictæ libidine magis (quia octogenarius) quàm imperii adversus nobilem adolescentulum, qui cornibus appensis ad ostium gynecæi, vel libello Sedi adiecto Ducali, peccaverat circa coniugis parum pudicæ famam, & leni admodum pœnà, menstrui scilicet carceris, à triumviris Advocatoribus correptus fuerat. Facinus ut exequeretur faciliùs, pluresex infimà plebe sibi socios adiunxit, quos Patritiis cognoscebat infestos, præcipuè *Bertutium Israelum* trierarcham, & nautarum Magistrum, qui à Ioanne Dandulo viro patritio, in publico *Armamento* (locus remigum expediendorum) alapà percussus, satellitum manu stipatus, Danduli vitæ insidiabatur. Propterea timidus Dandulus Principem rogaverat, ut insidiatorem amoveret. Vocavit Princeps in Curiam Bertutium, increpavitque verbis amarissimis, sed simulatè; nocte namque sequenti clanculò evocatum lenivit, suoque odio in Nobiles communicato ad eorum cædem inflammavit, quam communi consilio implere decreverunt electis sexdecim plebeis audacissimis, quorum singu-

li

li armatos ducerent ſexaginta,qui ad ſignum campanæ, ſimulato Liguſticæ claſsis adventu, in Curiam irrumperent, inſeſsiſque liminibus obvium quemque ex ordine patritio trucidarent, inde per eorum domos diſcurrerent, filios eorum maſculos occiderent, ut Phaletrus non Dux amplius,ſed Dominus ſalutaretur. Interim ad augendum in Optimates plebis odium, profundà nocte ex his aliqui diſcurrebant per urbem, qui in plebeios coniurationis ignaros altis vocibus convicia iactabant, eorumque uxores, & filias ad ſtuprum obſceniter invitabant; datoque ſibili ſigno, inter ſe cachinantes cognomina enunciabant Patritiorum;ut plebem in eos concitarent. Tanto Reſpublica cribrata diſcrimine Marcum habuit Evangeliſtam auxiliatorem: à quo in ſomnis perterefactus Beltrandus Pellio ex vico S.Silveſtri, unus ex coniuratis pridie cœdi deſtinato, primis tenebris, ad ædes accedens Nicolai Leonis viri patritii cuncta aperit. Obſtupuit Leonus ſceleris novitate defixus,poſtmodum publici memor periculi, ſeniores adit, in ædem Salvatoris, Decemviros evocat,dum eodem tempore M.Niger alter ex coniuratis per Iacobum Contarenum cognomento Longum coniurationem indicavit. Adfuere itaque ſex Conſiliarii Io: Mocenicus,Hermolaus Venerius, Thomas Viarus, Io: Sanutus,Petrus Triviſanus, Pantaleo Barbus. Triumviri Advocatores Zusfreus Maurocenus, Aurius Paſqualicus, & Nicolaus Phaletrus. Decemviralis Conſilii præſides, Io: Marcellus, Thomas Sanutus, Michaletus Delphinus. Reliqui huius Conſilii, Lucas Leggius,Petrus Muſtius, M.Pollanus, Marinus Venerius,Landus Lambartus, Nic. Triviſanus, M. Phaletrus. His additi viginti ex Patrum primoribus conſilio & prudentià eminentes, nempe M. Iuſtinianus, Andreas Eritius, M. Superantius, Ganzanus Marcellus, Raynerius Muſtius, And. Contarenus, Io: Lauredanus, Nicolaus Vulpius, M. Diedus, Io: Gradonicus, Simeon Dandulus, Bar. Iuſtinianus, And. Cornelius, Nic. Leonus, Marinus Maurocænus, Stephanus Bellegnus, Philippus Aurius, Iac.Bràgadinus, M. Triviſanus, & Io:Foſcarenus. Ab hac die Decemviralis Additio inſtituta dicitur. Abeuntibus verò ex Conſilio duobus Faleriis tanquàm de familià Principis, reliquorum iuſsu fortiſsimi ſtatim vocantur Patritii, ac cives qui armati Patribus adſint: miraque celeritate ſexdecim ex quadringentis, eà nocte capiuntur Coniuratorum Principes, qui ad unum omnes laqueo præfocati, reſte ex ipſis columnis,ſuperiori parte Curiæ dimiſsi,& vivent ad infamiam Bertutius Iſraelo, M. Torellus, Stephanelus Triviſano, Nicolaus Zucholus, Philippus Calendario ſtatuarius inſignis & architectus, Nicoletus Brazadoro, Antonius Bindi, M. Polinius, Nicolaus Roſa, Io: Corſus,M.Muda,

da, Iacobus Dogollinus, Nicoletus Blondo, & Ioanella Bruno. Falerius ipſe Princeps detecti ſceleris adhuc ignarus opprimitur, exutuſque publicis ornamentis ſummo mane in Curiâ percutitur, ſuper Giganteos gradus. Eius truncum loculo ſtatim impoſitum ad Gemellorum ædem parvâ cimbâ, octo viatoribus cęreos pręferentibus delatũ in ſacello Pacis humi conditur caveâ effoſsâ, vel in areâ D. Zachariæ. Locus, ubi inter Principes, more majorum, ejus reponenda erat imago, nigro opertus velo nunc ad ignominiam vacat ſub epigraphe. *Hic eſt locus Marini Falerii decapitati pro criminibus*. Dicunt alii ibidem fuiſse antiquitùs imaginem cum eulogio, *Temeritatis meæ pœnas lui*, perduellionis ſcilicet & ſacrilegii, adverſus Patriam & Eccleſiam, Epiſcopum percutiendo, tyrannidem procurando. Bona Principis Fiſco adiecta, & pretio diſtracta, exceptis duobus Ducatorum millibus. Statutum etiam, ut ſingulis diebus Mercurii, publica haberetur ſupplicatio à Clero D. Marci, pro gratiarum actione. Et dies xv. Aprilis D. Iſidoro Sacra ſolemniter celebraretur à Duce Clero totius Venetæ Civitatis. Coniuratorum Indici annuum mille aureorum ſtipendium in præmium datum unà cum Falerii ædibus ad fanum Apoſtoli; imò & ad Ordinem aſsumptus Patritium. Ille verò quaſi minimâ mercede repenſus, patres accuſans ingratos, obſtrepere nunquàm ceſsabat. Tantâ impudentiâ commoti, capitali damnaſsent ſupplicio, ſed recenti beneficii memoriâ deliniti Raguſium relegarunt, unde impatiens & inquietus dum in Pannoniam fugeret in itinere periit. Plures Coniuratorum, inter quos Victor Niger, Chriſtophorus Fontana, Iacobellus Blondo, & Franciſcus Belliſari viri nequiſſimi fugæ ſe ſubduxerunt.

Sabellicus, Petrus Iuſtinianus, Petrus Marcellus, Io: Baptiſta Contarenus, M. S. in Bibliothecâ Thronâ, & Cornelia.

Decreti fides, & veritas, quo Petrus Marcellus refert, Faleriam Gentem in poſterum excluſam à Principatu; ſit penes Auctorem.

IO. GRADONICVS
DUX LV.

Electus die 29. Aprilis Anno 1355. ætatis suæ lxxvi.
Anno 1356. cum rexisset An. 1. Mense 3. dies 14.

INSCRIPTIO ANTIQVA.

Memoria & Iuris peritia clarui,
Cum Ianuensibus utile fœdus inii.

LVI.





Onsternatà Republicà ob Phaletri conspirationem; Marcus Cornarius ProPrinceps Rempublicàm administravit; donec Comitiis habitis Ioannes Gradonicus, cui *Nasonis* cognomen, Dux declaratur. Rebus iste domi compositis, cum externis etiam nempe Ianuensibus pacem inivit. Vix tamen Ligustico sedato turbine, pacis Solem aspexit; quod ab Aquilone (unde panditur omne malum) novi Belli conflatur fulmen. Ludovicus Rex Pannonum in Liburniam ruens, uno momento Iadram, Spalatrum, Tragurium, Enonam obsidione cingit, Italiam Barbarorum colluvie inundaturus, Austrii, Aquileiensis,

Carra-

Carrarienſis viribus fortis. Hiſce Bellonæ facibus, Gradonici Principis celebrantur inferiæ, poſtquam Annum unum, Menſes 3. dies XIV. inter bonam, & malam famam, auri cupidus, & agreſtis Reipublicæ præfuiſset, legumque peritiá juvaſset. Ad Fratres Minores, cineres Marmor excepit Sepulchralis.

Sabellicus, Petrus Iuſtinianus, Sanſovinus, Petrus Marcellus, Io: Baptiſta Contarenus Vianolus.

Sub hoc Principe tertius D. Marci Procurator refertur inſtitutus, electuſque Nicolaus Leonius, qui Falerianam detexit oppreſſit proditionem. *M. S. in Biblioth. Thronà.*



IO

IO: DELPHINVS

DVX LVI.

Electus Anno 1356. Obiit Anno 1361.

EPIGRAPHES ANTIQVA.

Tarvisium obsidione liberum feci, pace cum Vngaris inità.



GRadonico extincto Patres Io: Delphinum Byzantinà legatione clarum ex Procuratore D. Marci subrogavere, absentẽ, & obsessũ Tarvisii à Phalangibus Regis Pannoniæ, qui eà feritate in Venetos arma gerebat, quod transitũ roganti Delphino, ut tutò ad thronũ ascenderet; negaverit. Delphinus porrò quamvis ferreà Pannonũ nube circumfusus, ex aversà parte urbis equitum cuneo vallatus in tutum abiit. Rex Ludovicus cum in urbẽ frustra irrumpere tentasset, suorum pluribus cæsis, relictis castris in Pannoniam rediit. Patuere tunc ad vindictam Carrarienses ingrati, cum quibus placuit

cuit prohibere commertia, & Marcum Maurocænum Patavinæ urbis Prætorem Venetias evocari: Dalmatiam verò, quæ integra perierat, Regi permittere; ut Respublica viribus, opibusque exhausta respiraret. Pacem, quam Barbari jurarunt, eodem contextu polluerunt: nè causa nobis futura deesset repetendi urbes extortas. Verre sequente lues repetita sævijt, cujus aflatu Princeps ipse sublatus postquam civium luxum, legum severitate compescuisset, ad DD. Io: & Paulum sepelitur.

Sabellicus, Petrus Iustinianus, Petrus Marcellus, Sansovinus, Io: Bapt. Contar. Vianolus.



LAV

LAVRENTIVS CELSVS
DVX LVII.

Electus 16. Iulii Ann. 1361. Obiit die 18. Iulii Ann. 1365.

VETVS ELOGIVM.

E Mari Dux vocor, Cretæ liberator opim.



DElphino extincto, & titulis abrogatis, quibus ornari solebant Venetorum Principes, Ducis tantùm permisso nomine; Cornu prænsare cœperunt Petrus Gradonicus Principis Bartholomæi filius, Leonardus Dandulus, & Marcus Cornarius qui captivus detinebatur in Austria; fama verò vulgatâ Lyguris profligatæ classis a Laurentio Celso, qui in Mari Supero, validis navigabat triremibus; Falsæ victoriæ lenocinio deliniti Patres, Senioribus posthabitis, qui ære, sanguine, expeditionibusque plurimis Rempublicam promoverant; Celsum Annos sex supra quadraginta natum supremo decorarunt honore, duodecim missis Patritiis, qui ei publico nomine dignitatem gratularentur, triremique acceptum

ptum Venetias reducerent. Suburbanis vicinum litoribus Senatus excepit in Bucentauro: inde Civitas gratulabunda in occursum exiit. Solus ejus parens, qui Procurator erat D. Marci, credens nec publicis ædibus, Magistratui cedere dignitatem paternam, salutationis abstinuit officio, nec priùs nudo capite ad gratulationem adduci potuit; quàm Cruce adiectà Cornu Ducali, cui se pater inclinare profitebatur, non filio. Suscepit mox Austriæ Ducem, qui huc venerat, ut urbem admiraretur in aquis fundatam, deduxitque in ædes Cornarias in vico D. Lucæ, publico nomine instructas. Ibidem hybernavit Rex Cyprius, dum in Galliam pergeret, ut Christianos sollicitaret in Turcas. Abeuntem Celsus Princeps cum Senatu *Margariam* usque sequutus est. Audivit postea Franciscum Petrarcham, Insubrum nomine orantem; suo verò bibliothecam dono offerentem D. Marco Evangelistæ, in gratiam studiosæ juventutis, cui ipse & Senatus tanquàm Moralium Philosophorum, Poetarumque Principi, in testimonium gratitudinis, domum ære publico inhabitandam designavit, publicamque erexit Bibliothecam, in quà sub D. Marci Procuratorum custodià, libri reponerentur oblati. Anno exeunte, Creta defecit, in seditionem abeunte Colonià patritià. Oblita hæc genitorem suum Græcam induerat inconstantiam. Defectionis causa, quod nullis vectigalibus se vellent obnoxii ex transactione majorum: quasi Dominium Insulæ non amplius ad unam spectaret Rempublicam. Districto itaque gladio, Præfectis Venetis coniectis in vincula, leges pro arbitrio mutarunt, Grçcumque ritum ubique prçtulere Romano, quo Insulanorũ animos captarent facilius. Tentavit Senatus per Andream Contarenum facinorosos ad obsequium retrahere: at cum obstinatis nil persuasisset, obtinuit postremò destinatus ad Europæos Principes Legatus, ne rebellibus subministrarentur auxilia. Adornatà interim quadraginta longarum navium classe sub Dominico Michaelio, præter onerarias in quibus pedestris apparatus cui Luchinus Vermius præfectus, Cydonem venere rebellium caput. In eà inclusi seditiosi desperatà spe pacis & veniæ, horribili feritate in eos sævierunt, qui cum Veneto sentirent, in subsidium, & imperium Ianuensibus evocatis, Christum ipsum eiurassent nè ad obsequium redirent. Verùm à Ligure ipso deserti, qui vel pacti memor, vel Punicæ quidem fidei sat virium in proditoribus non inveniebat: terra marique clausi, clade conspectà sociorum, quæ sub ipsis mænibus contigit, veniam rogarunt. Receptæ insulæ nuncius summà lætitià Senatum complevit, qui actis Deo gratiis, ludos in foro D. Marci spectavit Martiales aliàs invisos. Hastiludio præfuit, lusitque Rex Cypri, cum Luchini genito;

quo

quo peracto conſcensà Venetorum claſse Alexandriā venit, nobiliſsimum Ægypti emporium, expugnavitque, diripuit. Triduo tamen poſt, ingruente Barbarorum colluvie, coactus recedere, claſſem prædà onuſtam in Cyprum reduxit. Celſus poſtquàm Annos tres, Menſes decem, Reipublicæ præfuiſset, vità excedit ad Cęleſtinam ædem delatus gravi mærore populi, cui ob animi celſitudinem, & regium vitæ cultum maximè charus erat: Vltra namque nobiles & pretioſos equos, quos alebat in ſtabulo; aves etiam Leones, Vrſos, aliaque huius generis animalia in deliciis habuit *M.S. in biblioth. Thronà.*

De eo lege *Sabellicum*, *Petrum Iuſtin. Io: Baptiſtam Contarenum*, *Petrarcham*, 4. *Senilium*, apud quem habes libellum donationis à Petrarcha factæ, & Veneti Senatus decretum.

EPITAPHIVM.

Quod cum Templo S. Mariæ Cæleſtis ex finitimo Navalis incendio conflagravit Anno Sal. 1570. *ſequens erat.*

Funera Dux Venetum Laurentii ultima Celſi
Hoc habet in ſaxo titulis clariſsimus altis
Magnanimus Patriæ pater, iuſtiſsimus heros
Hic moderans animis vigilantibus urbis habenas
Hoſtibus ut fulmen, ut amenum ſidus amicis
Subiugat mox Cretam revocavit priſca rebellem
Tranquilla tandem patria ſub pace relicta
Ad Cælum æterna celebrandus nomine migrat
Vixit Annis 44. *In Principatu* 4. *Ob. An.* 1365.



MARCVS CORNELIVS

DUX LVIII.

Electus Anno 1365. obiit Anno 1367. die 12. Ianuarii.

ELOGIVM VETVSTVM.

Residua rebellantis Cretæ funditùs extinxi.

LIX.





Arcus Cornelius Legum Doctor ſemel Procurator, bis Princeps Celſo ſubrogatur defuncto. Is enim, qui Falerianà coniuratione ſæviente, Proprinceps, peneque Dictator Rempublicam adminiſtravit, armatiſque ſeptus comitia habuit, donec proditoribus ſublatis, Ioannem Gradonicum cognomento *Naſonem* dixere Ducem, Anno 1355. In electione ſuà contradictorem paſsus *Ioannem Darpinum*, qui ultra ſenectutem, & paupertatem, uxoris ſtema homini objiciebat ignobile (Ex populari namque ordine ea erat) Concione advocatà Cornelius ità de ætate ſuà octuagenaria, cenſus tenuitate, matrimonii iure, natalium genere, magno elatoque animo diſſeruit, ut omnibus penè ſuffragiis

Princeps

Princeps plauderetur. Paucis postea mensibus interiectis, cum seditiosis Cretensibus rem arduam subiit. Ioannes Calergius maximi apud suos nominis, Græcanici Imperii erecto vexillo, ad libertatem Cretenses excitabat. Hoc dulci nomine decepti plurimi, sceleratis acquiescentes consiliis Venetos expulère Rectores, frustra obnitente Nicolao Iustiniano, & Dominico Molino Legatis; cum Calergius præmunitis validà suorum turmà montibus, intra rupes se teneret, nec ansam daret certamini. Penuria tandem rei frumentariæ Venetis adfuit auxiliatrix, quæ Lasythanos primùm, deindè Orientalem tractum compulit ad obsequium. Anopolim Calergius se receperat, accessu difficilem & penè inviam: cum à Venetis occupata semità, quæ unica erat ad arcem, discordia rebelles cribravit: dum per deditionem alii Venetam clementiam, extremam alii fortunam pugnæ mallent experiri, quotidie in angustias redacti, postremo victi omnes & vincti; laqueo, securi percussis Calergis cum aliis principibus seditionis. Ita exacto quinquennio edomitæ insulæ præmium Iustinianus à Senatu retulit, ut domestico stemmati Aquilam adderet Auream, Græci signum Imperii, quod in vexillis pinxerat Calergius. Quietà Cretà Princeps ipse quievit Anno Imperii tertio, in Gemellorum æde sepultus.

Lege Sabellicum, Sansovinum, Petrum Iustinian. Petrum Marcellum, Io: Baptistam Contarenum, Vianolum, Doglionum.



ANDREAS CONTARENVS
DVX LIX.

Electus Anno 1367. obiit Anno 1382.

MONIMENTVM ANTIQVVM.

Me nulla tacebit ætas, cum Ianuenses profligaverim Clodiamque receperim, & à maximis periculis Patriam liberaverim.



RAdium divinitatis, quod ad noſtram tutelam, animæ contulit Immortali, plaſmator Generis Humani, Andream Contarenum à Principatu retrahebat, quem Electores nullo obtulerant diſcrepante. Sapiens, aſtrorum dominator, funeſtas patriæ calamitates cum prævideret, in agrum ſeceſserat Patavinum, quoad novi Ducis publicaretur electio. Quum autem nec publicis, nec privatis literis in urbem retrahi poſset, per cognatos monitus Patrum nomine, vel clavum capeſcere, vel publicatis bonis in exilium pergere (Non minùs enim peccat, qui dignitatem temerè ambit, quàm qui ſuperbè recuſat, cũ non in privatorum comodum, ſed ad Reipublicæ conferatur utilitatem) ſedit invitus. Tergeſtini illicò defece-

defecere, & quadam rapti vesaniâ naves Venetas in portu stantes diripiunt, vectigalium exactores discerpunt, Reipublicæ signa convellunt; deditione factâ Austriaco Principi, qui ad prædam magno exercitu festinavit. Castris positis Veneti urbem obsederunt, unde inito certamine, castris ingruente Austrio, penè excessere, cum acitis properè navalibus turmis, reintegrato meliore fortunâ bello, coactus est Austrius fugienti similis obsessos deserere, qui veniâ impetrata ferro posito, ad fidem rediere. Assumpsit illud Franciscus Carrariensis qui Reipublicæ beneficio, primus ex suâ familiâ Patavinis imperabat, & suis minimè contentus finibus in Venetam libertatem conspirans, per facinorosos homines, puteos veneno infecit, certorum optimatum necem quæsivit, alios oblatâ pecuniâ corrumpere tentavit, ut arcana extorqueret Senatus. Ad propulsandas iniurias immissi Legati cum phalangibus, in eas Carrariensem redigère angustias, ut Regem Pannoniæ precibus, auro in subsidium traxerit. Adversus Regem armarunt Veneti Albertum Corregium virum æquè armis, & prudentiâ illustrem. Irruenti hosti Thadæus primò objicitur Iustinianus ad Plavis ripam, ubi de pedestri legione victor, ab equitibus circumventus, catenas subiit. Ad Bassanum etiam Michael Delphinus pari fortunâ certavit. In Tarvisinis felicius pugnatum cum Stephano Pannonici ductore equitatus. Ab eo provocatus Corregius, qui Legatorum consilio bellum solumodo propulsabat, militem in apertum ducit, cœde pugnat promiscuâ, cumque receptui canere suspicaretur jussis cataphractis ab equo descendere, unà cum peditibus bellum instaurat, suoque exemplo milites tam ferociter irruunt, ut ad satietatem necati sint hostes, raptis insignibus omnibus, Imperatores castris, exuti castra Ducibus, & libertate. Bino pulso hoste, tertius insurgit, Leopoldus Dux Austriæ ab ipso excitatus Carrariensi, postquam is supplex pacem jurasset. Armorum impetus Tarvisinos corripuit: Venetias ipsas terror afflavit. Hac de causâ Germani mercatores Veneto carceri mancipati bonis suis, damnum passos resarcierunt. Tarvisio interim egressus Iacobus Caballus Veronensis ad Vnigum hostes cecidit palantes, & ad prædam intentos, fugientes Belluni includit, ad pacem cogit, & arma quiescunt; donec in nos iterum coiere Ligures, Pannones, Aquileienses, Carrarienses. Ad Tenedos Ægei Maris insulam prima dissidia. Eam Venetis Caloiannes Græcorum Imperator (non inutili usus Venetorum operâ in filium Andronicum regni avidum) donaverat. Eamdem Andronici munere usurpabant Ligures, & cum XI. triremibus ut eam occuparent, accesserant, sed Venetâ classe territi recesserunt. Byzantii interim in Venetos mercatores atrociter sæviit Andronicus:

Patavini irruunt & Aquileienses. Veneti soli innixi virtuti, duce Victore Pisano oram aggressi Ligusticam, apud Antium, obvium habuere Ludovicum Fliscum. Suis collibus elata Roma crudelem spectavit Naumachiam. Ligurum plagas misertum mare cum eis intumuit, undè in eum magis, quàm in Ligurem dimicatio fuit: Quæ verò tempestati victoria & naufragio superfuit, ea pro Pisano stetit. Fliscus ipse captivus traducitur. Mortuos ut nuncient; tres tantum fugiere triremes. Victrix Classis Vngaros quoque spoliavit Ascrivio. Dum hæc Mari fiunt: in Tarvisinos agros excurrebat Carrariensis. Mestrium deditionem fecisset; ni Francisci Delphini vigilantia servasset. Pisanus in Dalmatiâ Sicco domito, in Histriâ ad Hybernandum secessit; ubi aeris inclementiâ diminutâ classe, Vere adveniente ex triginta selectarum triremium, milite ac remige vix duodecim restauravit. Submissæ tamen ex urbe aliæ, quibus in Cretam Pisanus navigare jussus, inopinâ tempestate agitatus (quasi cum fluctibus Ligures fędus iniissent) laceram, & penè quassatam huc, illucque vagantem amisit. Duas, quæ ex onerariis in portum Anconitanum incolumes se receperant, scelere oppidanorum, Lygur occupavit: cumque cognovisset Pisanũ cum recollectâ classe circa Polam in anchoris stare; duce Luciano Auriâ descendit, decem navibus inter insidias relictis, retro promontorium, quod portui surgit adversum. Pisanus Auriam ut vidit ex insolito certaminis appetentem, in audaciâ fraudem suspicatus, prœlium recusavit gravi suorum indignatione: propterea iterũ provocanti occurrit, iussis in portu stare quinque triremibus, quæ tempestivè succederent. Pugnatum cęde promiscuâ, donec inter insidias raptus Pisanus, nullis auxiliaribus in subsidium prodeuntibus, circumvallanti Liguri victoriam cedere coactus est; Venetiis verò in quæstionẽ vocatus & in carcerẽ, quod temerè pugnasset unà cum iis, qui Ducis imperio minimè paruerant. Triumphũ Liguris cædes obscuravit Luciani ducis; cujus funeris ultor exurgens Petrus Auria tanquàm fulmen insulis omnibus expugnatis, Clodiã usque furibundus enavigat, quâ quippe captâ occasum urbis dominæ certò sperabat. Restitit supra vires Petrus Stenus Prætor donec desperato auxilio, fame expugnatus hostibus oppidum cessit, qui immani sævitiâ finem dedere cędibus, cum deficerent qui cæderentur. Sex hominũ millia periere; ingens fuit captivorum numerus. Victoriam tamen virtute partam nimia perdidit fiducia. Missis namque à Senatu Legatis, qui integram tantùm libertatem à Ligure, & Carrariensi quibuscumque legibus impetrarent, responsum: *ut victi libero iure victoribus se permitterent*. Profuit Veneto Ligurum insolentia: conclamatumque ad arma classico populi ad valvas carceris reposcentis unà

unà voce Pisanum Belli ducem. *Io: Pisano*; quo reponente *Io: Marco non Pisano*, voce fidelitatis commoti Patres Victorem è vinculis evocarunt, eique occurrerunt venienti usque ad gradus marmoreos. Custodià solutus, ceu alter Marius bello præfectus, Cęlum, elementa, Inferos ipsos habuit sub signis. Averni namque in officinis conflatum fulmen in hostes vibravit, & primus sub Italo Cęlo, in mari tormenta explodit Mavortia. Thaddæus Iustinianus ex hostium vinculis elapsus, juxta Brundulum rostra fatigabat hostilia. In Tarvisinos Pannonem evocaverat Carrariensis, qui à Senatu de pace rogatus: quia conditiones reposcerentur iniquæ, reiectæ, crescentibus ex desperatione animis. In castris porrò ut qualecumque submoveret dissidium Senatus, penès Principem, cujus præsentià excitabatur miles, imperium voluit: insuper in Patritiorum album invitavit eos, qui privatis impendiis Rempublicam adiuvissent. Contareno itaque præeunte, post varios pugnæ casus, versatà sortis urnà, ab obsessis obsidentes obsessi: & ad Lupam, & Brundulum eruptionem meditantes, utrobique cum clade repulsi. Tertiam effugii viam ex transverso scilicet litore, quà in Mare prospicit, alterum veluti portum sibi fodere, magno sane labore decrevere. Mole tamen detectà, occurrit Carolus Zenus, qui ex Grecià venerat, cum navalibus copiis ad terrestre certamen, infessamque ab hostibus medio litore turrim subvertit, & dum victor ulteriùs procedit, armatas offendit acies, quæ Brundulo, Clodiaque effusæ in Venetos irruebant. Brundulani occurrère primi, sed turpissimè victi, Clodienses turbarunt supervenientes Duce Aurià, quo occiso ab ipso Contareno Principe nostro, facile fuit Zeno, hostem sine duce usque ad pontem, quo in alteram ripam, Clodiam versùs trajicitur, præmere. Pons necem attulit obsessis & salutem: pondere namque fugientiũ pressus, eorumque qui ex oppido accurrebant in subsidium, in subiectas aquas plures dimisit; Venetum tamen retinuit, ne Clodià potiretur. Ex pontis jacturà, & prælii calamitate tria hominum millia periere: capti ferè sexcenti. Ligur tunc patriã, parentes, amicos per nuncium monuit, Classem Clodiano portu obsessam, speratam excidisse victoriam, miserà cives premi calamitate, ni novo apparatu à convicibus eriperentur. Immissus propterea cum XIII. triremibus Matthæus Maruffius ad liberandos obsessos. In itinere Thaddæum Iustinianum ex Apuliæ frumentatione redeuntem, tanquàm viribus imparem in portu oppressit Sipontino. Inde victor, & spolio onustus Clodiam navigat, Venetos importunis clamoribus provocans. Adfuit protinùs Pisanus, quo conspecto, Ligur in Dalmatiam se recepit sollicitus, conserere non audens. Obsessi cognito amicæ classis adventu, in usum novorum

lintrium tecta, parietes resciderant, quibus per internas aquas clanculum in mare delati ad suos aufugerent. Vafrum opus cum detexisset Zenus, parvis myoparonibus fugientes compulit Clodiam repetere, succensis eorum naviculis; qui extremà victi inediâ, auro etiã Venetorum duces corrumpere tentarunt, sed incassum. Zenus namque semper vigil reos sub hostium oculis suspendio sustulit. Hinc decimo obsidionis mense, fame devicti venere supplices nudis pedibus, aperto capite, reste collo appensâ coram Venetorum Duce, Misericordiam altà voce implorantes, & conditiones subeuntes, quas ipsi ante victo victores obtulerant. Receptà Clodià, quatuor hostium millia carceri data: unde viginti triremes captæ: biduo facta prædæ licitatio. Sævire tamen abhorruit, & fortunà insolescere Venetus: ita propterea captivi habiti, ut eos diceres, non qui paulo ante Venetã opprimere tentassent libertatem, sed propugnare. Tanta clade minimè domitus pervicacissimus Ligur cũ xx. rostratis in Histriam irrupit denuò & in seditionem pronos Tergestinos ac Iustinopolitanos accepit. In eum immissus Pisanus & Zenus: iste ĩn solum delatus hostile oppida, vicosque secundùm Lunæ portum evertit. Ille Pirano dispulit incubantem; miraque celeritate Iustinopoli in potestatem compulsà, Ligusticæ classis reliquias in Pelignis litoribus laceravit, sumpta de Polæ, Arbæque vastatione, & de abducto in captivitatem Ludovico Contareno vindictà. Tantis triumphis contentus, naturæ concessit, fortissimi viri mortem collacrymantibus universis, excepto Ligure; qui propinato veneno Pisanum sustulit. Carolus Zenus Pisano subrogatus in hostilem irrepsit Provinciam, ut hostem qui novà XXVII. triremium classe Iustinopolim occupaverat, retraheret. Eodem tempore Tarvisium Carrariensis adortus, positis ad mænia castris, commeatibus interceptis, urbem fatigabat. Veneti bello impliciti Ianuensi, inutile & periculosum credentes se immiscere terrestri, urbem Leopoldo Duci Austriaco per Legatos obtulerunt. Festivus adfuit Austriacus cum decem millibus armatorum, invectaque in urbem magnà vi tritici, vini, ac bellici commeatus, eam bello & fame liberavit. Recollectis interim Carrariensis viribus, Leopoldum nil cogitantem necdum firmatum auxiliis circumsedit, preces adiungit, ut saltem vel auro cederet: quo victus Austrius Carrariensibus Tarvisium concessit, Venetis inconsultis, à quibus dono acceperat. Indignum facinus patienter sustinuère Patres pace recreati inità cum Ianuensibus, interprete Sabaudiæ Duce. Hanc dum agitaret pius Princeps, rabie percitus inhumanà Ligur Venetos, quos carcere macerabat, veneno in cibariis immixto, supra tercentos sustulit: eorum corpòra in mare proiecit. Cognito scelere in Terram

Novam

Novam, locum publici carceris irrupit populus, refractisque portis sævisset, nisi ab armatis custodibus fuisset prohibitus. In ultionem parvus panis cum modicà aquà in cibum datus: mulierum ministerium ademptum, quæ piè eis ad vitæ commoda opus præstabant. Non diu tamen in hac austeritate civitas perseveravit, quin pristinæ restituta clementiæ, omnia illis commoda priora restituit; Vulgataque pace, cum seminudi exirent è carcere numero mille & quingenti; Venetæ Matronæ collatà pecunià indumenta omnibus præbuère cum viatico, nè in itinere cogerentur mendicare. Publicà itaque instructà supplicatione; candelas in manibus gestantes accensas bini & bini in Ecclesiam processerunt S. Mariæ Magdalenæ, ubi actis gratiis liberi discesserunt. Princeps Contarenus adscriptis inter Patritios iis, qui in adversis se Patriæ filios præstiterant, quartodecimo fascium Anno, plenus glorià ad Proto-Martyris ædem quievit. Filii Scutum tenuère coriaceum, imagine S. Georgii Equitis insignitum, Ianuensium patroni, quo Auriam Ligurum Ducem Contarenus spoliavit, veluti gloriæ Feudum, & servatæ libertatis testimonium civibus & hæredibus, Supremi Comitii lege decretum. Primus iste Venetorum Principum, qui oratione laudaretur funebri.

Sabellicus, Petrus Iustinianus, Petrus Marcellus, Sansovinus, Io: Bapt. Contar. Vianolus, Doglionus.

EPITAPHIVM.

Hic Sacer Andreas stirps Contarena moratur.
Dux Patriæ precibus Senior, qui Ianua cives
Marte tuos fundens, & victor classe potitus
Amissa Veneto, Clugiam, pacemque reduxit.

Memoria publica in Supremis Comitiis: ubi Pauli Calliarii penicillo triumphus expressus Andreę Contareni Principis cum manubiis redeuntis, atque captivis.

Andreas Contareno Dux, qui Clodianæ Classis Imperator, servatà patrià attrocissimos hostes felicissimè debellavit. MCCCLXXVIII.

MICHAEL MAUROCENUS
DUX LX.

Electus die x. Iunii 1382. Obiit eodem Anno 1382. die xv. Octobris, cum ſediſſet Menſes iv. dies v.

IVDICIVM PVBLICVM.

Pauca damus Patriæ, feſtinà morte repreſſi.

LXI





Enetæ Vrbi incubante Ligure, occupatà jam Clodià; Neapoli ſubſiſtebat Michael Maurocenus pronepos Marini Maurocæni olim Venetiarum Ducis, ubi congregatâ divitiarum copià ſupra privatam ſortem, charus omnibus vitam ducens, dulcis patriæ audito diſcrimine, vaſa illicò collegit, malens cum cæteris occumbere pro aris & focis; quàm ſolus à longe, in pace & otio, funera ſpectare Reipublicæ. Amicis itaque diſſuadentibus, reſtitutus in patriam, gazam ſuam prædivitem obtulit, quà auro plus pugnavit in hoſtem, quàm cæteri ferro. Hinc à gratiſsimà Patrià Procurator dictus D. Marci, & brevi Dux aſsumptus competitorem habuit Leonardum Dandulum meritis, & ætate confectum.

ſectum. Ea tamen fuit erga Maurocænum, Patrum propenſio, ut juniorem ſeniori prætulerint, Naturà forſan abhorrente judicium, quæ ætati ſenili illatam vindicavit iniuriam Maurocæni morte importunà. Princeps namque quadrimeſtris hanc unam de ſiccariis legem ferre potuit ad optimum Reipublicæ gradum; ut ſecuri ſubjicerentur, quum ad eam diem laqueo pœnas darent. Quo itaque ſpei plenior, eo brevior ad Gemellorum ædem ſarcophago clauditur.

Sabellicus, Petrus Iuſtinianus, Petrus Marcellus, Io: Baptiſta Contarenus, M. S. in Bibliothecà Thronà, & Cornelia Piſcopia.

EPITAPHIVM.

Inclita vitales Michael quem duxit in auras
Maurocena domus Venetum Dux civibus ingens
Spes erat, alta parans, intercipit ardua Fatum
Cœpta Ducis, virtute potens, fuit acutus
Iuſtitiæ, heu moriens patriæ per ſæcula luctus
Quæ cinis eſt, iacet hic, mens gaudet, fama corruſcat.
MCCCLXXXII. die XVI. Octobris fuit ſepultus.



AN-

ANTONIVS VENERIVS
DVX LXI.

Electus die 21. Octobris Anno 1382. ætatis suæ 64. obiit 23. Novemb. 1400.

VETVS ELOGIVM.

Cretæ Præfectus Dux eligor; meque auctore unicus in vinculis damnatur filius: & si triste, salubre tamen exemplum Iustitiæ, posteritati mandandum.





Ntonius Venerius natalibus clarus, ingenio amabilis, regimini assuetus, dignitate ipsum ambiente, non ipse dignitatem, ex Cretensi Prætura ad clavum accersitus Reipublicæ, electione cognitâ, per aulicum, illius Regni Ducam ad se evocavit; sed quia Venerio, dignitatis iste prærogativâ præcederet sprevit vocantis imperium. Venerius verò remisso nuntio jussit non ad Cretæ Præfectum, sed ad Venetiarum Principem accederet. Quo audito *Duca* simultate depositâ, quæ inter eos tacita

tacita gliſcebat, celerrimè in palatium aſcendens, Principem nudo capite veneratus ſalutavit, invicemque complexi, in priſtinam rediere amicitiam. Venetias cum appuliſset, Senatum obvium habuit cum Buccentauro, ad D.Nicolai fanum, poſtquàm ſeptem Annis cum totà familià abſuiſset, Reipublicæ gratià, ad Tenedos præcipuè adversùs Ligurem. Fuit eius Principatus officium, non imperium, & tanquàm alienum bonum cœpit juſtitiam adminiſtrare primò contra ſeipſum, domus ſuæ (quæ Aloyſii unici filii capite nitebatur) ruinam ſpectando ſiccis oculis, ne Matronæ famam negligeret, quam filius adoleſcens, amoris inſanià, & zelotypia fœdaverat appenſis cornibus ad poſtes mariti: quem propterea pater vinculis mancipatum, publico pudori victimam adolevit. In carcere namque expiravit, ſilente & conſentiente genitore, non rigido ſed juſto legum judicio, quod alter Minos ex Cretà ſecum tulerat Iovis patrià. In Carrarienſem poſtea reaſsumpſit fulmina, inito adversùs turbidum Principem fœdere cum Galeacio V. Comite Mediolanenſium, ut faciliùs iniurias propulſaret. Admotis itaque proſperè ad Patavii mœnia tormentis, Franciſcus odioſus jam Deo & hominibus facile libertatem amiſit & Principatum, ductus in Inſubriam, ibique carcere clauſus anguſto, qui paulò ante auguſtà urbe non capiebatur. Veneti occupatis arcibus, quæ erant in ſtagno, Tarviſium uſque ſigna explicavere fœlices. Tarviſini Venetæ clementiæ memores, expulſis Carrarienſibus, legem ſubiere Reipublicæ, tantà conſtantià, ut nec fidelior in poſterum gens ulla reperta, quæ vel in ſummà rerum Venetarum deſperatione, Rempublicam coleret. Galeacius tanti Principatus alluvione tumidus, Veronam enim & Vicentiam expulſis Scaligeris etiam invaſerat, totius Italiæ meditabatur Imperium. Hinc odium & reprimendæ libidinis conſenſus Mantuanos, Florentinos, Bononienſes, Venetos ad propulſandam iniuriam colligavit. Primi omnium Veneti per Padum, in Mincium (quòd in Mantuanum ſocium hoſtis primò crederetur moturus Galeacius) claſſem educunt, & unico conflictu claſsicum Mediolanenſis apparatum profligant, ſolique Mantuam ſervant. Fortitudini adiecère clementiam: Franciſcus namque Carrarienſis Iunior dictus, qui fugà elapſus apud Bavaros latitabat, Italicà conſpiratione cognità, Venetias larvatus deſcendens, exoratà pietate Senatus, Patriæ iterum adminiſtrationem impetravit, & beneficio Reipublicæ, imperavit denuò, ingratus iterum adversùs benefactorem moliturus. Contrito Serpente, ſerpere ceſsavere bella in Continenti, ſed non in Mari contra Turcas, in gratiam duorum Cæſarum Emanuelis, & Sigiſmundi, quem à Barbaris victum, Veneti per Dalmatiam, in

Panno-

Pannoniam traiecère securum. Corcyra etiam Argos, Nauplia Peloponnesi Veneto adiecta Imperio. Vrbs ipsa speciosis aucta ædificiis, areà præcipuè Rivaltinà; & quæ ante Ædem spatiatur auream, lateribus exornatur lapide instratis quadrato. Alberto Austriæ Duci piè & civiliter frustulum Protomartyris, in æde quiescentis Benedictinà, eflagitanti, sanctà incivilitate negavit, ne Fata confunderet Reipublicæ. Rupertum Imperatorem cum coniuge Venetias venientem; nec longè post Francorum Regis nepotes, solito excepit hospitio, & in Apolline tractavit. Tandem ætate ingravescente, Anno Ducatus sui XIIX. occubuit; cujus funus frequens civitas ad Fanum extulit Gemellorum, sub Horologio.

Sansovinus, Sabellicus, Petrus Marcellus, Petrus Iustinianus, Io: Bapt. Cont.

EPITAPHIVM.

Quisquis ad insignem tumulum tua lumina flectis
Ingentem cui cineres hæc marmora servant
Contemplare Ducem. Princeps hic ille per omnem
Venerio volitans fama Antonius Orbem
Qui tribus hanc urbem lustris, totidemque per Annos
Rexerat, eternis muniens ea tempora factis
Tarvisina suæ Castella & mœnia matri
Reddita, Dyracchium, Corciráque & oppida forti
Plurima parta manu, pœnas sibi sumpsit ab illo
Quem genuit nomen metuit dum perdere iusti
Ipsius ut clarum micuit clementia sidus
Reddidit Vngariæ Reginæ sceptra suorum
Rapta dolis; ne triste iugum Furlane subires
Obstitit; Italiam pacavit multa per oram
Turbida, post terris abiens se se intulit astris.
Mille quadrigenti Christi cedentibus Annis
Institit atra dies vigesima trina Novembris.

Ad latus huius Mausolæi, aliud habes, structuræ minoris, in quo jacet ejus coniux sine Epitaphio.

Mortuo Venerio Duce, decretum in Supremis Comitiis, proponentibus Legum Correctoribus, nè in posterum Dux Venetorum *Senior noster*, Italicè *Signor nostro* appellaretur; eo quod *Senioris* titulus plenus invidia, & patriæ libertatis inimicus teste *Sansov. lib. x. de Princ. dign.* sed tantumodo *Messer lo Doge*, quod latinè exprimebant vocabulo *Domini*: idemque valeat Latinè *Dominus*, ac *Messer* Italicè: ut in *c. 5 lib. 1. Statut. Venet.*

Ejus *Monetam* supra habes pag. 140.

MI-

MICHAEL STENVS
DUX LXII.

Electus die 30. Novemb. Anno 1400. Ætatis suæ lxix. obiit 26. Decemb. Anno 1413.

INSCRIPTIO ANTIQVA.

Sub me capta venit Genuensis plurima classis.
Saxosa & dominum me nosti pulchra Verona,
Tu quoque Patavium, tu Vicentina propago.





MIchael Stenus D. Marci Procurator, ineunte Decembri Princeps eligitur, sed morbo impediente IV. Id. Ianuar. Curiam ascendit eà populi lætitiâ, ut Anno integro festivis ignium linguis, Fata futuros voluerint præfari triumphos. Civium gaudia geminavit Ligur rupto ex invidiâ fœdere, quasi cum Veneto naturale haberet dissidium, castigatusque supplicio, quod Superi in eum jam indignati decreverant. *Buccicaldus* Gallus (qui rem Li-

gurem

gurem administrabat) cum unà & xx. triremibus ex Tyrrheno navigans, in itinere naufragium passus, cum duodecim in Syriam appulit, ubi Beritum urbem occupans maritimam, violato fœdere Venetas naves in portu stantes diripit. Inde prædà onustus in Peloponessum venit, ubi Carolus Zenus cum xi. triremibus stationem habebat, qui Ligures vincere assuetus in temerarium hostem suo more detonuit, cum à tribus Ligusticis circumventus gravi agitatus discrimine, impotens ad dextrum, sinistrumque latus, & ad proram in fronte solus pugnare cum tribus triremibus, in tam perniciosà, & impari pugnà nec viribus, nec astu destitutus militari, dato signo remiges omnes, milites, nautas suæ circumsessæ triremis à dextro in sinistrum revocat latus, quorum pondere depressa triremi, Ligures, Gallos qui in dextero latere stabant, lapsu prostrati præcipiti in subiectum mare collapsi, pars in remos impacti & transtrà, magnà cæde ruerunt. Hæsitante tamen adhuc de triumpho fortuna; Hermolai Lombardi adventus rem Venetam astu firmavit. Plenis velis cum duabus triremibus in hostilem classem quũ iste irrupisset, jamque inimicas contingeret, momento jussit, velorum funes incidi; quæ ventorum vi rapta hostilẽ unam retis instar involvunt, omnesque ejus milites ad unum Marte opprimunt incruento; aliam infesto ictu percussam cum propugnatoribus Hermolaus demersit. Quatuor horis pugnatum; tandẽ fremẽte Buccicaldo victi Ligures sex amissis triremibus, quingentis eorum cęsis, captis octingentis, in quibus *Paulus Saulus*, ac *Castermorantius* genere Gallus insignes ambo. Ex hac victorià quantus Liguri incussus metus? ex eo constat: quod nulla amplius ab ipsis Reipublicæ vis illata. Ex Mari in Continentem Mars rediit continuò. *Franciscus Carrariensis* paternæ ambitionis hæres atque perfidiæ, primùm sublatis veneno Scaligeris, cœpit armis urgère Vincentiam. Cives tyrannidem detestati, missis per Legatos clavibus urbis, quos Princeps totus in vestibus albis audivit orantes, Veneto se dedidere Senatui. Monitus postea per Caduceatorem tyrannus ab iniurià desistere, Legatum per obscænam contumeliam, Gentium violato jure, naso ei, auribusque præcisis remisit. Stenus immissis ad vindictam turmis, sub imperio Francisci Gonzagæ Mantuani Principis, ut perfidam iste retunderet temeritatem; divisis castris, Veronam movit eà solertià, ut ipsà pene die quà cæpta est obsideri Verona, fit etiam capta, fugiente Carrariensis filio, quem prope Hostiliam captum traxere Venetias. Desperatus Franciscus ad externa conversus auxilia, *Albertum Atestinum* Ferrariensium Ducem concitavit. Huic fratrem *Actium* exulem, libertatem & Polynesum jure repetentem obicere

cere

cere Veneti,cuius irruptione Ferraria ipsa metu nutavit. Albertus nè Carrariensium ruinà traheretur,supplex veniam petiit, & positis armis,jubente Senatu,à fratre pacem redemit. Promotis postea Patavium castris,brevi ad portam S.Crucis irrepsere Veneti,in arcē aufugiente Francisco,cujus contumaciam abhorrentes cives, versà in rabiem fide,Principem in manus tradidere Reipublicæ, qui Venetiis jugulatus dignam ingratis pęnam persolvit. Patris & Avi Fatum quinquennio post subivit etiam Marsilius, in quo domus deleta Carrariensium,ne ullus superesset hæres perfidiæ. Hinc Feltri Bassani,Bellunique sequuta deditio. Iadera, quæ Veneto nunquā,, domita ferro illius tandem cessit auro,venditione pactà à Ladislao Pannoniæ Rege in Apuliā navigante.Siccū tamen & Sebeniccum plebe furente Sigismundi Imperatoris exictatà studiis,defecit: à quorum obsidione ut Cæsar Venetos retraheret, magno equitatu per Carniam ingressus,Feltrium,Bellunium,Serravallium non indecora belli Carrariensis spolia adimit, expulsisque Vtino Savornianis, patriam occupat Fori Iulii. Tarvisium supererat, cujus in agro Carolus Malatesta cunctando magis,quàm bellando, superbientem rapinis hostem integro remoratus triennio, tandem compulit ad inducias. Bello confecto ad pacem abiit æternam Stenus Princeps(cujus sub astro, tam latè Imperii fines Patria protulerat) Anno Ducatus XIII.ad D.Marinæ sepultus.

Sansovinus, Sabellicus, Petrus Marcellus, Petrus Iustinianus, Io: Bapt. Cont. Doglion.Vianol.

EPITAPHIVM.

Iacet in hoc tumulo Serenis s. Princeps & D. D. Michael Steno, olim Dux Venet. amicus Iustitiæ, pacis, & ubertatis; anima cuius requiescat in pace. Obiit MCCCCXIII. D.xxvi. Decemb.

Epitaphium Marinæ Gallinæ coniugis Principis Michaelis Steno in Ecclesia S. Andreæ.

Hic iacet corpus Serenissimæ D. Marinæ, uxoris q. Serenis s. & Excellentis s. Principis D.D.Michaelis Steno olim Incliti Ducis Venetiarum,quæ obiit die 4. Mer. Maii MCCCCXXII. Anima cuius requiescat in pace.

K THO-

THOMAS MOCENICVS

DUX LXIII.

Electus die 7. Ianuarii Anno 1413. obiit die 3. April. Anno 1423 ætatis suæ 79.

SCHEMA VETVS.

Vngaros bello domui, Turcarum classem delevi, Pyratas ubique fugavi, Imperio nostro Tragurium, Spalatrum, Catharum, Feltram, Cenetamque adiunxi.





THomas Mocenicus in Stenni locum subrogatur, dum absens Legati munere Cremonæ, apud Gabrinum Fundulum fungeretur, quà in urbe aderant tunc Ioannes XXII. Pontifex Rom. Sigismundus Imperator, Thomas ipse Mocenicus Venetorum Princeps electus. Post quorum discessum infremuisse dicitur Fundulus, quia tres Summos Orbis Principes cum intercipere valuisset, liberos dimisisset. Recenti huius administratione, Magistratus quidam in Rivum altum translati: tribus mensis vel Magistratibus, quæ ibi àb

ab initio fuerant, addita quarta Prosenetica scilicet, vulgo Misseta-ria. Erectæ ad id ædes amplissimæ, quæ Ferrariæ imminent ripæ in quibus, quatuor continentur Magistratus. Fuit illic antiquum urbis vectigal: mox ex uno duo vectigalia facta, rerum terrestrium quod immobile perseverat, & rerum Maritimarum, ad fanum Trinitatis translatum. Nec diu Civitas in otio fuit; bello in Carnorum ora renato ex Vtinensium discordiâ, Savornianos reposcente populo; eorum restitutionem Techio contradicēte Patriarcha Aquileiensi, quo devicto, Sacilium, & gradatim tota Fori Iulii provincia ad libertatem rediit sub Venetorum Imperio. Lętitiam clades temperavit ex incendio recepta, quo Aurea D. Marci Ædes correpta. Templum cum proximis ædificiis egre defensum. Ducarium verò cum vetus diruendum, & in meliorem formam ædificandum pœna prohiberet pecuniaria à Patribus decreta; publicum privato comodo præferens Mocenicus Princeps, aurum clanculò in Senatum tulit, propositaque de instaurando Ducario lege, ornatu sumptuosiore; Triumviri Advocatores mulctam exegère violati decreti; quà continuò Mocenicus solutà, actione non destitit intentatà, donec penà abrogata Senatus juxta Principis voluntatem, Ducarium decrevit instaurandum. Sub hæc tempora Petrus Lauredanus totam Dalmatiam jugo excusso Pannonico, Reipublicæ dominationi restituit, postquā per Annos oppressa quinquagintaocto barbaræ genti paruisset. In Hellespontum postea fœlicitet trajectus Turcas piratas ad Callipolim adeò contrivit, ut totius penè Classis incendio mulctaverit. Annos decem, & Menses tres Rempub. cum administrasset Mocenicus, ad Gemellorum ædem abiit, cineribus Mausolæo exceptis; eloquentiæ ad posteros, & vaticinii memorià celebris, ne pro terrestri imperium Respublica negligeret navale.

Lege Sabellicum, Ioannem Baptistam Contarenum, Petrum Marcellum, Petrum Iustinianum, Sansovinum.

EPITAPHIVM.

Hæc brevis illustri Moceniga ab origine Thomam
Magnanimum tenet Vrna Ducem. Gravis iste modestus
Iustitiæ, Princepsque fuit, decus ipse Senatus
Æternos Venetum titulos super astra locavit.
Hic Teucrum tumidam delevit in æquore classem,
Oppida Tarvisi, Cenetæ, Feltrique redemit.
Vngaricam domuit rabiem, Patriamque subegit
Inde Fori Iulii, Cattarum, Spalatumque, Tragurum,
Æquora piratis patefecit clausa peremptis,
Digna polum subiit patriis mens fessa triumphis.

FRANCISCVS FOSCARVS
DVX LXIV.

Electus Anno 1423. obiit 9. Octob. Anno 1457.

ELOGIVM VETVSTVM.

Post mare perdomitum, post urbes Marte subactas
Florentem patriam longævus pace reliqui.





INter ambitus & prænſationes Marini Caravelli, Petri Laurèdani, Franc. Barbari, Fantini Michaelis, Albani Baduarii, & Iacobi Triviſani, qui Annorum pondere, & meritorum virtute, jure ſibi debitam aſſerebant chlamidem, Franciſcum Foſcarum florenti adhuc ætate, & qui omnia Fortunæ incrementa ſuæ debebat virtuti, ad thronum Aſtra vocarunt ab augure in Ægypto, Franciſci genitori prædictum, eà populi gratulatione, ut haſtarum certamina, aurigationes, variique generis ſpectacula, per Annum integrum, in ſingulos dies feſtos fuerint inſtaurata. Tullius iſte Venetus non orationis laſciviâ, quæ publicæ eſt argumentum luxuriæ, ſed virili fortique ſermone, producere cum aſſumpſiſſet terreſtres Reipublicæ terminos, juvenis adhuc Quadraginta

ginta virali præeſset Concilio, Vicentinos in fidem & tutelam aſſumendos adversùs Carrarienſem, Senatui eà Thomæ Mocenici indignatione ſuaſit, ut poſteà Dux creatus Conſiliarios monuerit, diligenter adverterent, Foſcarum in Principem non eligere, & ab ejus ſuadà & oratorià cavere. Ter ad Reges Legatus, primò ad Sigiſmundum Imperatorem cum Antonio Cornario, & Thomà Mocenico Duce futuro inducias retulit quinquennales. Inde à Mehemete Turcarum Rege ſingulariter vocatus, legatus abiit, & pacem firmavit non minùs Reipublicæ, quàm Bizantino Cæſari utilem & neceſsariam. In patriā reſtitutus, navigationem, negotiationem, cum Orientalibus certis legibus ordinavit, quibus tantum apud Patres promeruit, ut Procurator crearetur D. Marci Annorum quadragenarius, quà ætate nullus adhuc tantā fuerat aſsecutus dignitatem. Orator tandem ad Martinū V. R.P. coram Conſtantienſi Concilio adorationem ſolvit eà pietate, & religione, quæ Rempub. comprobaret Chriſti filiam, & Petri advocatam. Princeps dictus pluribus urbem ornavit ædificiis, præcipuè Rivoaltina porticu ex integro reſtauratà. Foris ut tyrannidem comprimeret Philippi V.C. Mediolanenſis, qui Florentinos fatigabat; poſt legationē, bellum indixit, & Duce Franciſco Carmignola Brixiā occupavit. In agro Cremonenſi alternante Fortunà; cædes hinc inde repoſitæ. Ad Maclodium agmine pugnatum univerſo, pari ardore & aſtu. Poſt duas horas acies ſtetere immotæ (Fortuna dubia quid ageret) donec repetito certamine, ad Venetos declinavit, occupatis impedimentis eorúmque Duce Malateſta, cum octo millibus bellatorum, quos omnes Senatu inconſulto, perfidus Carmignola libertate donavit, nè Philippum veterem dominū Principatu ſpoliaret. Coactus tamen iſte pacem precari, Bergomum, Brixiam, aliaque Cremonenſis agri oppida, Venetis, jure belli permiſit. Hæc foris, dum domi ferro tentatus Princeps Foſcarus cum ex Ducario in Eccleſiam deſcenderet, ab amente Andreà Contareno repulſam paſso præfecturæ maritimæ, etiā ſub percuſsoris gladio cecidiſset, niſi ictū avertiſset Senenſium Legatus. Facinus cū furor excuſaret; placuit præſciſsà manu vitam adimere, ut ſacrum Reipublicæ Caput nulla cauſa profanum fieret. Mærorem auxit expugnatæ à Turcis Theſsalonicæ nuncius; in quos, furente adhuc bello Inſubrico immiſsa Claſsis Chryſopolim & Caſsandrū, in Aſiæ litore, eripuit barbaris, caſtigatiſque piratis, communicationē Adriaci cum Ægæo reſtituit. In continenti ad tyrannidem cum rediiſset Philippus, Florentinæ incubans libertati; Carmignolàm obiecere Patres cum pedeſtri militia; in Pado verò Nicolaum Triviſanum; cujus claſsis à Ligure circumventa (qui duce Grimaldo, ſecundo

 amne,

amne,noctu irruebat) Carmignolam advocavit auxiliatorē. Risit iste Trivisani ignaviā; undè ab utraque Padi ripà Veneta oppressa navigia in prædam cessere irruenti, desideratis octo millibus hominum. Hinc perfidiæ tertia in Carmignolā accessit suspicio. Excitatus à Cavalcabove strenuo milite, qui parvo manipulo Cremonę portā insederat, negavit auxilia. Spetie itaque cōsilii, Venetias accitus, & vinculis datus, quæstioni subiectus, cum reintegratam fateretum cum Philippo amicitiam, morte perfidiā diluit. Postquam Senatus mensibus octo supplicium distulisset ducentis Senatoribus jam præcognitum; unde æquè mireris Venetam taciturnitatem, & justitiam. In Ianuenses postea instructis xx. triremibus sub Petro Lauredano, ad sinum Repalitanum concursum, ubi Spinula occurrit paribus armis, & odiis. Brevis pugna fuit, sed grandis victoria. Astu namque Lauredani deceptus Spinula, amissà classe, vivus trahitur in triumphum. In Vallē Tellinam postea arma conversa, ubi victor Georgius Cornelius, dum per ignaviā custodiam castrorum negligit, à Picinino circumventus cæsus occubuit cum tribus millibus hominum. Ad Padum tamen Legati manibus parentatū, Casalis & Brixili arcium eversione. Brumà sequenti pax agitatur, & dubia protrahitur per Annos quinque; donec Venetis antiquà cōditione Brixià, Bergomo, Veronà relictis Philippus quievit, despōsatà Francisco Sfortiæ, quē ex hoste generum ascivit, Blancà nothà suà cum dote urbis Cremonæ. Ravennates etiam pulso Hostāsio Polentone tyranno, & Cervienses missis ad Foscarum Principem legatis, Venetæ se commendavere tutelæ. Tanta erat vel apud populos longè remotos Reipublicæ existimatio, ut sponte ejus legem reposcerent. Lætitiam geminarunt nuptiæ inter Iacobum Foscarū Principis primogenitum, & ...... filiam Leonardi Contareni q. Petri invidià non minore, quàm apparatu celebres. Ponte extructo sublicio inter SS. Samuelis, & Barnabæ ripas, ut equestri pompa in ædes Contarenas transiret sponsus, mare calcavit cum tercentis equitibus ultra calones & famulos, serico indutis coccineo cū dossualibus vermiculatis & lemniscis aureis; interim remigànte *Buccentauro*, in quà cum Sponsà sedebant Matronæ ostro, gemmisque fulgidæ, ex eà magnam conscenderunt Foscarorū ędem inter symphoniam & choros, ubi legitimè celebratis nuptiis, noctem inter choreas traduxère sequentem, accensis ubique cæreis & facibus, more regali. Nudiustertius, procurante Comite Francisco Sfortia, apertum est Torneamentum, in quo certarunt præclarissimi Duces, qui ex totà Italià convenerant, in præmium victoriæ Panno designato Coccineo Aureorum 140. Principe postea jubente Foscaro, repetitum est Hastiludium, in quo per biduū velitari hastà lusit.

ipse

ipſe Sfortia.Supra quadraginta hominum millia in plateà D.Marci adfuere ſpectatores.Eſtuaria porrò Fortuna,quæ nec ſemper claro æthere fulget,gaudiũ Principis,filii calamitate revolvit. In quæſtionem à Decemviris evocatus, accuſante infimæ plebis homine Michaele Bevilacqua, Iacobus Principis primogenitus munera à quibuſdam accepiſse Regulis, quia ad diem non affuit (teſte *Sabellico*) abſens damnatur: ejus poſtea vulgatà innocentià, ex Tergeſte, quò ſe contulerat, publico decreto Tarviſium revocatur cum facultate, ut etiam ex urbe egredi liceret, & in Melitana deſcendere prædia. Mox verò hominis innocentia probatà Tarviſio in patriam reſtituitur. Minimum tamen rigoris ſui remittente Fortuna, quæ ut ſævire cœpit, ſemper crudelior urget; novà quæſtione innocentiam vexavit nobilis adoleſcentis; quaſi auctor iſte fuiſset cœdis noctu patratæ, Hermolai Donati Triumviri Advocatoris, dum ex Curià domum repeteret (Præfuerat iſte Foſcari inquiſitioni tanquàm Advocator Communis) ex hoc violenta ſuſpicio cum Foſcarum quaſi reum accuſaret homicidii; acerbiſsimæ quæſtioni ſubjicitur, & quamvis negatione conſtanti obiecta purgaret, Naupliam iterum relegatur; donec pœnitentià ductus Nicolaus Ericcius mandavit moriens publicari, ſe in vindictam interfeciſse Donatum, quia eo declamante tanquàm *Communi Advocatore* Ericcius ipſe damnatus fuerat à Quadraginta Virali Collegio. Hac tubà voluit Deus Foſcari purgari innocentiam; in gratiam juſtiſsimi genitoris, & innocentiſsimi filii. Cœpit exinde Princeps vitam meditari privatam, unde Conſiliariis ſignificavit, de ſucceſsore providerent, qui Rempublicam fœlicius adminiſtraret. Illi verò abdicationem maturè conſideratam, nocuam potiùs, quàm utilem Reipublicæ unanimes reiecere. Clavo itaque reaſsumpto Reipublicæ, ad Sigiſmundum Imperatorem Veronà tranſeuntem, duodecim deſignatis Legatis cum decem Aureorum millibus mutuo datis; non minùs fortis, quàm pius, ſacrà eloquentià ad tutelam Eugenii Romani Pontificis excitavit Senatum, adversùs Sfortiam V. Comitem Mediolanenſem, cuius inſidiis circumventus Papa, Romà fugientis more ſeceſserat. Miſit inſuper ſex triremes Byzantium, quibus Ioannes Paleologus Orientis Imperator cum Patriarchà, & Primatibus Conſtantinopolitanis ad nonningentos traiecère Venetias, pro unione Eccleſiæ Græcæ cum Latinis, quam Eugenius IV. P. R. procurabat in Ferrarienſi Concilio. Per ſex dies ſubmiſit cibaria Foſcarus, æreque publico paravit hoſpitium eà pompà, quà Romani excepiſsent Auguſtum. Eodem tempore in Cathelanos qui ſciente, & minimè prohibente Alphonſo Rege

Neapolitano ad rapinam in portubus latitabant Calabriæ, armavit Antonium Diedum, Franciſcum Quirinum; quorum alter dum Aſtonium in orâ Ferrentinâ, rapaciſsimæ gentis aſyllum expugnare conatur, procellâ exortâ horribili, cum tota claſse littori allidittur, fitque miſerabile hoſtium ſpolium. Legatus alter Antibarim Ægypti urbem non levi commiſso conflictu, è manibus Turcarum extorſit: auctaque claſse ſub imperio Aloyſii Lauredani Amurathem fatigavit eà tempeſtate, quà contra Infidelem arma ſumpſerat Ladislaus Rex Poloniæ. Sfortia verò celebratis nuptiis, Cremonam dotis nomine acceptam cum Venetorũ tutelæ commendaſset, Philippi arma in ſe concitavit. Veneti non immemores quid Sfortiæ deberent, in Philippum priùs monitum, ſigna intulere tanto impetu, ut poſt brevem ſed cruentiſsimam pugnam, caſtris exutum, cæſiſque quatuor millibus equitum, intra muros reiecerint, ſpoliaverintque oppidis omnibus agri Cremonenſis, brevi etiam toto imperio; niſi Sfortia ex invidia Eugenii R.P. & Alphonſi Regis Neapolitani, Philippi partibus improbè ſe addixiſset. Anno ſequenti Philippus moritur, ditionum ſuarum hærede ſcripto Franciſco Sfortia; Alphonſo reclamante, qui impotens propriis viribus dominium aſsequi Mediolanenſe, in Venetos opẽ denegantes irrupit voce magis, quàm ferro: vulgato edicto ut Gens Veneta Regno excederet. Iniuriam vindicarunt Victor Capellus & Aloyſius Lauredanus orâ Apuliæ incensâ maritimâ, demersâ claſse in portu Meſsanæ, urbem ipſam expugnaſsent: ni à Patribus revocatus fuiſset Legatus qualicumque vindictâ contentis. Tantâ humanitate victi Italiæ populi, præcipue Laudenſes, Placentini, Anconitani Veneto paruerunt. Mediolanenſibus ex adverſo urgentibus urbium reſtitutionem, reſponſum: *Venetos omnia reddituros, cum eis tantum auri reſtitueretur, quantum Vicecomitum ſuperbia, & rei alienæ libido ærario extorſerat*. Propterea evocato in ſubſidium Sfortiæ, mercedem navandæ operæ, Principatum promittunt. Cum eo, vario Marte certatum: pactum tandem Inſubre prodito: ut quidquid ultra Abduam Padumque caperetur, illi cederet: quidquid citra, ipſi tenerent. Tantis ſociis oppida omnia brevi ceſsere. Allobrogum Ducem pro Mediolanenſibus pugnantem Bartholomæus Coleonius profligavit. Mediolano imminebat Sfortia; cum Veneti ſuſpicati unius Principis ambitu totam peſsundari libertatem Italiæ; Mediolanenſibus tentarunt Sfortiam reconciliare: renuentem gladio reprimere. Pronior tamen Sfortiæ fortuna fuit, Mediolanenſibus turbidè rem ſuam gerentibus, & contumeliâ in Venetos auxiliatores laſcivientibus, opinione citius in victoris poteſtatem venère. Creſcentis potentiæ metus, vel invidia Alphonſum Neapolita-

politanum Regem, Ludovicum Allobrogum Ducem, Foſcarum Venetorum Principem, Guillielmum Montisferrati dominum armavit in Sfortiam. Iſte Florentinorum innixus opibus, Mantuanâ ſubnixus amicitiâ ſe obiecit intrepidè. Velitationibus hinc inde certatum; donec à majoribus cladibus temperatum ad nuncium amiſsi Byzantii. Eum obſeſsurus Mehemetes Turcarum Imperator arcem extruxit ad Boſphorum non longè ab urbe. Qui opus impedire potuerant Græci nullo negotio, promoverunt ſuffectis cæmentis, atque cibariis: tantus erat vel à Turcis metus, vel à ſuæ civitatis munitione fiducia. Vere ineunte, urbem vallo cinxit, 13. milliarium ambitus; Illam propugnabant ſex millia Græcorum, tria Venetorum ac Ianuenſium adverſus Turcarum ducenta quinquaginta octo millia, & naves tercentas ac viginti, duce Amurate: illinc Conſtantino Helenæ filio: qui ab alio Conſtantino tantum fortitudine & fortunâ diverſus, quantum Anni mille centum & viginti inter primum & ultimum recurrere ſupputantur. Habuit civitas in propugnatoribus Hectorem ſuum, ſed temporaneum, Io: Iuſtinianum cognomento *Longum* natu Ligurem, qui navium præfectus, Græcorum miſeratus ignaviam, urbis tuendæ curam ſuſcepit tantâ fortitudine, & induſtriâ, ut illa tantùm hoc deſtituta ceciderit, ſicut eo ſteterat propugnante. Veneti ſuo & totius Eccleſiæ periculo moniti, viginti roſtratarum claſsem traducunt, quibus totidem onerarias adiungunt Romani, Ligures, Neapolitani, Iacobo Lauredano duce, qui navibus præmiſsis, ad portus cuſtodiam, ad Helleſponti fauces irruit in Barbaros. Clamore pugnantium excitus Paleologus irrupit & ipſe, ſed CCC armatorum millibus fortis Turca, Græcos facile propulſavit. Pugnatum iterum Mari ſtrenuè, ſed iuſta cauſa minimè placuit irato Deo. Quarto Kal. Iunii, feria 3. ante feſtum Corporis Chriſti, urbem pulſante Barbaro, Iuſtinianus Longus ſagittâ leviter in crure vulneratus, nullo qui loco ſuo præeſset, imprudenter relicto, quaſi vulnus obligaturus recedens, fruſtra eum enixe rogante Imperatore, Peram, Chium inde traiecit, ubi ad ſe rediens, ex mærore & flagitii recordatione obiit, initio ſuſceptæ propugnationis, ſupra hominem fortis; in fine, infra mulierem ignavus & abiectus. Græcis ergo magis fugientibus, quàm repugnantibus urbs capta. Conſtantinus Imperator vulneratus, abreptus à multitudine conculcatus interiit & obtritus. Quadraginta hominum millia trucidata: ſexaginta millia capta & vendita. Eorũ theſauri refoſsi ceſsere Turcis. Ligures eodem die etiam non rogati Peram Mehemeti reddidere, meritò ab eo bonis omnibus exuti; qui ſi Græcis vires ſuas coniunxiſsent, Turcas magnâ gloriâ repuliſsent. Sed pecuniæ avidiores

diores quàm gloriæ, utramque perdiderunt milites turpiſsimi, ſordidiſsimi mercatores. Foſcarus de ſuorum civium ſalute ſollicitus Bartholomæum Marcellum ad Mehemetum miſit, qui publico nomine cives ſuos, eorumque bona repeteret: omnia benignè impetrata, imò & pax, quam nec probare; nec rejicere voluere Patres, exempla expectantes Principum Chriſtianorum. Imò Lauredanus amiſso Byzantio, circa Eubœam, quatuor Turcarum triremes, biremes tredecim oppreſsit; earumque remiges in terram delapſi à proximis accolis trucidantur. Ad majora cum aſpiraret Nicolaus P. R. bellum Inſubricum, quod inter Sfortianos gerebatur & Venetos, tollere ſtatuit eà conditione, ut Venetis reſtituerentur quæcumque præter Abduæ Glaream Sfortia cępiſset: quo facto, Mediolani imperium Sfortia longà poſterorum ſerie retinuit. Die publicatæ pacis, Principem Foſcarum Romanus Pontifex aurato enſe, balteo, pileoque donavit; domum munera referente Nicolao Canalio, qui Oratoris titulum Romæ geſserat. Venetias tunc appulit Dux Auſtriæ, frater Imperatoris, cui obviavit Princeps in Buccentauro, cum Patribus, ædibuſque excepit Eſtenſibus. Venere etiā Aloyſius Aquileienſis Antiſtes, Petrus Barbus Cardinalis, Chriſti Vicarius futurus; utrique obviam itum magnis honoribus: ſed longè majoribus Federico Imperatori, & Leonoræ coniugi. Præter Bucentaurum aureo inſtratam panno, quà Princeps cum Patribus vehebatur, quatuor grandiora navigia à puppibus auro, cætera purpurà adoperta ſequebantur. Longo inde ordine ſuccedebant triremes, Ganzariæ, Paraſchermi centum & viginti, cantoribus ubique diſpoſitis. Ad Clementis ædem proceſsit Foſcarus, ubi ex Eſtenſi navi Imperatorem excepit in Buccētauro, aureoque throno locavit: ipſe ſenex juxta aſsedit, per mediamque urbē ad Ædes Eſtenſes deduxit. Leonoræ, Ducis coniunx, matrona inſignis, ducentæque patritiæ eleganti formà, gemmis, purpurà, auroque fulgentes cum Buccentauro occurrerunt ad D. Nicolai fanum, inde ad Domum Vetturiam in vico S. Euſtachii deduxere, mane veſperique ſalutantes. Ludi, Choreæ editæ in aula maiori, in quibus uterque ad tibias ſaltavit. Bulla adhæc aurea tribus prædita gemmis, duorum millium, ac ſexcentorum aureorum pretio, Leonoræ donata, unà cum palliolo, & ſtragulo cunali unionibus intexto & margaritis. Dux Foſcarus Imperatorē epulo excepit lautiſsimo. Plura intercedenti Imperatori Foſcarus auctoritate Senatus non diſsenſit, duobus exceptis: Ordine ſcilicet patritio in gratiam *Auguſtini Ciera*, cognomento *dal Banco*, & reſtitutione *Andreæ Donati* Cretenſi adminiſtratione ſubmoti ob ſuſpicionem amicitiæ cum Sfortia Inſubrum V. Comite. Vtrumque negavit juſtiſsimus Princeps,

quam-

quamvis Donato arctiſsimo ſanguinis nexu iunctus, cum ei filiam nuptui dediſset. Laudavit Cæſar legum obſervantiam, & zelum Principis, ad quem inter gravia colloquia dixiſse fertur: *ſe perpetuò Venetorum amicum futurum, omniaque eis proſpera nunciare. Cautè tamen Poſteros obſervarent Auſtriacos, à quibus plures calamitates prævidebat per armorum fragores, Veneto inſligendas imperio.* Quod plenè adimpletum ſub ejus filio Maximiliano. Imperatore abeunte, àd ſuſtinenda Inſubris Belli onera, lex lata: ut ultra Decimas Vrbani ædificii, quas ſub hoc Principe Veneti in publicum errarium conferre coacti: Vrbani omnes ac Peregrini judices in Magiſtratibus conſtituti, Scribæ, Miniſtri, Artium Legumque Patavii Profeſsores publicum merentes ſalarium, vectigal Fiſco penderent, gratuitamque Reipublicæ operam annui Magiſtratus in urbe per ſex menſes proximos præſtarent. Foſcarus verò ſummæ ſapientiæ Princeps, excellentis memoriæ, memor omnium, quæ poſt infantiam vidiſset, vel audiviſset, facundià copioſus, ingenio promptus, corporis maieſtate venerabilis, ætate nonnagenarius, poſtquàm ſummà cum laude Annos triginta quinque, Reipublicæ præfuiſset, aucto terrà, marique Imperio, Philippo Mediolanenſium Duci Brixiam ademiſset & Bergomum, decrevère Decemviri, ut ei abrogatà dignitate, novus in ejus locum Princeps ſubrogaretur. Abrogationis non una cauſa, in quà Inferi convenerunt & Superi, ſed voto diverſo: Aſtra palam, & abſque inſidiis; clanculò homines. Superni tubicen decreti Baptiſta Blaſius Cremenſis Aſtronomus, qui pluribus ante Menſibus vaticinium per Orbem vulgavit, indixitque inexorabile Fatũ, ut Foſcarus olim D. Marci Procurator promotus, in locum Io: Barbi, ſenectutis prætextu, Magiſtratu remiſsi; legem pateretur, quam ſuà facundià non diſsuaſerat. In eamdem ſententiam acceſsère homines libidine Imperii atque vindictæ, interprete Iacobo Lauredano Petri filio incliti Architalaſsi, qui poſt fractos Ligures, Domum reſtitutus cũ in Comitiis eloquentià quandoque certaret adverſus Principem; æmulatio gliſcebat, quaſi unus pro cunctis in Principem declamaret. Foſcarus pacis avidus, æmulam tentavit conciliare familiam, nuptiis filiæ cum dote prædivite oblatis ſecundogenito Petri Lauredani, qui amore captus alterius matronæ, coniugiũ reiecit oblatum. Hinc angor, ſimultas, & geminæ mortis ſuſpicio familià Principis fatigabat: quòd per idẽ tempus Petrus Lauredanus, Padanæ claſsis præfectus, Ducis Mediolanenſis veneno peremptus: eiuſque frater Marcus Eques, & Advocator Communis, repentino Fato ſublatus, dum ex mandato Decemvirum, de violentià inquìreret in Andream Triviſanum Ducis generum, & proviſorem Lemniaci, quaſi Mors poculo indigeat,

geat,

geat, vel ſpatio, ut homines interficiat quinquagenarios. Iniurias omnes quamvis imaginarias non tam ad animum revocaverat. Iacobus Lauredanus defunctorum nepos, quàm in abecedarium vindictam quærens oportunam. Nec ſera defuit. Adſcriptus inter Decemviros cum Triumvir occurreret, obſervatà Ducis abſentià in Collegio, vel in Senatu, cauſari cœpit cum Hieronymis Barbadico & Donato collegis Triumviris jacturam, quæ ex ſenio & abſentià Principis ſubiret Reſpublica, nec tanto vulneri occurrendũ quàm novi Principis ſubrogatione. Hac ſententià abrepti, vel quod longævi tæderet Principatus, unde ſolito plures eſsent ambientes, arcanum aperuere Conſilio, exacto ſilentii iuramento, ut ad declinandum rumorem populi, qui per Annos triginta quinque Foſcarum venerabatur, auctoritate Supremi Conſilii, Decemviris Senatores adjicerentur vigintiquinque, quorum voto & conſilio arcanum cribraretur graviſsimum. Placuit propoſitio abſque ullà contradictione Comitiis, unde adiecti Decẽviris Senatores viginti quinque, inter quos Marcus Foſcarus Principis frater, cui ne ſuſpicionem injicerent rem agi contra familiam, ſi eum præterirent, ad Comitia vocarunt, vocatum in cubiculo clausère vicino, ſub pœna capitis Sacramento adſtrictum ad ſilentium; vel ſpe ſucceſsionis & Principatus, quæ ad leniendum dolorem fraternum in eo veriſimilis erat, lactarunt, ut muteſceret. Illa namque cautela adversùs ſolũ Marcum præſumptio erat violenta, eo in conclavi Foſcaram agitari familiã. Lege itaque degradationis propoſità, quaſi Reſpublica trunca jaceret & ſine capite ob Foſcari ſenectutem; Senator obiecit prudentiſsimus, conſiderando *rem novam, plenam diſcrimine nec citra ſcandalum, per homines finem imponi ei dignitati, cuius auctor eſt Deus. Dei namque gratia ducem dixere Patres noſtri. Sponſus Reipublicæ Princeps ſi ab eà non eſt divertire permiſsus, quàm coniuge permittente? quomodo eo inſcio & invito ipſa poterit divortire? Sola Mors finem fecit, ſinem faciet. Erectus ad thronum, cum glorià, iniurià maiori expellitur indictà causà. Senectus non eſt hominum culpa, ſed naturæ; imò naturæ venerabilis partus, cui ex lege divina, adoratio impoſita ſub pœnà omnium graviſsimà,* ſi vis longævus eſse ſuper terram. *Cani ſunt ſenſus hominum. Satis nobis quod canitie venerabili Princeps nox excitet in exemplum. Senem abjcitis, abjcite voſmetipſos, ſenes futuros. Glorioſumquia longævum damnatis principatum, facite ergo anniverſarium, vel Menſtruum. Senem declamatis inutilem propterea remittendum; Auctorem accuſate Naturæ; eum redarguite, quod terminos ipſe conſtituerit, qui præteriri non poſſunt. Novum hoc genus homicidii, Parricidii ſepulchro præcurrere, & vivo, tantoque Principi næanias canere. Idem omnibus; calamo vel ferro ſævire, & minùs benemerito Principi vitam auferre, quàm diadema.*

Quibus

Quibus omnibus præteritis, die 20. Octob. 1455. degradatio decreta, & per Iacobum Lauredanum decreti auctorem, tanquam hebdomadarium Triumvirũ significata, *ætatem accusans, quæ consilium illud Decemviris suaserat. Post multos animi, corporisque labores, quibus per triginta quatuor Annos Rempublicam gesserat tantà cum gloria, optatam quietem, quam ipse repetità abdicatione sponte procuraverat; nunc exauditus, tanquàm è turbido Mari in portum delatus, Mille & quingentis ducatis annuis contentus, mirabili obedientiæ ad posteros testimonio, perciperet. Eius enim divinas laudes atque virtutes nulla Ætas unquàm conticesceret*. Foscarus ut constanti, infractoque erat ingenio, nil animo commotus, ad Lauredanum hilari conversus vultu, ait: *Quis credidisset extremis vitæ Annis, Foscarum indictà causà ex throno evocari? Causà inquam indictà; publica namque si hoc urgeret utilitas; ingratus essem & iniquus, si Rempublicam bono haud præferrem privato. Amplissimi Magistratus decreto (quando ita placuit) obsequi paratus sum; privatamque vitam, quæ iam cursum implevit, curis agam solutus, qui publicam administrationem (absit verbo invidia) per eos Annos fæliciter gessi*. Postridie summo mane, Insignibus ducatus Depositis, monitus à Consiliariis per scalas descendere occultas negavit, sed per Giganteos gradus magnà propinquorum, affiniumque stipatus catervà, & populi commiseratione, quum Scipioni innixus ad infimos scalæ gradus pervenisset, *Aliorum iniquitas* (inquit) *me hinc expellit, quo mea merita perduxerunt*, Ac per medium forum multitudine refertum populi transiens, parvà cimbà cum Marco fratre ad domesticos lares, in vico S. Pantaleonis delatus, paucos post dies, auditò campanarum sono de novi Principis creatione, lætitià, magno ædito gemitu, generosus ille spiritus vinculis mortalitatis solutus ad Superos evolavit. Defuncti coniunx cadaver Senatui negavit ad sepulturam, volens suà dote funera solvere, nec nisi coacta reddidit. Ducalibus insignibus Respublica funus ornatum voluit, & quæ vivo abstulit, defuncto restituit, lege latà Supremi Consilii, *nè amplius contingeret*; duorum millium ducatorum mulctà decretà cum dignitatis spolio, in eum, qui Principis depositionem, exceptà perfidiæ causà, disputandam assumeret. Princeps Principem novo exemplo comitatus est ad sepulchrum, sed sine insignibus, in habitu Senatorio; quia cum unicum caput corpus habeat Reipublicæ, unicumque diadema unitatis argumentum; Insignibus decorari haud poterat vivens Princeps, quæ ex S. C. Principem ornabant defunctum. Laudavit eum in funere Bernardus Iustinianus nepos S. Laurentii Venetiarum Proto Patriarchæ, Leonardi Procuratoris filius, audiente novo Principe cum Senatu; adstanteque usque ad ultimum vale, Sancto Bernardino Senensi, qui Foscaro fuerat à secretis Confessionis. Sepulchrum ex pario marmore

more auroque purissimo, in æde Minorum, ad Aram Maximam posuere Nepotes cum sequenti Epitaphio.

Accipite Cives Francisci Foscari vestri Ducis imaginem, ingenio, memoria, eloquentia, adhæc iustitia, fortitudinem animi, si nihil amplius, certè summorum Principum gloriam æmulari contendi. Pietati erga patriam, meæ satisfeci nunquam. Maxima bella pro vestra salute, & dignitate, terra, marique per annos plusquam triginta gessi, summa fœlicitate confeci. Labentem suffulsi Italiæ libertatem, Turbatores quietis compescui; Brixiam, Bergomum, Ravennam, Cremam Imperio adiunxi vestro. Omnibus ornamentis patriam auxi. Pace vobis parta, Italia in tranquillum fœdere redacta, post tot labores exhaustos, ætatis anno LXXXIV. Ducatus quarto supra tricesimum, Salutisque MCCCCLVII. Kal. Novemb. ad æternam requiem commigravi.

Vos Iustitiam, & Concordiam, quo sempiternum hoc sit Imperium, conservate.

Sabellicus, Petrus Iustinianus, Petrus Marcellus, Io: Baptista Contarenus, M.S. in Bibliotheca Throna, & Cornelia Piscopia, Doglion. Vianol. Spondanus.

Geminam coniugem Foscarus habuit, & cum prima defuncta ...... thronum ascendisset, novam duxit..... Nani non sine murmure: quasi cœlibatus aptiùs Principi conveniret quàm coniugium.

Nummisma Foscari Ducis.

Supra habes pag. 148. cujus in fronte nomen & Imago affabre sculpta; à tergo Venetia sedet inter Leones cum parmà Leone insignità, qui simbolum Reipublicæ. Tenet dexterà gladium evaginatum, supremæ suæ potestatis argumentum, more Regum, qui solum Deum ultorem habent & judicem. Quod ad differentiam Veneti Ducis, qui (teste *Ægnatio lib. 2. Exempl. Venet.*) vaginà aureà reconditum pone gerit: ut nec celeritatem ad ulciscenda facinora prɶmaturam significet; nec auctoritatem supremam; unde sui arbitrii non esse totam Rempublicam, sed subsequentis Senatus summam esse potestatem: quod etiam Consulum Romanorum præligati fasces ostendebant. Iacent sub pedibus eiusdem Reginæ, in eodem nummismate, *Invidia*, quę sibi viscera agitata discerpit, & *Mars*. Argumentum: ad tantam Maiestatem conscendisse *Venetia Magna* (hæc ibi epigraphes) Violentià devictà & Invidià Principū exterorum. A. N. cœlatoris hic habes nomen. Quæ cum auspiciis Foscari Ducis & consilio contigerint: sibi jure adscribere valens, modestiæ plenus, Patriæ transcripsit & Reipublicæ. Eumdem symbolum marmore sculptum habes in porticis Ducalis Palatii, quæ

foro

foro eminent deambulatorio, erectis ab eo angulo, ubi torquentur malefici, usque ad Portam Principem, templo inhærentem, sedente Foscaro: quà in portà ejus occurrit imago lapidea cum insignibus Foscaræ gentis, & hieroglyphicis hinc inde positis virtures annuentibus eiusdem Principis.

INSCRIPTIO



Posita in aulà Scrutinii, sub insignibus Ducis Francisci Foscari.

Qui Patriæ pericula suo periculo expetunt, Hi Sapientes putandi sunt. Cum & eum, quem debent honorem, Reip. reddant, & pro multis perire malunt, quàm cum multis. Etenim vehementer est iniquum: Vitam, quam à Naturà acceptam propter Patriam, conservaverimus naturæ, cum cogat reddere patriæ, cum roget non dare. Sapientes igitur existimandi sunt, qui nullum pro salute Patriæ, periculum vitant. Hoc vinculum est huius dignitatis, quà fruimur in Republicà: Hoc fundamentum libertatis: Hinc fons æquitatis mens, & animus, & consilium, & sententia civitatis posita est in legibus. Vt corpora nostra sine mente; sic civitas sine lege, suis partibus ut nervis, ac sanguine, & membris uti non potest. Legum ministri, Magistratus, Legum Interpretes, Iudices, Legum denique iccirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus.





PAS-

PASCHALIS MARIPETRVS

DVX LXV.

Electus die 30. Octobris Anno 1457. obiit die 6 Maii Anno 1462. ætatis 77.

MONIMENTVM ANTIQVVM.

Me Duce Pax Patriæ datæ est, & tempora fauſta.



LXVI





DVcatum prænſantibus Marco Foſcaro defuncti Principis fratre, Chriſtophoro Mauro, Paulo Throno, Paſchalis Maripetrus ex D. Marci Procuratore Dux creatur. Poſtquam æquè clarus togâ, & ſago, Orator Reipublicæ duos adoraſset Romanos Pontifices Nicolaum V. & Callixtum III. Legatus in caſtris adverſus Inſubres juratâ pace, tunc domi ſederet inter Sapientes. Vnus iſte & ſolus, qui poſt abrogatam filiorum ſucceſsionem, Princeps Principem comitaretur ad ſepulchrum. Sanum in eo ingenium, nihil ficti habens vel ſimulati, pacis ſtudioſus, religionis zelantiſsimus cultor, ſcelerum inſectator acerrimus, pacem à Foſcaro Principe quaſi per man us acceptam, nec domi nec foris violatam tradidit ſucceſſori.

fori. Sub hoc Principe revixère Athenæ,& mortui visi sunt vivere, ac typis loqui tantà frequentià,ut sub judice lis vigeat acerrima;an expedierit Librorum impressio? cum per eam quasi per cursorem & tabellarium Calvinus,Lutherus, aliæque Averni furiæ viam sibi straverint,& per typos ictu oculi, Mundum deceperint. Anno sui Principatus secundo,throno erecto in foro D. Marci, Comitem inauguravit Goritiæ,ritu prisco,& solemni.Semel in hebdomadà ad Iudices descendens pedaneos, justitiam urgens, & Viduarum tutelam, toto suo principatu nunquàm dicitur aberrasse. Eius leges quasi Cœlo delapsas, & Dei digito exaratas populus veneratus, etiam post mortem testatum voluit vel in sepulchro. Per lustrum Reipublicæ præfuit,sed non explevit, pace Vrbi non Orbi relictà. Eius cineres custodiunt Monaci, Sanctorum in æde Ioannis, & Pauli.

EPITAPHIVM.

Paschalis Maripetrus P. Maximis Reip. Senatoribus bonitate & eloquentià semper par, Religionis ac rerum usu, nulli secundus, & cum iis laudibus in civitate,in locum Francisci Foscari adhuc viventis à patribus suffectus, quod antea domi debilitatum erat,suà auctoritate in pristinum statum divinitùs restituit. Vixit in Principatu An.iv. Mens.vi. dies 6. obiit MCCCCLXII.

Nummisma Paschalis Maripetri D.V.

Privatum quidem; in quo Imago Principis & nomen. *Paschalis Maripetrus Venetum. D. Dux*. A tergo Imaginem habes Iohannæ ejus coniugis, sub epigraphe. *Iohannæ Alme Vrbis Venetiarum Ducissæ Inclitæ.*

Sabellicus, Petrus Iustinianus, Petrus Marcellus, Sansovinus, Io: Bapt. Contar. Vianolus, Doglionus.

CHRISTOPHORUS MAURUS

D V X LXVI.

Anno ætatis suæ 72. Salutis 1462. Mense Maio Electus obiit Mense Septembri Aono 1470.

VETVS ELOGIVM.

Iustitiam colui prius, & si fata fuissent
Pro Patria in Turcas Dux moriturus eram.









Hristophorus Maurus jam Legatus extraordinarius pro Italiæ pace ad Romanum Pontificem Pium II. pietate & religione illustris, Christo patiēte, Principatū obtinet, promovente. Haud enim fallitur Via, Veritas, & Vita. Vestalem virginem, Christi Sponsam cum violare potuisset, & noluisset; illibati thori à Christo Crucifixo gratias & thronum accepit: Mauro pertranseunti caput inclinante ligneà Salvatoris imagine, & gratias agente, quòd thorum non polluisset Deo sacrum. Lusit populus præ lætitia in electione Mauri, cujus coniunx Christina Sanuta excelsæ indolis Princeps, pietate in pauperes cæteris matronis anteibat.

teibat. Anno ſui Principatus altero, evocatus Mehemetes II. à Demetrio Peloponneſi Principe in ſuppetias adversùs fratrem; cucurrit ad rapinam, & inter duos litigantes tertius gaudens peninſulã occupavit, exceptis oppidis, quæ in litore Venetus poſsidebat, quibus tandem inhiante Barbaro claſsis objicitur octoginta navium, in Iſthimo, muro inter utrumque mare porrecto, quo ab Achaià irrumpere prohiberetur Tirannus. Primo itaque congreſsu, magnà ſtrage repulſus, ad Corinthum cladem repoſuit Bertoldi Ateſtini cæde conſpicuam. Ex tribus Chriſtianorum millibus unus tantum ſuperſtes noſtram nuntiavit ruinam. A Claſsiariis poſtea terreſtri expeditione ſuſceptà, Argos direptum, ubi Chriſtiani iterum circumventi Naupliam auſugère cruore madentes. Refectis viribus, aleam denuò ſubire placuit in hoſtem incompoſitum, & prædæ intentum; qui propterea inopinatò petitus colla ſubdidit ad victoris ſaturitatem. Dum hiſce eventibus vaſtatur Peninſula: laſcivire cœperunt Tergeſtini, nundinas avertentes, quæ Iuſtinopòli celebrari ſolebant. Inſolentiam caſtigavit Senatus admotis ad eorum mænia caſtris, donec intercedente Pio II. R. P. qui Tergeſti Epiſcopus fuerat, fame domiti, pacem impetrarunt eà lege, ne in Iuſtinopolitanos quid novarent. Repetità interim irruit in Peloponneſum irruptione Turca, muro deſtructo, quem Veneti magno ſumptu, ſummoq; erexerant labore. Fato pari Vrſatus Iuſtinianus, & Victor Capellus, ille ad Mitylenem, ad Patras iſte inito certamine, uterque cum cæde repulſus, ex mærore contabuit. Conventum interim Mantuæ agebant Chriſtiani proceres, duce Philippo Burgundo, qui proavum inſiſtens veſtigiis, pro Chriſti fide anhelabat ad gloriam. Cardinalis Nicænus Venetias miſsus à Pio II. & more inſolito in ſupremis admiſsus Comitiis, apertà urnà ſortem eluſit aureo extracto globulo, officium electione complevit. Lectæ poſtea literæ tenoris fuere ſequentis.

Pius II. Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio nobili viro Chriſtophoro Mauro, Duci Venetiarum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Quod iampridem occulto concepimus animo, nunc in lucem venit, & omnibus patefactum eſt. Æſtate proximà in expeditionem contra Turcos exibimus, & Apoſtolicus ſacer Senatus comes erit, nec deerunt robuſtæ militum cohortes, quæ nobis oratione pugnantibus, ferro dimicent. Decretum noſtrum publicè lectum eſt XI. Kalendas Novembris, in auditorio noſtro: quod promiſimus, favente Altiſsimo, perficiemus; neque irrita invenientur verba noſtra, quanto per facultates licebit, tanto fortiores in bellum proficiſcemur. Comitabitur & nos, Deo propitio, dilectus filius Philippus, Burgundiæ Dux, ex alto Francorum genere natus, quem validas, & expertas in armis copias adducturum non dubitamus: ſpem non parvam in eius exercitu collocabimus, nec minorem in claſſe tuà, quam paulò antè in Peloponeſum navigare

 iuſsiſti,

iussisti, cuius egregia facinora, & priscis aequanda mirabilibus referuntur, perseveraturam hanc in bello contra Turcos nobiscum, & cum praefato Duce, fiduciam gerimus: quoniam cum Oratore tuo ita conventum est, nec dubium nos habet, quin totis conatibus hoc bellum adiuves, quod pro fide Catholicà suscipitur. Haec quamvis magna sint, prosperitatemque haud dubiam promittere videantur, multa tamen maiora, & clariora essent, victoriaeque certiorem spem praeseferrent, si tu ipse in bellum ires, teque nobis adiungeres, Reip. Venetae Ductor, & Princeps. Multum in rebus bellicis auctoritas valet & maiestas, ac gloria Principum, terrenturque saepe magnis nominibus hostes, & fama magis, quàm re ipsa dissipantur. Multum (crede nobis) afferet terroris inimicis nostris magni Burgundiae Ducis praesentia: nos quoque propter Apostolicae Sedis dignitatem hostilem metum non nihil augebimus, quòd si tu pariter accesseris, Bucinatoria navi, & Ducalibus sublimis insignibus, non Gracia solùm, sed Asia quoque, & omnis exterrebitur Oriens: nec dubium, quin simul iuncti pro Sancto Evangelio, proque gloria nostri Dei, authore ipso, res clarissimas gerere valeamus. Hortamur igitur nobilitatem tuam, ut nostro in hac parte desiderio satisfacere non postponas, accingere huic bello, atque, res tuas ita disponito, ut nobis mare ingredientibus praesto adsis apud Anconam, te nobis coniungere, erit Reip. Venetae valde gloriosum, & Reip. Christianae admodum salutare, tu vero aeternae vitae praemia consequeris. Scimus apud Venetos non esse novum, urbis Principem in classem descendere, ac bellum gerere: quod si unquam licuit, nunc maxime licet, quando pro Religione certamen adest, & Christi Salvatoris causa geritur, veni ergo fili, neque laborem recuses, quem nos sponte subimus, neque te senem dixeris, tanquam propter aetatem debeat excusari. Philippus quoque senex est, & multo longiorem, quàm tu ipse, facturus est viam; & nos etiam senectus invasit, annos duos de sexaginta natos: accedunt morbi, qui nos dies, ac noctes urgent, nec tamen detrectamus in bellum ire; noli tanquam senem, & debilem, huic tam sancto, & tam necessario bello te subtrahere: consilium tuum, & authoritatem quaerimus, non lacertorum robur, aut alias corporis uires, quod Philippus in bello praestabit, hoc ex te desideramus: cura, ut venias: tres erimus in bello senes, in trinitate Deus gaudet, trinitatem nostram caelestis Trinitas adiuvabit, & ante oculos nostros conteret hostes. Expeditio ista senum appellabitur, quia senes bello praeerimus, iuvenes tamen brachia exercebunt, & pugnam conferent, atque hostem conficient: verum ductu, consilioque nostro praeclara res est, ad quam te invitamus, nec mortem metuas, quae vitam tribuit meliorem, moriendum est etiam omnibus in hoc seculo, nec quicquam melius est, quàm bene mori, nec honestius mori licet, quàm in causa Dei: veni ergo, & consolare nos, aut cum victoria revertemur, praestante Domino, aut si aliter in caelo decretum fuerit, eam sortem feremus, quam dabit divina pietas, nobis malè esse non poterit, voluntatem nostram caelesti beneplacito subiicientibus. Dat. Romae, Anno incarnationis Dominicae, 1463. octavo Idus Novembris. Occurrit venerabundus

bundus & plaudens Senatus, cum ex centum & septem suffragiis, quinque solumodo contraria, duo verò supra centum propitia. Easdem relectas in Maiori Consilio Princeps sequentibus fulcivit.

Duo inter cætera cũ maximè debeamus rerum omnium Auctori & Domino; Electionem nostram in Principem liberæ civitatis, unum: eoque tempore contulisse, quum ad eius gloriam, & exaltationem Christianæ fidei vires & consilium exercere valeamus, alterum; certant hæc harmonicà discordià, quarum alteri magis teneamur. Principatus equidem ut nos Dei gratià super extollit; ita imperium, & discrimina rerum, quorum fieri participes gaudemus, mercedem iustitià geminant, & sicut nos debitores Deo, Deum nobis debitorem faciunt. Vivunt omnes, præcipuè Principes, non ad ventrem, & ad lasciviem, sed ad gloriam, & gloriam imarcescibilem, cuius diadema manibus acquiritur propriis, non ab alienis imponitur. Coronam gerimus sed Reipublicæ: propriam quærimus, & habebimus in castris Religionis, accincti gladio sub Crucis vexillo. Longævum vitæ cursum cum nobis Natura indulserit; extremum vitæ vovimus Deo; cuius commilitones in aciem descendimus pro Fide, & Patrià. Faveat ille, ut inter Sacerdotes aspergatur Sanctuariũ sanguine nostro. Refloreat sepulchrum, in quo iacuit Vitæ Redemptor: ut sicut nostri dicitur, & est ille Redemptor, simus nos liberatores, Redemptores Sacri Sepulchri.

Hisce vocibus recreata Comitia exultaverunt, planctu jubilationis, & gaudii. Ex mille & triginta quatuor, qui convenerant, admissis etiam Procuratoribus S. Marci; soli vigintiseptem suis adversati sunt calculis, lege pro fœdere latà, cuius inscriptio. *An.* 1463. *Ind. ii. die xix. Octob. Pontific. Pii II. An. vi. Conventio inter Summum Pontificem, Christophorum Maurum Ducem Venetiarum, & Philippum Ducem Burgundiæ.* Hoc audito Pontifex in pleno Concistorio, expansis in Cœlum manibus piè prorupisse legitur. *Benedicti sint filii nostri Veneti: benedicta sit eorum tam pia, tam sancta intentio. Benedicat Deus Christianissimam Rempublicam, & Senatum eorum adiuvet, eisque honorificentissimè adversùs Turcas præstet victoriam*: protinusque Romà Anconem secedens, ut Ducem expectaret; brevi iste adfuit cum decem triremibus, Ducalibus cultus insignibus. Descendẽtem excepere plures Cardinales, & medium in palatium duxère Apostolicum, ubi pridie Pontifex occubuerat tristitià confectus non habens, unde aleret Crucesignatos qui deficiente commeatu, venditis armis, & equis defluebant. Vel quod exemplo Philippi Burgundi literis ad expeditionem excitati Pontificiis, Maurus senectutis prætextu speraretur absuturus: cum vicinum audivit Pontifex, & se expeditioni adstrictum mœrore cõtabuit. Mortuo Pontifice; trasmissus Nicolaus Canalius in Eubœã ut classi præesset. Cũ appulisset, agro vastato Thessalonicensi, Ænũ munitissimum Thraciæ castrum victorià expugnavit incruentà, quam sævitià fœdavit & avaritià plusquam barbarà, fræmentibus Superis, qui Chalcidis amissione, Imperatoris exilio scelus expia-

 runt.

runt. Æno combusto, in Lemnum Canalius navigat, relictà Chalcide, quam cum tercentis navibus, & centum ac viginti armatorũ millibus circumsepsit. Euripi angustias tenebat Canalius, cuius timore, & oppidanorum virtute territus, meditabatur Ottomanus vasa colligere: sed ab Asiæ Præfecto, assultibus repetitis nocturnis Chalcidenses, qui per 30. dies pugnando fessi hostẽ pertulerant ferocem, ad Canalium extensis ex muro navibus opẽ implorabant. Potuisset sanè Canalius pontẽ dejicere, quo insula Continenti jungitur, sicq; Mehemetem in ultimã adducere desperationẽ, ut Bartholomæus Minius vir fortissimus cum suis triremibus, & Picemani fratres Cretenses cum navi onerariâ offerebànt; sed Fato urbiũ, vel filii adolescentuli amore captus, quem secũ vehebat, animo supersedens pervicaci, negavit adversus hostẽ incursum, ni prius Classis altera appelleret à Senatu decreta. Obsessi propterea desperato subsidio, post irrequietam sexaginta dierum oppugnationem, in Barbarorum prædam venere. Paulus Erizzius urbis propugnator factà deditione per medium corpus sectus est, crudelis Mahometis ioco dicentis, *Capiti non lateribus* incolumitatem promissam. Filia ejus formosissima Sultano obiecta ad lasciviem, negans libidini satisfacere, jugulata purum Christo reddidit spiritum. Canalius ut se negligentià purgaret, classem insequutus Othomanicam invida ludibunda retractus fortunà (illudente à tergo hoste, *se satis hospitaliter à Venetis acceptum eo in itinere*) Eubœam revertitur, ut oppidum redimeret: sed à pedestribus copiis nimis properanter in expeditionem ruentibus, exeunte Turca, cædes tanta comittitur, ut consternatæ navales trepidè in proximam confugerint Aulidem. Canalius ob rem pessimè gestam maritimo exutus imperio deportatur. Turcarum victoria Christiani concussi centum instruxere triremes: quinquaginta Sixtus IV. P.R. & Rex Neapolis Ferdinandus, reliquas Veneti Mocenico duce. Accitis iste Cypriis, & Rhodiorũ auxiliis, Ionium diripuit, Cariam spoliavit, Athaliam Pamphiliæ urbẽ tentavit irrito tamen successu; Persarum Rex à Venetis excitatus ereptà Turcis Armenià, præclarà legatione Christianos urgebat nostro gravi dedecore, cum nullo sollicitante nos in Barbarum urgere deberent acceptæ clades, adempta regna, & supra omnia, quam profitemur, Religio. Hæc inter funera Martis, suum Pallas thronum non deseruit. Cardinalis Bessarion, cuius pectus fuit eruditionis sacrarium, eiusque ædes Musarum domicilium refertissimam Græcis libris Bibliothecam Christophoro Mauro Principi donavit, credens non alibi Græcis Athænis esse perfugium. Fulget hæc in Ducali locata illustre urbis spectaculum. Non multò post, Maurus Anno sui regiminis ix. Mense vi. decubuit ad Iobi fanum,

quod

quod ipſe privato ſumptu cum proximo extruxerat cœnobio, Iuſtitià in clauſtro depictà, circa quam deambulans quondam cum D.Bernardino Senenſi, ſermone inter eos recurrente de Regnis Imperiiſque periodicis, & ab eo Sanctus interrogatus *quouſque Veneta duratura eſſet Reſpublica?* uno ſatisfecit adverbio, *donec*: Iuſtitiam digito monſtrans ibi depictam. Sub eius Principatu pars interior Ducarii veſtibuli ad ſummum deducta:cujus in fronte circa faſtigium, Mauri ſtatua ex Pario marmore erecta cum duabus aliis primorum parentum, viſitur.

Conſule Sabelicum, Petrum Iuſtinian. Petrum Marcellum, Sanſovinum, Io: Baptiſtam Contarenum, Tarcagnotam 2.par. lib.20. Igliefcam 2.p.lib.6.cap.16. vſque ad 18.Vianolum, Doglionum.

Epitaphium in lapide Sepulchrali.

Chriſtophorus Maurus Princeps. MCCCCLXX. Septembris.

Vbi Maurum Sanſovinus ſepultum dicit die ii. Novemb. quod minimè concordat cum epitaphio.

Sepulto Mauro, interdixère Patres Ducibus futuris, nè Inſignia pingerent vel ſculperent gentilitia cum Cornu Ducali in triremium alpuſtriis, nec in parietibus privatis, ſed ſolum in ædibus publicis, teſte *Sanſovino de Principis dignit.lib.*11.

Symbolum Chriſtophori Mauri Dux Venetiarum.

Religionis & Iuſtitiæ cultor.

Ita in privato Nummiſmate, cujus in fronte Ducis Imago: In obliquo verò lemma ſupraſcriptum, ut ſupra pag.162.

NICOLAVS TRONVS vel TRIBVNVS II. DVX LXVII.

Electus die 23. Novemb. Anno 1471. obiit 28. Iulii Anno 1473.

MONIMENTVM ANTIQVVM.

Hic Thronus æthereis Dux est demissus ab astris,
Vt Persam Veneto iungeret Imperio.











IN Turcas ferociente Persa, Maurus Princeps decumbit, eiusq; in sacrà expeditione socius Nicolaus Thronus subrogatur, Legatus olim extraordinarius ad Romanum Pontificem, & D. Marci Procurator. Persarũ iste Legatos audiit, quibus nomine Vsumcassani bellica tormenta petentibus satisfecit, adiunctis muneribus, quæ ergà Regem Venetam testarentur amicitiam & munificentiã. Veneti & Põtificii rubore suffusi, quod nil adhuc pręclarè gessissent, Smyrnam eo ardore appulerunt *Mocenico* Duce, quod unicà impressione, deletis propugnatoribus arcem expugnaverint munitissimam. In Ciliciam inde nunc Caramaniam navigarunt (cuius Reguli inopià fatigati, Turcico præmebantur imperio) & Corcyrũ æneis prostratum machinis, Seleuciamque urbem suo satis conditore illustrem expugnarunt, suisq; dominis restituerunt. Ad Mycrã munitissimã arcem, in quam Venetus castra posuerat, Aiasbegus occurrit validi ductor exercitus, initoq; certamine, anceps victoria nutavit, donec

cadente

cadente Aiasbego, proiectoque in Mycræ muros occisi capite, arx est dedita. Traduxerat Mocenicus Catharinā Corneliam M. Cornelii summi Senatoris filiam Iacobi Regis thalamo destinatam in Cyprum; cum indignata Venus sedibus suis externam Venerē imperare, mors Regis nunciatur, qui Catherinā coniugem cum posthumà prole prægnantem hæredem scripserat, tutelà Venetæ commissà Reipub. Venère tamen Legati à Carlotà Cypri Regis sorore (quæ in Rhodum è Cypro a fratre pulsa fuerat) postulantes, *ut quando Regnum illi tanquàm sorori legitimè iure spectaret hæreditario; vellet Venetus amici Regis olim filiam, & Aloysii Sabaudi Ducis uxorem à fratre illegitimè nato, throno pulsam, auxiliis iuvare, atque in paternum Principatum restituere.* His Mocenicus, veteri Lusignanæ Domus cum Venetis repetita amicitià, omnia obtulit, quæ salvo Gentium jure merito præstare posset. Id tamen minime reticendum; Catherinam (ut eidem Carlotæ cōstabat) defuncti Regis coniugem, filiā esse adoptivā Veneti Senatus, & hæredem Cypri Regni cum posthumà sobole, à Rege institutam: propterea in asserendo Regno, ei Venetos non defuturos. Mocenici deliberationem laudavit Thronus cū Senatu, qui Domi novo excuso nummismate, fraudatam pecuniam vivà, propriaq; suimet effigie signavit, (quod nulli postea permissū Principi) Tronumque appellavit; nec longè post vivere desiit Mense xx. sui Principatus, in Minoritanà æde sepultus ad aram maximam, Mausolæo nobilissimo cum imagine Principis Optimi, quam Philippus filius, vir alti ingenii sculpi curavit.

EPITAPHIVM.

Nicolaus Thronus, Optimus civis, Optimus Senator, Optimus Aristocratiæ Princeps fuit. Quo fœlicissimo Duce florentiss. Venetorum Resp. Cyprum Imperio ascivit, cum Rege Parthorum contra Turcam socia arma coniunxit: fraudatam pecuniam viva illius effigie resignavit, cuius innocentiss. manibus hanc meritam divini operis molem, Philippus filius perenni æternitate posuit.

Laudavit in funere Thronum Io: Franciscus Paschalicus Doctor egregius.

Lege Sabellicum, Ioannem Baptistam Contarenum, Petrum Marcellum, Petrum Iustinianum, Sansovinum.

EPITAPHIVM.

Deæ Maurocenæ positum, coniugi Nicolai Throni Ducis Venet. in claustro S. Iob.

Deæ rariss. mulieris Illust. D. Nicolai Throni Incliti Ducis Venetiarum coniugis, humili hoc in loco, corpus iussu suo conditum est: animum verò eius propter vitæ, virtutum, & morum sanctitatem, ad cælestem patriam advolasse credendum est. Ann. Salutis. MCCCCXXVIII.

Monetam Nicolai Throni D.V. in quà imago ad vivum excul-pta, supra habes pag. 168. NI-

NICOLAVS MARCELLVS

D V X LXVIII.

Electus die xiii. Augusti Anno 1473. Obiit die i. Decemb. Anno 1474. ætatis suæ lxxvii.

EPIGRAPHES ANTIQVA.

Me populi pietas & opes exponere novit,
Et vitam cives colere, Scodramque recepi,
Obsessam Turcis, servavi in pace Latinos.

LXIX.













Vstis defuncto solutis: Ducalem Maiestatem expolière Patres, permissà in nummismatibus Ducis imagine non personæ, & eà flexis genibus coram Marco Evangelista, cui pallium electus offerat valoris Ducatorum 40. Filio vel Fratri Principis pari lege, Decemvirum occlusa voluere Consilia; Rogatorum comitiis solumodò apertis filio Principis, ubi de regimine, non de crimine quæstio recurrit. Cum de successore actum, Aloysius Foscarenus, Franciscus Zanius D. Marci Procurator, Petrus Mocenicus, Andreas Vendramenus D. Marci Procurator, visi omnes

omnes merito Principes, nisi unicus & individuus Pricipatus. Marcellũ reliquis prętulere Pietas, Reipub. vsus, Legationes, Senectus. Aureis voluit inaugurari Cornu, Trabe, Paludamento, cum antea coccineo uterentur Duces; morum argumento, qui Principi nonnisi aurei conveniant. Vetusta sub hoc Principe, Alexandri III. instauratur historia, excellentique penicillo Gentilis Bellini, erga Romanam Sedem Friderici Ænobarbi traducitur testimonium, Venetorum sanguine partum. Receptis fascibus, Ambrosium Contarenum legavit ad Vsumcassanum Persarum Regem, qui magnis difficultatibus, per montes, & flumina, inter latronum, ferarumque pericula terrestri itinere superatis, ad Regem pervenit, expositisque mandatis, post Annos quatuor in urbem rediit. In Insulà Cypri sacer homo sacri facinoris auctor, qui apud Ferdinandum Regem, legati munere fungebatur, regni libidine captus, ut faciliùs assequeretur, Ferdinando suasit, filium suum ex concubinà natum, Iacobi Regis filiæ & ipsi spuriæ, se duce, matrimonio locare. Placuit arcanum Regi; acceptisque Antistes duabus triremibus, cum Consiliario Cyprum navigat, noctu ferro irrumpit in aulam, & Marte comite, Venerem adeunt numen impudicum. Ibi obtruncatis Gentilibus, Reginæque custodibus, Iacobi Cyprii, & Ferdinandi Regis Neapolitani nothos matrimonio jungunt, solio inaugurant, ut in Veneris patrià adulteria regnarẽt. Petri tamen Mocenici Maris Anchitalassi vigilantià, seditione, compressà; cęsis perduellibus, Reginæ Regnum, Regina Reipublicæ, & libertati restituta. Rebus domi compositis in extraneos Marcellus arma direxit. Scodram Liburniæ opidum in arduo monte collocatum adoriebatur Turca cum centum millibus armatorum, eo sperans diruto, Epirum facile & Illyricum sub jugo ponere. Tanto classico evocatus Mocenicus è Peloponneso properat auxiliaris. Concutiebantur interim muri Scodrenses, Antonio Lauredano præfecto ad tutelam excubante. Classiarii àscito in belli societatem Illyrico Principe, quinque rostratis Drilonem fluvium, Lyssamque Scodræ proximam muniverant, ex quà crebra cum hoste certamina, præcipuè ad Bobianam, ubi Turca fusus. Vis major ingruebat in mænia, quibus dirutis, corpora obiecere oppidani eà pertinacià, ut majus periculum subirent Turcæ in Semidirutà Scodrà, quàm cum integrà. Venere tandem à Matthià Vngarorum Rege copiæ auxiliares mercede conductæ, quibus tertio Scodra mense liberatur, postquàm obsessa fuerat. Post hæc in Patriam opportunè rediit Mocenicus, Principe ægrotante, cujus demortui locum ipse tenuit. Quindecim Menses Reipublicæ Marcellus præfuit Iustitià & Pietate,

tate, quibus comitantibus, ad D. Marinæ, claro fulget tumulo & Epitaphio.

Nummum Marcellus percussit argenteum ad pondus aurei Ducatus, quem à Principis nomine dixere *Marcellum*.

Sabellicus, Petrus Iustinianus, Sansovinus, Petrus Marcellus, Io: Baptista Contarenus, Vianolus.

EPITAPHIVM.

Nicolaus Marcellus Dux Clarissimus, iustus, pacificus, cunctis gratus, ubertatis annonæ errario publico, Conservator; Cypro in potestate recepto; Scodra acerrimà Theucrorum obsidione liberatà curis R. P. Anxius vivens, moriensque in pauperes piis. animam Cœlo, hic tradidit ossa.

Marcellus Princeps (teste Sansovino *lib. xi. de Princip. dignit.*) tubas argenteas, cum quibus tibicines præcedunt Principem exeuntem, ad præsentem mensuram, & longitudinem extendi decrevit.

Nummisma Privatum Nicolai Marcelli D. Venet.

Cujus in fronte Imago, & Marcelli nomen *Nicolaus Marcellus Dux*. A tergo literis Gothicis & Longobardis *Iesus* in medio. In peripherià verò. *In nomine Iesu, omne genuflectatur Cœlestium, Terrestrium, & Infernorum*. Supra habes pag. 170.

Moneta Publica.

Percussa sedente Marcello, supra est pag. 170.



P. E-

PETRVS MOCENICVS

DUX LXIX.

Electus die 15. Decemb. Anno 1474. ætatis suæ 69. obiit die 23. Febr. 1475. cum sedisset Anno 1. Mens. 2. dies 9.

SCHEMA VETVS.

Ille ego qui Phrygias urbes Asiæque potentis
Oppida, qui Cilicum classe, Cyprumque recepi,
Æquora piratis, Scodram obsidione levavi,
Patrum consensu, populi Dux voce creatus.



PEtrum Mocenicum ætate gravẽ, victoriis graviorem, quibus Annos suos dinumerabis, nec adhuc deficiẽt; Principem habes unde septuagesimum. Magistratum gerat, vel legationes, de scelere domi censura triumphat: foris eloquentia certat, & expugnat. Manu cum pugnasset ante adeptũ Principatũ; propugnavit post auspiciis, obsidione Naupacti solutâ, quẽ triginta armatorum millibus Solimanus intercluserat. Eadem fęlicitate Lemnum servavit, ubi

ubi puellæ ipsæ armato brachio hastam tractabant. Harum una *Marulla* nomine, cæso in portis Coccini parente, ubi ferrum miscebatur, accurrens, scuto jacentis arrepto, & ense, in hostes jam portam occupantes irruens, suorum adiuvante caterva repellit, usque ad navem insequitur. Mocenicus altero sui Principatus Anno, Mense tertio, nummo percusso, quem ex cognomine *Mocenicum* dixit, decubuit, ad Gemellorum ædem, sepulchro exceptus ex Asiaticæ prædæ manubiis constructo. Laudavit eum in funere Dominicus Bollanus Candiani filius.

EPITAPHIVM.

Petro Mocenico Leonardi F. omnibus, non minus optimi quam eloquentissimi Senatoris muneribus domi, forisque functo, maris Imperatori, qui Asia à faucis Hellesponti usque in Syriam ferro, ignique vastata, Caramannis Regibus Venetorum sociis, ab Othomanno opressis, Regno restituto, piratis undiq; sublatis, Cypro à coniuratis non minori celeritate, quàm prudentia recepta, Scodra ductu, & auspiciis suis obsidione liberata, cum Remp. fœliciter gessisset, absens D. Marci Procurator inde Dux grato Patrum consensu creatus est. Ioannes tertius ab hoc Dux & Nicolaus Mocenighi Fratres pientiss. B.M.D. Vixit annos lxx. Mens. I. dies xx. Obiit non sine summo populi gemitu; Ducatus sui Anno primo, Mense secundo, die xv. Anno salutis, MCCCCLXXVI.

Lege Sabellicum, Ioannem Baptistam Contarenum, Petrum Marcellum, Petrum Iustinianum, Sansovinum.



AN-

ANDREAS VENDRAMINVS

DUX LXX.

Electus die 5. Martii Anno 1476. obiit die 6. Maii Anno 1478. ætatis 86.

ELOGIVM VETVSTVM.

Senio iam confectus Rempublicam diuturno bello vexatam intrepidè gubernavi. Domi Iustitiam adeò colui, ut proprio nec pepercerim filio. Foris quidem Naupactum, formidanda hostium obsidione liberavi.





ANdreas Vendraminus illius Andreæ nepos, qui cum liberis, in in Bello Clodiensi Patriã fulcivit auro, & ferro, post Mocenicũ, thronũ ſcandit eo gradu, quo avus inter Patritios, opes congerens pro patrià magis, quàm pro familià. Duodecim ei filii, quorum neminem cœlibem voluit, ut tot ex uno prodirent ſanguine cives, qui vel ſoli Rempublicã propagarent. Hinc uno ex ſtipite quinque ſtirpes agnatæ, quæ more fluminũ ad Mare redundant, & ſanguine non impediente iterum coaleſcunt. Septẽ etiam Cognati, filiarum nuptiis, acceſsere affines Zacch arias Barbadicus, Petrus de Priolis q. Laurentii, Nicolaus Donatus q. Hieronymi, Antonius

tonius Marcellus q. Donati, Antonius Contarenus q. Georgii, Michael Valerius, & Io: Andreas Contarenus. Ipse speciosus formà, opibus fulgens, facundus fœcundus Magistratus omnes calcavit in Curià, donec octuagenario maior, absque competitore ad clavū sedit Reipublicæ, Virtute duce, comite Fortuna, quę more suo in luctum citharà versà nuntiavit statim Croiam amissam, Chaoniæ montanum oppidum. In Tyranna planitie (cujus nomen calamitatis omen) congressi Veneti Turcas multa cæde profligarunt usque ad castra; ubi prædà impediti à Barbaris repetito certamine, uno relicto cladis nuncio, internecione mactantur. Avaritia! quæ secum traxit Croiæ deditionem fame, non armis domitæ. Cædes non tam illa Barbaro adscripta ferro, quàm Epirotarum perfidiæ, quorum octo milla, quasi pugnæ spectatores toto die, immotà steterant acie, donec Fortunà ad Barbaros inclinante; hostibus ferociores in sylvis, & circa flumina in Venetos grassati sunt. Alia & major in Italià clades accessit ad Licinisium saltum; Turcarum insidiis Legiones nostræ deletæ Tylevemptum amnē cruentarunt. Hoc gemino vulnere confossus Princeps interiit, ad Servorum ædem, Regio tumulo conditus, Ducatus Anno II. & cum eo Fasti rariores reconditi, quos in Elogio supra leges, & non intelliges.

Vt proprio nec pepercerim filio. Historia mihi incognita.

EPITAPHIVM.

Andreæ Vendrameno Duci Opt. opum splendore claro, sed ex mirà in patriam pietate, opum usu longè clarissimo, qui Croià Turcarum obsidiono liberata eorumdemque irruptione in Carniam reiectà, fœlix insigni prole, impletis omnibus & Fortunæ, Naturæ, & Virtutis numeris, Principatus brevitatem sempiternà Cœli glorià compensat. Vixit Annos 85. *Mens.*8. *obiit pridie Non. Maii. Anno* 1478. *Principatus sui Anno secundo.*

Sansovinus, Sabellicus, Petrus Marcellus, Petrus Iustinianus, Io: Bapt. Cont. Doglion. Vianol.

IO. MOCENICUS

DUX LXXI.

Electus die 18. Maii Anno 1477. obiit 4. Novemb. Ann. 1485. ætatis suæ 76.

SCHEMA VETUS.

Hic bellum Herculeum extinxit, Italiam totam, terra marique Furentem repressit, Imperium auxit, auctumque reliquit.




Oannes Mocenicus Petri Principis frater, & Thomæ filius ſpectatæ vir innocentiæ, miro omnium conſenſu Dux aſumitur, quum lues baccharetur per urbem, & Scodræ olim obſidio infeliciter ab Othomano tentata vi repetiretur majore. Quindena mortalium millia arcem circumvallarunt: Intrepidè tamen rem bellicam adminiſtrante oppidi Præfecto Antonio Legio, barbari horrenda ſtrage repulſi, & ne per diſiecta mœnia irrumperent Turcæ, ex ſolis miſſilibus, machinarumque pilis, in deturbati muri locum, novum obſeſſi aggerem extruxère. Noviſſimè adfuit Turcarum ipſe Imperator,

M

tor, urgens præsentiâ milites, expugnatisque vicinis castris, captivos ante Scodræ mœnia medios secuit. Vallato denique binis arcibus, fluminis ostio; subsidium Veneti inferre prohibiti, ad pacem ea conditione inclinarunt, ut Scodrâ deditâ & Lemno, Ponticam navigationem retinerent immunem. Vulgatâ pace, Turcicum Scodrenses detestati dominium solum patrium ad unum deseruere, non sine Christianorum dedecore, qui per Annos sexdecim, Venetis, nullas vel exiguas contulere suppetias, sed potius distraxerunt, ut feritas Turcica Christianâ vinceretur immanitate. Pro Florentinâ libertate in Aragonios Pontifici fœdere iunctos motum est. Mutuis cladibus Etruscum Romanumque solum erubuit. Ferrariensis mox regiâ Aragoniæ gentis affinitate tumidus, Venetum Magistratum (qui titulo Vice Domini in multos Annos, Ferrariæ vigebat) cum primo negligeret, sperneret, à Mocenico non unâ legatione monitus mitiùs agere, cum insolentiùs peccaret, petitus armis, paludibus expoliatur, Ferrariam usque, quæ Venetis obtigisset; ni Papa, qui primus huic Bello faces accenderat, inopinatò divulsus cum hostibus utroque gladio spirituali & civili coijsset. Nihil tamen à Mocenico Principe in bello remissum; quinimo ad maiora facinora elati animi, contendente per ea tempora Galeatii Mediolanensis Ducis uxore cum Ludovico Sfortiâ, qui spetie tutelæ, nepotis invaserat Principatum, e Ferrariensibus in Insubriam, superato Abdua transmisere legiones. In Mari, classe Dalmatiam vexante Ferdinando Rege Neapolis; immissus Marcellus Callipolim Calabriæ oppidum dum oppugnat tormento percussus interiit: cui subrogatus Dominicus Maripetrus, captâ Callipoli, occupatisque Apuliæ & Calabriæ oppidis, ne ulterius in Regni viscera penetraret: Ferdinandus cum sociis ad pacem deflexit, Venetæ ditioni accedente Rhodigio, totoque Polyneso, & Vetsâ Illyrici insula. Indicta pro lætitia hastarum certamina sub feriis Carnisprivii, magnâ Principum frequentiâ. Ad centum hominum millia interdum spectasse dicuntur; quibus Mocenicus Princeps cum primoribus Patrum, & urbis Magistratibus præsedit. Pacem hanc nonnihil mæstam reddidit adveniens pestilentia, & naves onerariæ in Mari direptæ Britannico: Ea enim humana vicissitudo, ut nunquàm solida obveniat fœlicitas. Tot palmarum Princeps Anno sui Ducatus septimo tollitur, & ad DD. Io: & Pauli in Maiorum suorum tumulo quievit.

Sabellicus, Petrus Iustinianus, Sansovinus, Petrus Marcellus, Io: Baptista Contarenus, Vianolus, Doglion.

E P I-

EPITAPHIVM.

Dux Ioannes Mocenicus Thomæ Patrui, & Petri fratris Ducum secutus vestigia, bellum Ferrariense invitus gessit, & Rodigii peninsulam adiecit Imperio, pacem coluit, Remp. Venetam administravit, iustitia, probitate, & prudentia, Dux Opt. & amantiss. Reip. habitus est. L. F. P. Obiit Anno MCDXLV. vixit annos LXXVI. Duc. annos VII. mens. VI.

Moneta Io: Mocenici.

Supra incisa pag. 177. cuius in fronte Dux cum vexillo Reipublicæ, sub epigraphe *Ioannes Mocenico Dux*. Ibidem F. F. Franciscus Foscari, qui rei præerat Monetariæ.

Sepulto Io: Mocenico Principe, decrevere Patres, nè amplius Principes Veneti vivà imagine nummisma signarent. Nicolaus namque Thronus ad secernendam monetam adulterinam, quæ sub suo irrepserat Principatu, monetam suimet verà effigie percusserat. Cum enim apud Romanos viva Principis Imago supremi fuerit argumentum dominii; libertatis zelotypi, nomen Ducis non imaginem permiserunt lege latà Anno 1485. *Sansovin. lib. xi. de Principis dignitate*.



MARCVS BARBADICVS

DUX LXXII.

Electus Anno 1485. eodem obiit Anno; cum præfuisset Mens. ix. ætatis suæ 72.


MONIMENTUM ANTIQUUM.

Servavi morbo patriam, belloque, fameque
Iustitiam colui, plus dare non potui.

LXXIII









O Clara pietas, O' rara Imperii ac Sacerdotii concordia! ò fœlix sæculum; quãdo idem hominum, Phœbique Sacerdos. Redit Respublica ad sæculum Aureum creatione in Principem, Marci Barbadici, cujus innocentià vincti Thraces gratulatorem cum muneribus miserunt in urbem. Natura ipsa gestire visa, rerum omnium ubertate & copià. Adiecit ipse de suo Iustitiam, cuius voto semel in hebdomadà, litigantium nomina extrahebat sorte, ne cultum pauperis secernet à potentibus. Primus hic Principũ, qui spectante populo, diadema suscepit. Domi plura bella gessit, nullum civile, sed in scelera incivilia. Eo sedente exustata potius quã erecta Græco marmore Palatina moles, cujus in ornatum Alpes enatavere Numidiæ.

A lver-

Adverſus Elementa, Terram præcipuè, quæ ipſis in aquis inanis conſurgebat & arida, Ligone certatum; ipſo in Mari effoſsa Maria, aquà ab aquis divisà purgavit rivos aquarum; ne ſalum ſolo nutaret, ſed medio in Mari ſtaret Firmamentum. Tantis intentus, diſcordiam nō præteriit, quæ poſt Orbem diviſum terrarum, ſpecioſis Guelphorum & Gibellinorū titulis involuta, Venetias etiam irrepſerat. Hanc declamatione in Comitiis habità lacrymis intermixtà, & cingulo, quo erat præcinctus, ad collum expanſo, eliminavit. Ab increpatione exorſus cum Paulo, *Sciſſuras audio eſſe inter vos, quia unuſquiſque veſtrum dicit: Ego quidem ſum Pauli: ego autem Apollo: ego verò Cephæ: ego autem Chriſti. Numquid in vobis diviſus eſt Chriſtus?* Cives ad Rempublicam revocavit, & Rempublicam ad ſeipſam, quæ Ingenua nata, non facta, ſolius Dei nomina colit Venetæ libertatis auctoris. Ab illà die abſtinuit civitas ab inſignibus Aquilæ Nigræ, vel Rubeæ Draconem præmentis, quas ut genium exprimeret erga Cæſarem vel Pontificem, ornabat parietes, vel ſuperliminaria domorum. Princeps verò ſanguine ferveſcente, quem motu violento, & orationis ardore concitaverat, decubuit nullo tamen mærore; imò lætus ſobolem ad ſe evocatam monuit, Rempublicam plus diligere, quàm familiam. Quibus dictis Princeps novimeſtris incredibili urbis luctu, ad ædem Charitatis, urnà excipitur ſepulchrali.

Sanſovinus, Sabellicus, Petrus Marcellus, Petrus Iuſtinianus, Io: Bapt. Cont. Doglion. Vianol.

EPITAPHIVM.

Marci Barbadici Principis oſſa hic ſunt, eiuſdem rectè factorum inter homines nunquàm interitura laus, quem cum diu in Principatu admirari non potuiſſent, ut eundem penè viventem, Patriæ iterum reſtituerent, Auguſtinum fratrem ei ſuffecerunt debitum virtuti teſtimonium, quod antea inauditum Poſteros ad gloriam ſemper excitabit. Præfuit Menſes ix.

Vixit Annos lxxii. MCCCCLXXXVI.

Poſt obitum Barbadici Principis, interdixère Comitia, proponentibus Legum Correctoribus, nè Dux Patritiis alloquens, ullum eorum appellaret *Magnifico Meſſere.* Puritati namque Sermonis ſtudentes Majores noſtri, faſtoſa, ventoſa abhorruere vocabula, ſolius avidi libertatis. *Sanſovin. lib. xi. de Princ. dignit.*

Nummiſma Privatum.

In quo nomen & Ducis imago. In alterà parte legitur: *Srevavi bello Patriam, morboque, fameque Iuſtitiam fovi; plus dare non poſsit.*

AVGVSTIN. BARBADICVS
DVX LXXIII.


Electus Anno 1486. ætatis 76. obiit Anno 1501. cum sedisset Annos 15. dies xxiix.

ELOGIVM VETVSTVM.

Rheticum bellum confeci, Cyprum recepi, Ferdinandumque iuniorem in regnum restitui, hinc maritimis Apuliæ urbibus, Cremona inde Abduanaque Glarea Imperio adiectis, publicæ tranquillitatis conservator, quum nullos in liberà civitate titulos, præter civium meorum benevolentiam, quod est veri Principis, respexerim.









Arco Barbadico Augustinus D. Marci Procurator sufficitur, frater fratri, idem sibi; pro Augustino meritis suffragantibus etiam fratris defuncti, cujus perennis memoria. Vir & iste vitæ innocentià, gravitate Senatorià insignis ex D. Marci Procuratore, Princeps eligitur, quòd mortuo Principi totà in urbe nemo similior. Digna species imperio, maiestatem augebat præsentià, canaque barbà, & ad pectus propexà, suprà hominem se exhibebat. Ocio ne abuteretur & luxu, fratris vestigia secutus, à Ducarii instauratione auspicatus,

picatus, frontem quà vestibulum spectat, sumptuoso apparatu confecit. Exortâ postea de finibus controversiâ ab Arcuanis Comitibus adversùs Benaci accolas, unaque de argenti fodinis; Sigismundus Austrius Tirolensis Comes primus erupit in oppidum Roverense velitationibus plurimis, in quibus alternante fortunâ, Veneti transmisso Athesi ad oppugnationem movere Tridenti. In itinere dulcedine prædæ dispersi palantesque ab hoste oppressi, fracto ponte, quem fluvio superextruxerant, aquis absorpti periere cum Severinate impigro duce. Sedato bello Germanico; curavit Barbadicus, ne Catherina Cornelia Marci Cornelii Veneti patritii filia, cum posthumâ prole Regni hæres instituta à viro suo Iacobo Cypri Rege, natoq; viduata, Regno quoque orbaretur. Ad lares propterea revocata paternos, Regni fræna Reipublicæ commendavit. Per eos dies Romæ mortuo Marco Barbo Cardinali, & Patriarcha Aquileiensi Innocentius VIII. P. R. Hermolaum Barbarum Venetum apud se Oratorem subrogavit: quod ubi Barbadicus cognovit, tametsi Barbarus se excusaret ordinem mutasse cogente Pontifice, juxta leges patrias, quibus Sacerdotiis cooptari prohibentur Romæ Legati, cum Decemviris severè rescripsit; morâ omni, excusationeque sublatâ Sacerdotium repudiaret, sub pœnâ publicationis bonorum, & degradationis à Magistratu paternæ. Nec ullum ei fuere præsidium opes, necessitudines, affinitates, clientelæ, literarum optimarumque artium præstantia, vel vitæ innocentia, quibus pollebat: cum pluris à Patribus una legum charitas atque majestas, quàm ullorum civium omnibus aucta nominibus dignitas fieret. Pater perspectâ Principis voluntate, cum eam posse flecti diffideret animi cecidit ægritudine. Filius non multo post, Romæ, editis Plinianis castigationibus, immensi laboris opere, privatus periit morbo populari. Evocatus postea in Italiam Carolus VIII. Rex Galliæ à Ludovico Sfortia, ut pulsis Aragoniis Neapolim occuparet: Gallus eâ celeritate venit, ut Regnum Neapolitanum prius vicerit, quàm viderit. Hisce Gallorum successibus concitati Itali, & cum eis Europa universa, Insubrem ipsum, & Venetos traxit sub signis, ut duce Gonzagâ, Regis in Galliam reditum intercluderent. Carolus superato Apennino, in dexteram Tari amnis juxta Forum Novum descenderat. Ibi dissuadente Veneto, Gonzaga pugnam designat, desperatos Gallos ad facinora concitat strage plurimâ, nostrisque certe favisset fors, ni Francisci Severinatis mora, Sfortiani militis ductor, tertiam phalangem submittere renuisset in prælium, non ausus tentare vada fluminis, vel monitus à Sfortia Venetis invidente qui frustrati speratis auxiliis, loco moveri cœperunt pluribus viris egregiis amissis, & ad tria

millia hominum cæsa. Vterque exercitus victoriam iactabat. Sanè Veneti bellica omnia intercæperunt tormenta, opimaque ditati prædà Regem præ timore, nocte subsequente, sub dio agere, fugamque moliri victo similem coegerunt. Asta fugitivum excepit, ubi Veneti Ludovicum Aurelianensem Ducem obsedere, qui fame maceratus extremà, ad sordida quæque alimenta compulsus pace receptà Novariam Sfortiæ restituit. Venetà urgente classe, Ferdinandus regno recuperato, Thranum, Hydruntum, Brundusium Reipublicæ tradidit auxilianti, donec expensas solveret expeditionis. Ex Supero ad Inferum Mare pro Pisanis in Florentinos, Insubresque bellum traductum, cujus impetu Cremona Abduæque Glarea subactæ: Pisanis etiam restituta libertas si pax ab Atestino promissa servata fuisset. Veneti cum possent usque in Ligusticum Mare imperium producere, noluerunt impensis belli contenti, & alienà pro libertate pugnasse. Nova tandem Sfortiæ perfidia, qui furtim nobis Cremonam eripuit, Gallos & Venetos fœdere junxit, ut Rex eiecto Sfortià, Principatum obtineret Mediolanensem, Cremonam Respublica totamque Abduæ Glaream. Dictum factum aufugiente in Germaniam Sfortia; in Gallos Maximilianus concitatus Augustus; cum jam in Venetos Baiazetes Turcarum Rex impià legatione quæsitus. In Turcas, ducentas penè naves instruxit Respublica, Duce Antonio Grimano, qui vastatà Dalmatià, eductaque ex Hellesponto classe bellum intulerant, non indixerant. In Peloponneso Turcis obviam factus Grimanus, incertum, cur viribus superior non conflixerit. Subinde opportuniorem alteram rei benè gerendæ occasionem, apud Sporadas Insulas declinaverit, facile oppressurus incautos. Pugnavit sanè cum Veneti Ducis inertià Baiazethi fortuna. Zacynthi, Rhodiarum navium viribus auctus, juxta Tornesium Turcas litori incubantes & fugam meditantes aggressus aliquandiu prosperé dimicavit: donec vel sui infortunio, vel navarcharum negligentià imperium non exequentium, Turcæ metu discusso; transgressas naves facile oppugnant, capiunt, ac denique per apertum Mare, Naupactum navigant, ubi Baiazethus pedestri robore jam antea constiterat. Vrbs nostræ classis desperato auxilio deditionem fecit. Grimanus vinculis adductus in patriam, postea in exilium missus rei turpiter gestæ pœnam solvit. Exauctorato Grimano, Classi præfuit Marcus Trivisanus; Mioparonibus Thomas Zenus manu promptus, & magni Consilii quamvis obstrictus ære publico incapax esset publici muneris, ob Canones non solutos. Barbadico namque suadentè Duce, decrevere Decemviri, hoc in casu, paupertatem vim non inferre virtuti. Turca victoriis victo-

riam

riam cumulans, Naupacto Dyrrachium in Epiro adiecit, & insulam Cephaleniam. In Foro Iulio, altissimis superatis fluminibus decem Barbarorum millia, nullo resistente agrum devastarunt Tarvisinum, trucidatis in ripà Tilavempti, quatuor captivorum millibus, quos gravior ætas præpediebat. In Mari, Grimano subrogatus Contarenus bis, ter hostem fortiter petiit, quando turbine, vel malacia adversante victoriam amisit. Methonem interim percutientibus Turcis, obsessi mœnia propugnabant fame solum domandi: quò Contarenus accurrens cum tribus navibus, ope ipsà interitum attulit: Dum enim oppidani simul omnes ad portum descendunt, ut citiùs naves exonerent; hostis mœnia conscendit propugnatoribus vacua; ut Græcia contumax atque superba Barbaris deserviret, & cum religione imperium mutaret Tantis cladibus exciti Christiani Principes validas dicti parare classes, quarum metu revocatis Turcæ cohortibus, in Thraciam secesserunt. Pisaurus ex hac Turcarum trepidatione Ægium petens, oppidum Reipublicæ rursus addixit. Mitylenem, Tenedumque prædatus, opulentissima spolia militibus distribuit, interceptisque pluribus navigiis, captivos ad unum reste suspendi jussit: Samothraciam insulam deditione recepit: tandem auxiliari Hispanorum classe, duce Consalvo, Cephalenem expugnavit. Tantis curis pressus & oppressus Barbadicus Princeps rogavit Senatum, ei missionem concedere nec impetravit; quod in ejus innocentià plus virium crederetur, quàm in phalangibus. Hoc uno voto Romanus Pontifex senem ut erigeret Rosà donavit Aureà. Ætati tamen ingravescenti succubuit Anno Ducatus xv. ad delubrum Charitatis repositus. Defunctum laudavit in funere Dominicus Venerius Andreæ Procuratoris filius.

Consule Sabelicum, Petrum Iustinian. Petrum Marcellum, Sansovinum, Io: Baptistam Contarenum, Vianolum, Doglionum.

Epitaphium in lapide Sepulchrali.

Augustinus Barbadicus, fratri Duci optimo incredibili totius civitatis consensu suffectus Rheticobello confecto, Cypro recepta, Piratis toto mari sublatis, rebus Italiæ post fusos ad Tarum Gallos, Ferdinandumque Iuniorem in Regnum restitutum compositis, maritimis Apuliæ oppidis, Imperio adiunctis, Hetrusco tumultu sedato, Cremona, Abduanaque Glarea receptis, Cephalenia de Turcis capta, florentiss. Reipub. statu vivens M.H.P. Vixit ann. LXXXII. præfuit XV. D.XXVIII. obiit M D I.

Post

Poſt obitum Barbadici Principis, novà lege tres Inquiſitores creavit Reſpublica, poteſtate eis ampliſsimà traditâ, qui æconomicam inquirerent adminiſtrationem Ducis defuncti: non (ut calumniatur *Guicciardinus lib. 3. & 5.*) quia Barbadicus limites ſuæ fuiſſet ſupergreſsus Iuriſdictionis; cum ipſo *Guicciardino* teſte, gloriam ille Reipublicæ quæreret non familiæ.

Sub hoc Principe, poſt publicum convivium, Caſsandra Fidelis virgo natu illuſtris, ſcientiarum profeſsione illuſtrior, coram Senatoribus, ad Lyram carmina latinè cecinit imparata, magnà cum laude & admiratione.

NVMMISMA.

Privatum, cujus in fronte nomen, & Ducis Imàgo. Tenet retrò eumdem Ducem flexis genibus cum vexillo Reipublicæ coram allato Leone, cujus in dextera Liber apertus, pacis ſymbolum.



LEONARDVS LAVREDANVS
DVX LXXIV.

Electus die. . . Anno 1501. Obiit die . . . An. 1519.

EPIGRAPHES ANTIQVA.

Pace cum Baiazethe Turcarum Rege constitutà, omnium prope Europæ Principum in Rempublicam conspirantium arma compressi, liberos, & fortunas pro Reipublicæ incolumitate devovi, eo exitu, ut quum ad exemplum Romanæ constantiæ, atque virtutis nunquàm de Republicà desperarim, ab omnibus Europæ Regibus oppugnatus, ac pluribus præliis penè victus, universo demum bello victor evaserim.









IN Venetos Orbe conspirante universo, ipsis cum homine Elementis; iniusto fœderi solus Deus non subscripsit: imò ProDei sui Iulii II. R.P. improbato decreto, ad tutelam descendit Reipublicæ, quæ sola quod ore prædicat Evangelium, gladio defendit. Principem propterea designavit ipse Leonardum Lauredanum, virum consilio, prudentià, pietate insignem, quarum unà deficiente virtutum, Respublica toto ab Orbe circumventa stare minimè poterat. Accessit per hos dies uxor Vladislai Panno-

niæ

niæ Regis,quam Lauredanus solito excepit hospitio,munere,lusu. Primum novi Principatus votum, bello occurrere civili, quod temeraria suada Gabrielis Boni, & Fr. Falerii (hæc Bembus sub Barbadico contigisse refert) concitaverant lege proposita. *Libram auri Patritiis pauperibus annuatim Quæstores solverent Vrbani.* Quorum deportatione absterriti cives, nefaria edocerentur abhorrere consilia, & libertatem servare. Discrimen non dissimile cum excitasset Antonius Minius, civis in dicendo audax, & qui jam ętatem suam senex, causis agendis in privatorum patrocinio consumpserat, legem à Lauredano Principe, & Consiliariis propositam, de medio annuo stipendio à Magistratibus solvendo, iniquam causando & iniustam, quasi charitatem obliti divites, pauperes dedignarentur considerare *Concives & fratres: unde irati Dii cum hostibus convenirent in perniciem Reipublicæ. Tres in classes divisi cives, Locupletes egeni & medii: primi propter potentiam nunquam tributa solvunt quod nemo audeat viros cogere Principes: à Mediis multi Magistratus exigunt: ab infimis planè universi. Ita fit, ut qui rei minus habent, plus in errarium conferant: illi, qui omnia possident, nihil tribuant, nisi cum libet: tanquàm reliqui serviant: ipsi regnent & imperent. Solvant divites quæ debent Fisco, & nostræ mercedis nulla erit necessitas. Ea enim summa tercentum auri libras non exuperat. Locupletum verò si ratio subducatur; tantumdem decies aut plus etiam conficient. Illa exigere qui præpositi estis pecuniæ publicæ Magistratus, nec vos deterreat manus potentium.* Hæc & graviora disserente Minio, magna perturbatio Comitium tenuit: donec è sellà erectus Princeps, eloquio gravi respondit. *Valde me hodie, cives deceptum fateor de opinione Io: Antonii Minii. Heri cum mihi referrent contra legem quam ad probandam proponimus, verba facturum, non credidi: haud enim mihi persuadere poteram, huiusce civitatis hominem Annos natum 64. qui aliquando Rempublicam attigisset, tam æquam tam necessariam rogationem à Senatu adprobatam impugnaturum. Fuit, qui Minium argueret eo voto ad contradictionem adductum, ut qui ad senectutem sine ullà dignitate pervenerat, & semel Anno superiore in Magistratu fuerit adolescentulis mandari solito, tenuiorum civium patrocinio suscepto, eorum speraret suffragiis Magistratus conscendere. Quod quidem ut reliqua ego falsum putavi. Vobis tamen rectius de hoc iudicare relinquo. Tu verò Mini solus nè es omnium, qui ferocissimi hostis duos iam Annos incubantis pericula nescias? quantasve impensas fecerimus, & facere necesse sit, quibus ut occurramus difficultatibus dies totos noctesque solliciti traducamus insomnes? Remigum, militum, nautarum, quos innumeros alimus, stipendia immane auri pondus requirunt. In arcium & oppidorum præsidiis multum pecuniæ insumitur. Vrbana navalia tot classibus exhausta magni æris, singulis mensibus indigent, ut naves, tormenta, commeatum subministrent Pannonum Regi, ut bellum hostibus inferat, mille auri libræ annuatim ex fœdere persolvendæ. Tantis impensis pecuniam suppeditare quis potest? Cives nostri tributis persolutis*

solutis innumerabilibus, quod tribuant, non habent. Provinciales novà imperatà pecuniâ, agrisque suis præter morem censui addictis, conqueruntur, nec nisi coacti bonorum venditione quicquam conferunt in ærarium. Vectigalia portoriis ob bellum impeditis, angustè redimuntur. Mercatores nostri ad exteras nationes, exteri ad nos mari commeare non permittuntur. Nisi nos ergo, quorum maximè interest, belli fluctibus occurramus, quis opem ferat? Legem hanc inviti quidem & cum dolore ferimus, sed sine pecuniâ, quæ est belli nervus, arma non tractantur. Quid gravius? portionem mercedis pro sua quemque parte remittere, vel urbes nostras ab hostibus dirui, regiones vastari, populos dissipari, cives interfici, in servitutem abduci? Deus ipse fana, templa spoliari non resistit; ut hostem propulsemus impurissimum, qui Christum Redemptorem nostrum, unigenitum Dei filium, tanquam mendacem irridet & impostorem. Deos Minius nobis annuntiat iratos, iratos oppido sed iis, qui malè agunt, qui improbe Rempublicam gerunt: sed isti partim interierunt, partim exilio mulctati pœnas luerunt condignas. Vos si quæ decet, ad publicæ libertatis præsidium statueritis, prospera omnia sperate. Iniustia vobis Minius prænuntians legis occasione propositæ, quasi ad quæstum conversuri sint iudices, coniecturam de aliorum moribus à seipso desumit, qui linguam, ingenium ab incunabulis usque ad senium venalem habuit, opesque tam grandes eà sibi ratione conciliavit. Cives nostros Minius tres distribuit in classes locupletum, pauperum, mediorum; eosque ita secerni, ut primi nil solvant, reliqui onera omnia sustineant. Regnare illos dixisti, hos servire; quod in eà civitate, quæ libera nata est, te non puduit esse in concione mentitum. Tria esse genera civium, non impedio; id enim in civitatibus omnibus: non aliter societas humana consistit. Divites nihil conferre: cæteros omnia, falsum & iniuriosum. Nulli enim parcit Fiscus: qui & nolentes comprimit, bonorum venditione frequenti. Quære à Magistratibus Fisci; rationes supputa, & querelas tuas seditiosas agnosces, & falsas. Quod bona divitum sub hastà non veneunt, pauperum autem quotidie: illos non istos arguis debitores? malè. Si urbis morem agnoscis, vel non agnoscere simulas: divites quia solvendo sunt, sua distrahi non sinunt, sponte conferunt in ærarium: quod cum reliqui non faciant, prædia eorum per præconem publicantur. At quid tandem regni, & servitutis odiosa vocabula in Rempublicam induxisti? nisi ut civem in cives concitares, alteramque civium partem in alterius invidiam impuris vocibus cogitasti? An qui ab Vrbe conditâ uni atque iidem semper fuimus, nunc ut dissideamus, conaris & postulas? Vos appello Magistri Decemvirum, quibus improbos coercendi cives attributa potestas, causam à Minio reposcite, cur in eo, quod cum Ligure bellum gessimus, quarto; ærario exhausto, iura non tam civitatis, quàm Comitiorum contulerint iis, qui Rempublicam pecuniâ iuvassent, & hoste devicto, familias triginta ad Rempublicam admiserint, qui nobiscum imperii arcana communicant. Nobis hoc tempore bellum cum barbaris cum Infidelibus, qui totius Orbis meditantur imperium, & pecuniæ portionem Reipublicæ donatrici restituere pigebit? illi civitatem, imperium, comitia in exteros ærario conferentes, libentissimè transtulerint; vos vestrorum stipendiorum partem

tem

tem patriæ libertati, filiis, Aris, focis cedere gravabimini? Hæc omnia præ terire Minius inculcat; sed illum sua mens, sui mores, suus animus punient. Vos autem cives, cives inquam ad vestræ libertatis tutelam, ad imperii præsidium legem firmate propositam, & vestro statuite iudicio; quod cuique chara esse debeat patriæ libertas. Ostendite Provincialibus, cæterisque, qui vestro parent imperio; quid ipsi facere debeant, quando vos qui alios cogere potestis, communis omnium utilitatis causà, leges vobis unis onerosas imponitis. Nemo erit in urbe, nemo in oppidis ubi Venetum viget imperium, qui nos non summis laudibus efferat, ac dignos exaltent imperio, cum intelliget, legem vestro firmari exemplo, & imperium exordiri contra vosipsos. His dictis consedit Princeps, & lege suffragiis expositâ, cum 1442. ad comitia convenissent: 1088. legem probarunt 347. reiecerunt: dubii septē. Postridie Minius ob seditiosam concionem à Decemviris, Arbem Illyrici insulam deportatur. Nec longè Turcarum significata cædes urbem recreavit. Eos Pisaurus, in Ambracio sinu repertos prælio fuderat ingenti, captis eorum undecim triremibus, totisdē submersis, laceratis aliis, Leucadiam duxerat, cujus in oppidi expugnatione totam insulam superavit. Vtinam Galli, Anno altero, qui spetie accurrerant auxiliatores, manus conserere voluissent. Hac victoriâ fracta Baiazethi audacia ad pacem deflexit, ut Cephalenem Venetus haberet; Leucadiam ille reciperet. Mortuo Alexandro VI. Æmilia & Flaminia Cęsaris Borgiæ excussà tyrannide ad libertatem proclamavit, tutelà imploratà Reipublicę. Primus omnium Ariminū cessit Pandulphus Malatesta, cujus exemplo oppida illecta vicina Veneto se permiserunt. Sola Faventia à Florentinis corrupta Venetos non admisit Legatos. Hinc armis expugnata in obsequii testimonium oratores destinavit. Æstuantibus tamen invidiâ Principibus vicinis; Flaminiæ imperium non fuit diuturnum. Gravius inde cum Maximiliano Imperatore discrimen, nè fœdus frangerent quod Gallo iuraverant. Provocati itaque terrestres destinant copias Duce Nicolao Vrsino Petiliani Comite & Bartholomæo Liviano, per quos Cadubrio & Tergesto expugnatis, ad pacem Venetos Cæsar sollicitavit. Hæc una causa novitates quærenti oblata est Ludovico XII. Gallorum Regi, qui primùm apud Savonam, indignè ruptis amicitiæ legibus, periuratoque fœdere, de invadendà Venetorum Republicà consilia cum omnibus Europæ Regibus communicavit, Cameracensemque illam conflavit tempestatem, quà ad nihilum redigenda erat Respublica præclaro prætextu, quasi de bello sacro ipsi cogitarent priùs tamen retundendos Venetos, per quos stabat, ne appeterentur Saraceni. Manus dedere Paulus II P. R. Ariminum, Faventiam, aliaque Flaminiæ oppidà Ecclesiæ reposcens erepta Romanæ. Sic Veronam, Patavium Maximilianus Imperator:

tor: Cremonam Gallus; oram maritimam Neapolitanam Hiſpanus, ſua Ferrarienſis & Mantuanus. Dux Allobrogum Cypri titulum Regium. Cum his ſentiebant Vngari, Britanni. Turca ſolus repertus ad notandam cæterorum perfidiam, qui memor datæ pacis indignè oppreſsis auxilia obtulit, ſed (ut decebat) reiecta à Republicà Chriſtianiſsimà, à Deo violatorum fœderum ultore certiſsimo victoriam expectante. Ludovicus Gallorum Rex, qui belli aſsumpſerat exordium, per præconem bellum indixit. Cum veniſſet in urbem, ad evitandam in populo turbam, jubente Lauredano Principe, porta devià in veſtibulo Curię admiſsus, veſte indutus Liliis aureis intertextà, ſtans (inquit) ante Patrum ſubſellia. *Bellum Lauredane Venetorum Dux, cæterique huius urbis cives, Ludovicus Gallorum Rex indicere me vobis iuſsit tanquàm infidis hominibus, Pontificiſque Max. & reliquorum Regum oppida per vim, perque iniuriam capta poſsidentibus, omniumque omnia dolo malo ſub veſtram ditionem rapere, atque redigere feſtinantibus. Ipſe ad vos armatus ea repetiturus venit.* Ad hæc Lauredanus Patrum medius ſedens reſpondit. *Reſpublica hæc Galle, quam adiiſti nihil iniuſtè poſsidet: Iure agit, nec fidem fallit cuiquam. Quam certe fidem niſi valdè plus iuſto ſervaviſſemus Regi tuo: pedem minimè haberet in Italià. Sed præſtat nos cum periculo eſſe, qui ſemper fuimus. Abi, & Regi tuo nuncia. Bellum, quod nobis tam arroganter indicis, ope Dei Immortalis fortiter propulſabimus, quem vindicem habiturus eſt hic, vel apud Inferos ob ſcelus rupti fœderis.* Nuncio remiſso; cum undique adventantem hoſtem tabellarii nunciarent, & ad tot & tantas expeditiones terreſtrem, atque navalem pecunia deficeret, coacto Senatu, Lauredanus Princeps auri libras decem mutuo obtulit, civeſque reliquos, ut idem facerent, cohortatus; eo die, poſteroque multum auri in erarium collatum, urbem metu levavit. Non longè poſt irruère Galli cum 40. armatorum millibus, anathemate Iulius, Idibuſque Martii ad Abduæ Glaream (quæ Veneto ut olim Romano Canna fuit) ubi Petiliani Comes & Livianus cum triginta peditum, ac decem levis, graviſque armaturæ equitum millibus ſub Legatis Georgio Cornelio, & Andrea Gritti viris ampliſsimis, manus conſeruit, Venetorum adiuvante diſcordià: Pitilianus namque belli uſu, ſenilique experientià dubios bellorum eventus conſiderans, Livianum retrahebat à pugnà, ſperans Gallos inopià coactos brevi exceſsuros cum ignominià. Ex adverſo Livianus iuvenis, animo ferox, pugnandi cupidus temerè ruebat in pugnam clamans cunctando, & ſedendo perdi Rempublicam, quæ fruſtra tantum conflaſset exercitum, tot opes, theſauroſque profudiſset, ſi ante ipſorum oculos oppida nullo reclamante expugnarentur. Quibus Petilianus impulſus caſtra movit magnà omnium alacritate, ob quam trepidus Gallus bello relicto voluiſse paciſci

ciſci

cisci constat: sed erant, quæ Venetus lueret. Primus itaque Livianus cum suis certamen aggreditur, primoque conflictu, viro audaci visa est arridere fortuna; turbata namque Gallorum acie, ad ipsa Regis castra penetravit: cum famà mendaci vulgatum per infidos Veneti equitatus ductores, qui transfugæ in nos pugnabant profligatas esse pedestres Venetorum copias; Galli erexerunt animos, Petilianum verò subsidio retraxit. Hinc circumfusus Livianus dum fortiter dimicat, amisso ex vulnere oculo, vincula subit. Hac funestissimà clade desiderati optimi quiq; duces, cæsa militum decem millia, vastata castra, impedimenta direpta, illustratusq; Gallorum victorià Aignadelli apud Caravagium vicus ignobilis. Hoc ultimum Reipublicæ vulnus fuisset, ni Numina solidassent. Nemine namque resistente, Brixia, Bergomum, Cremona mœnibus non manibus propugnata cedunt. Piscaria diu oppugnata tandem expugnata, Mediolani dum Gallus canit triumphos, ex Germanià erupit Maximilianus, eiusque phalangibus, Istriæ, Fori Iulii laceratæ urbes, Patavium quoque Vincentia, Verona cedunt. Æmiliæ arces Pontifex occupat. Ferrariensis de Venetà classe ad Padum triumphat. Tantum impetum, cum sustinere minimè possent urbes terrestres: eas Senatus fidei Sacramento prude ntissimè liberavit, unoque temporis momento, terrestri abivit imperio, quod majorum providentia, integro sæculo posteris transmiserat. Vtinum solum in Foro Iulio, & Tarvisium plebeio studio animatum, Venetam sortem sequi maluit, etiam cum ejus libertas spiritum traheret extremum. Hoste foris cladibus saturato; domi famescebat Ærarium, ut conscribendo militi nervi dessent. Adfuit porro opportunè Princeps Lauredanus lingua aurea, opes ad Patriæ opē in medium proferens, suoque exemplo Patres, Civesque provocans: quo brevi factum, ut aurum privatum, Civium oblatione publicum verteretur in ferrum; centuriatisque cohortibus, Patavium Andreæ Gritti vigilantia redimeret. Reliquæ urbes pari celeritate quà amissæ, etiam restitutæ. Patavium tanquàm in scopulum impegère fœderati: ibique fortuna instabili, Maximilianus Imperator cum centum & viginti armatorum millibus, adversus Venetos (qui sola tria equitum, & peditum xv. millia alebant in castris) Patavium frustra obsidet, ad cujus tutelam Lauredanus Princeps proprios filios submiserat cum primariis ex Patricio ordine adolescentulis, qui in humeris lapides asportabant pro aggeris extructione, quem media in urbe Petilianus erigi curavit. Totis viribus concursum à fœderatis Gallis, Hispanis, qui in subsidium Maximiliani convenerant, sed strage cruentà repulsi, quadragesimo obsidionis die, Calendis Octobribus, sublatis castris desperatus, & inglorius

gloriusper Vicentinos colles Alpes traiecit. Hinc de Romano P. conciliando Reipublicæ, Lauredanus sollicitus Hieronymo Donato iniunxit, cum omni obsequii genere demulcire, ut coniunctis armis Italicæ prospiceret libertati. Placuit Iulio consilium, iuratoque fœdere Ferrariensibus bellum indixit, si deinceps rem Venetam infestarent. Annis octo, bello hoc (quod Cameracense dictũ) Italia miserè deflagravit, Gallis cum Veneto quandoq; coeuntibus, dissentientibus. Pace initâ Bruxellis inter Franciscum Gallorum Regem, & Maximiliani Cæsaris nepotem Carolũ, in eas conventiones cum Carolo itum: ut persolutis ducentis Aureorum millibus Respublica Veronam haberet, quæ sola Cæsaris fulciebatur præsidio. Et hic Cameracensis fœderis exitus, quo in Venetum tota cõversa Europa constantiam, prudentiam Veneti Senatus frangere minimè valuit, nec Imperio spoliare. Conflagrarunt per eos dies Crucigerorum Monasterium, & Rivoaltinæ ædes gravi mercium jactura; unde plures mercatores coacti cedere bonis. Faces hæ præluserunt Lauredani Principis funera, postquàm Anno sui Principatus vigesimo, liberos, opes pro libertate effusisset, Spiritum etiam palmarum plenum in hostes efflavit. Laudatus in funere ab Andrea Navagerio ad DD. Io: & Pauli Principe dignâ sub mole jacet.

EPITAPHIVM.

D.O.M. Leonardo Lauredano Principi. Totius ferè Europæ Virium Cameracensi fœdere in rem Venetam conspirantium furore compresso, Patavio obsidione levato, fortunis, & filiis pro communi salute obiectis, Terrestris imperii post acerbissimum bellum, pristinâ amplitudine vindicatâ dignitate, & pace Reipublicæ restitutâ, eoque difficillimo tempore conservata, & optimè gestâ Pio, Forti, Prudenti, Leonardus abnepos P. C. Vixit Annos lxxxiii. In Ducatu xix. obiit M. D. XIX.

NVMMISMATA.

Duo occurrunt. Tenent in fronte Imaginem Principis ad vivũ sculptam, sub epigraphe *Leonardus Lauredanus Dux Venetiarum &c.* In postico stat *Æquitas* sinistrâ hastæ innixâ; dexterâ bilancem levans æquilibratam sub lemmate *Æquitas Principis*. In altero nummismate legitur *optimis Principis Memoria.*

Vtrumq; privatum dicitur, quia utrobique deficiat S.C. & quod Resp. non consueverit in honorẽ Principũ nummos cudere. Legitur tamen in M.S. Zilioli, cui titulus *Due Corone della Nobiltà Veneta. in Bibliotheca Cornelia Piscopia.* Romanorũ exemplo, ex publico decreto, nummisma fuisse percussum. Hæc non pro veritate, sed pro inquisitione. Hoc citra dubium; quod mortuo Principe Inquisitores creati soliti cęperunt acerbius gesta Principis indagare; cumq; nullũ superesset vestigiũ Principatus non sanctè administrati, vix ab instituto recedere potuerunt, non sine totius civitatis querela, quòd in memoriam tanti Principis, tàm acres videri vellent. *Ægnat. p. 168.*

N AN-

ANTONIVS GRIMANVS

DUX LXXVI.

Electus Anno 1521. die 7. Iulii, obiit die 7. Maii An. 1523. ætatis suæ An. 88. cum regnasset An. 1. Mens. x. dies ii.

MONIMENTVM ANTIQVVM.

Attollentis præmentisque fortunæ mirabiles ludos semper despexi, quum infracto animi vigore firmus & constans, ab hoc salubri temperamento me ipso maior & clarior evaserim.





ANtonius Grimanus civis si quis alius prosperis, adversisque rebus adeo iactatus, ut illum ad suæ inconstantiæ spectaculum, Fortuna speculum exhibuerit. Patre mortuo, sub patrui tutelà, à primà statim adolescentià nauticæ adscriptus, Syriæ, Ægypti, Africæ monstra lustravit, nec timuit vitiorum monstra gladio debellaturus Iustitiæ. Venetias reversus, togà sumptà virili, Magistratus omnes excurrit Vrbanos eo plausu, ut nunquàm repulsam tulerit, maiora semper atque ampliora quàm peteret, suffragantium consensu promeritus. Legatione exornatus ad Federicum Imperatorem, (quod plerique Senatores ejus experientiam domi, quàm fo-

ris

ris utiliorem judicarent) non ſine pudore recuſavit, ſubrogato Dominico filio (ita permittente Senatu) Cardinali futuro. Exinde partes ſuas erga Rempublicã, ſummâ implens moderatione, apud populum gratioſus tenore perpetuo, maximeque probatus apud proceres, eo præſertim tempore, quo Veneti pro Aragoniis adversùs Carolum VIII. Gallorum Regem, accepto Maris imperio, in Apuliam profectus, compluribus expugnatis oppidis, Monopolim urbem, Polygnanum, Molam, Brunduſium, in Salentinis Hydruntem, Veneto adiecit imperio, ſuaſitque Senatui, pecuniâ levare Aragonium, quouſque mutui reſtitutione, Rex oppida ſupradicta redimeret. Quo conſilio res fractæ Gallorum, & Aragonia in melius reſtituta. His geſtis purpuram meruit D. Marci Procuratoriam. Paulo poſt Senatus reiectâ Sfortiæ amicitiâ, cum Ludovico Gallorum Rege fœdus percuſsit, libero ore reclamante Grimano, qui invidiam & graviora pericula veritus ſuadebat, infirmum Regulum potiùs, quàm potentiſsimum externæ gentis accolam ſuſtinere vicinum. A Veneto itaque reiectus Sfortia, ab Alexandro deceptus Romano Pontifice, à Cæſare penè præteritus ad Baiazetem confugit Turcarum Regem. Placuit occaſio Barbaro calcandi Venetos jam ſibi inviſos, & ſuæ imperii libidini obicem tollere; immiſsis protinùs Schenderbaſſa Illyrici, & Deuthe ampliſsimæ claſſis præfectis, ut Græciã obruerent. In hoc rerum periculo Grimanus omnium ſuffragiis iterum Imperator delectus priuſquam navigaret in hoſtem, centum & ſexaginta libris auri, mutuo datis Reipublicæ, inopiam publici ſublevavit errarii, & in arrham ſanguinis, quem patriæ in hoſtes devoverat, aurum depoſuit pignus Fidei & cœdis, quam ſpirabat in Thraces. Tantis auſpiciis navigavit ſorte varia. Cum enim apud Sporadas inſulas congreſsuris claſſibus, non dubio eventu ſuperari Turcas poſse appareret, mutatis ventis, nec opportunè parentibus quibuſdam Trierarchis, Grimanus ſpe victoriæ dejicitur, amiſsis duabus onerariis, in quibus Andreas Lauredanus, & Albanus Armerius fortes periere patritii. Inde in Naupacteum ſinum illapſus Turca, dum per ignaviam Veneti Trierarchæ aleam declinant, arcem occupat Naupacti, Mocenico dedente Præfecto timide, aut avarè. Ea propter criminationibus Grimanus expoſitus, Melchiore Triviſano in imperium ſibi ſubrogato non expectato, qui mandante Senatu compedes afferebat, eos ſibi ultro injiciens, peculiari triremi Venetias devectus Patribus ſe ſe obtulit compeditum ſpectaculo planè miſerabili. Compede namque vinctus ſervili, cauſam dicere coactus coram totius Nobilitatis Comitiis, filium habuit conſolatorem, qui brachio purpureo ſuſtinebat gradientem, & manu ſacrâ levabat

N. 2. cate-

catenas. Patris loco cum in carcerem postularet recludi, non auditus, ut suum tenerent auctorē delicta: permissus tamen liberè adire parentem. Ne in Rogatorum Consilio agitaretur causa, sed in supremis Comitiis, zelotypia voluit, in quibus, affinium, & propinquorum caterva longe inferior civium multitudine, rigorem minimè impediebat justitiæ. Triumviro itaque declamante Advocatore Communis, sorte designato (fuit iste Nicolaus Michaelius Doctor, & Eques) tertio Idus Iunii, Ann. 1500. dignitate ademptà Procuratoris S. Marci in insulas Apsorum & Crepsam deportatur; Eius in locum Michaelium subrogavere, quo interprete memorabile exemplum Iustitiæ ad posteros emanavit. Grimanus excelsi elatique vir animi ægrè tam vile passus exilium, clanculò Romam ex insulà elapsus, ad Cardinalem se contulit filium non immemor se civem, & Reipublicæ filium, cujus arcana per novem Annos tractavit fidelis, supplens Legati vicem, præcipuè Cameracensi sæviente fœdere, à quo cœpit respirare Respublica, cum adnitente Grimano (qui charus Pontifici, & à cunctis Ordinibus crebrò salutatus, villam ædificaverat sub Quirinali luculentissimam, adhuc Grimanam dictam) Iulius II. P.R. abiurato Cameracensi fœdere, Venetos anathemate solvit, & cum eis ad libertatem conspiravit Italiæ. Tantis Grimani meritis, Fatorum revolutà serie, deliniti Patres specioso decreto, Mense Iunio, quo fuerat expulsus, Patriæ restituerunt & dignitati. Hæc enim verba fuere decreti. *Quod nusquàm præclaram iusti officii pietatem ullà in re erga patriæ decus intermisisset.* Ex mille, tercentis, & sexaginta quinque, qui in Comitiis convenerant, soli quinque supra nonnaginta adversati leguntur. Quorum judicio, calcatà Fortunæ insolentià, ad gloriā emersit duce virtute. Bis itaq; Procurator, gravissimam postea ac splendidissimam legationem subiit ad Franciscum Gallorum Regem, vnà cum Dominico Trivisano, Georgio Cornelio, & Andrea Gritti, ut Senatus nomine victoriam ei gratularentur de Helvetiis partam. Exinde Magni Sapientis continuato honore usque ad Lauredani Principis mortem, post longam Candidatorum contentionem Antonii Throni, Dominici Trivisani, Petri Capelli, Aloysii Molini, Leonardi Mocenici, Aloysii Prioli, Georgii Cornarii, ad clavum collocatus Reipubl. biennium luctavit adversus Mortē; cui, peste grassante Italia penè tota succubuit. In ædibus D. Io: & Pauli, perorante Federico Valaresso, justa suscepit, & in templo D. Antonii (si *Petro Iustiniano* fides) quiescit prope aram maximam; postea ad D. Francisci de Vineà translatum. *Ex M.S. in bibliothecà Cornelià.*

Lege Petrum Marcell. Paulum Iovium lib. 5. elog. Andræam Mauroc. Petr: Iustin. Vianol. Io: Bapt. Contar. Ægnatium. Orationem M. S... Oratoris ab Histris missi, quem lauro Dux coronavit Grimanus teste Sansovino. Sub

Sub hoc Principe lege cautum M.Consilii, die 18.Iunii 1521. & 13. Maii.1522.ut in *Promissione Ducali*, quod nummus percutiatur argenteus, qui lingua vernaculà *osella* dicitur, quia loco succedat Cibariorum & Avium, quas civibus solebant Duces dono mittere: quemadmodum & Cappones qui usque in hodiernum diem donari solent à Principe Procuratoribus D.Marci & Iudicibus Proprij. *Congiarium* nummus iste ab aliquibus appellatur sed pessimè; quia Populo illud Romani Cęsares elargiri consueverant: *osella* autem solis Patritiis, uti à Patre filiis, teste *Sansovino lib. xi. de Principis dignit.* *Hinc Principis munus* antiqua fuit in hisce nummismatibus epigraphes; solo mutato nomine Principis; ut videre est in Gritto, Lando & aliis.



Nummus ergo primus, quem auium, Gallinarum, Folicarum loco Grimanus substituit, habet in recto Salvatorem in throno sedentem & benedicentem. Infra thronum stat Marcus Euangelista vexillum porrigens (cui inscriptum S.M. ideſt *Sanctus Marcus*,) Grimano Duci flexis genibus imploranti, *Benedic populum tuum Domine*. Nummisma Grimani esse nè dubites; sublegitur *Antonius Grim. Dux*. In obliquà nummi parte iungunt palmas *Iustitia & Pax* sub Lemmate *Iustitia & Pax osculatæ sunt*: cum tamen toto Grimani principatu, Bello quassata fuerit externo Respublica. Suæ ego crederem voluisse Principem vitæ exprimere periculum; & metamorphosim, quæ Iustitià tandem & Pace, in patrià armata triumphat.

Nummus alius recurrit privatus, in quo imago Principis ad vivum exculpta sed cum eodem symbolo in postico, quem habes in nummo publico.

ANDREAS GRITTVS

DVX LXXVII.

Electus die xx. Maij. Anno 1523. obiit Anno 1538. ætatis 84. cum regnaſſet Annos 15. Menſes tres. dies viij.

EPIGRAPHES ANTIQVA.

Imperium quod armatus foris, ſummis meis periculis amiſſum reſtitueram, domi Princeps, & acerrimis hoſtibus, & fame ſæpè oppugnatum ita conſervavi, ut nulla ex parte imminutum moriens reliquerim.





Militiam eſse vitam hominis ſuper terram, ſi neſcis, attende. In caſtris natus Andreas, ferocem prius edoctus ſonitum Martis, quàm vocē hominis, ex utero venit ululans potius, quàm lugens. Teſselatam expertus fortunam, eam fletu nunquàm excepit ſed furore, vindictam cogitans. Byzantium miſsus à genitore, ut mercimonijs præeſset, regnante Baiazethe, qui ſimulatà amicitià cum Andreà Zancanio Veneto Legato, fœdus

dus subscripserat litteris tamen Latinis, Grittus Zancanium monuit, qui nationi charus, omnia Turcarum callebat instituta. (Nemo siquidem civium æqualium suorum, in ipso iuventutis flore pulchrior: nemo quum vir esset, & Senator, staturæ proceritate, membrorumque amplitudine celsior, atque formosior) ut cartam fœderis, scriptã requireret characteribus Thraciis. Quod cum Zancanius re tentatà non impetrasset, in patriam nè inofficiosus redijsse videretur, Gritti monita Senatui reticuit. Palam postea irrumpente Turcà coniectis in vincula civibus Venetis; duriore conditione habitus Grittus, patrum absuit, quin interficeretur, detectus charitate patriæ iuvenilem animum stimulante, literas siglis conscriptas ad Magistratum Naupacti dedisse, per quas Turcarum significabat consilia. Zoagrià postea redemptus, patriæ restitutus totius civitatis gaudio Legatus ad Baiazethem redijt Reipublicæ nomine, cum quo pacem firmavit sed Leucadis pretio redemptam. Eodem anno Romam missus ad Iulium II. R. P. cum aliis Legatis, de Finibus controversiam amicè composuit. Inter Præturas, Patavinam magnà gessit sui nominis glorià. Castris præfectus Rhetiam ab incursionibus Maximiliani Imperatoris servavit, hoste sæpè repulso, finibusque protractis. Imperium tandem Venetum, omnium Principum Christianorum Cameracensi tentatum fœdere ut propugnaret, Legatus iterum designatus postquàm descendisset in castra, ob mortem Antonii Mauroceni, purpurà decoratur Procuratorià D. Marci, ut eo munere ad procurandam Rempublicam rebus tam dubiis accenderetur; Andrea Venerio cive prudente, publicique iuris retinente octo Suffragiis præterito. His incitatus ad Abduæ Glaream (quæ Venetis Canna fuit) tam impavidè occurrit Gallis, ut trepidans Rex vasa colligeret, nisi nimio Liviani revocatus ardore, ipsa penè in fugà invenisset casu victoriam, & cum eà terrestris Venetorum Imperii spolium, atque triumphum. Tanto in discrimine Grittus vires non deservit & consilium. Maximo namque Reipublicæ comodo, Tarvisii inclusus, vrbem servavit astuque fortissimo recuperato Patavio, cuius antea cũ laude Prætor fuerat, viam stravit ad pristinum repetendum imperium. Brixiam usque pervenerat, quà assertà, deficientibus tormentis, à Foxejo cum urbe victus, & in Galliam captivus abductus, novo cum Gallis inito fœdere, se & Patriam in libertatem redemit. Castris restitutus ad Creatium, novà Liviani temeritate ab Hispanis victus hærentem tergo Mortem declinavit, funibus intra Vicentinos muros assumptus. Octavo post Anno, expugnatà Veronà, Cameracensi bello finem triumphator imposuit, &

N 4 contra

contra totius Europæ impetum amissa recepit. Hisce gradibus ferro compactis, suoque cruore consperſis alter Titus solium conscendit; cujus Regnum ut breve Roma cupiit cum Regem accepit; longum cum perdidit; sic Gritto Antonium Tronum Populus præferri desiderans, luxit postea tanquàm serò cognitum cum amisit. Clavo accepto, domi sedendo, non minori Sapientià leges disponens, ac fortitudine castra curavit, prudentiam prævidentiam appellabat. *Constantinum* cum audisset *Cavaciam* unum ex quatuor Scribis, & Decemvirali Consilio delectum, (Locus iste honestissimus, & Summæ infra Patritium Ordinem dignitatis) *Vtinam* (inquit) *Patres Reipublicæ consuluissent maturius*. Hoc namque decreto laqueum video collo appensum Cavaciæ. Quod sane illi contigisset; nisi exilio voluntario, pessimè de Republicà meritus, fugam arripuisset. Hoc Principis responso quid gravius? Eius quandoq; publico munere expertus operam, facile ingenii pravitatē agnoverat. Odia autem cū minimè remisissent Reges; Gallo ipse quandoq; junctus vel Aquilæ, infirmiorem semper succollavit Sortis reparator adversæ. No vissimū adversùs Thraces discrimen, quos Corcyrà excussit, opibus, seipso Reipublicæ oblatis adversùs Martem, quamvis octuagenario maior cū Morte luctaret, cui tandem succubuit Anno 1538. In Vinea D. Francisci cineres habes. Eius funus in Gemellorum Templo eloquentia exornavit Bernardi Navagerii Cardinalis futuri.

Is primus, qui Phrygiatis uteretur paludamentis, & in festis Deiparæ, ornatus vestibus exiret argenteis. Sansovinus *de dignit. Principis lib. xi.*

Sansovinus, Sabellicus, Petrus Marcellus, Petrus Iustinianus, Io: Bapt. Cont. Doglion. Vianol. Io: Bapt. Ægnatius p. 209. Sagredus.

EPITAPHIVM.

Andreæ Gritto Duci Optimo, & Reip. Amantissimo; pacis terra, marique partæ auctori, ac Veneti terrestris Imperii vindici, & conservatori Hæredes pientissimi. Vixit Annos lxxxiii. Mens. viii. dies xi. decessit v. Cal. Ian. MDXXXVIII.

Nummismà publicum Andreæ Gritti D.

Argenteo nummismate & ipse annuatim donavit Patritios, cujus in dextera sedebat Marcus Evangelista patronus urbis, sinistrà tenens librum Evangeliorum, sed clausum, belli argumentum, quod Gritti sevìit Principatu. Dexterà vexillum porrigit Duci flexis

xis

xis genibus accipienti, & manu posità infra manus Evangelistæ in signum subiectionis. Inscribitur circulus *S. Marci Veneti, Dux Andreas Gritti*. Casus iste in recto, ille in obliquo; ut derivatio, dependentia quasi *Dux filius patris* annueretur ab Evangelistà. In postico nullum symbolum, sed pura inscriptio: *And. Gritti Principis munus Anno* I. *vel Anno* ii. iii. iv. *usque ad* xv.

Monetam usualem percussam sub hoc Principe häbes pag. 198.

Nummismata privata Gritti Ducis.

Duo occurrunt: Alterum Basilicam exhibet S. Francisci in vineà Gritto gerente Principatũ, extructam, cujus ipse frontispicium suo ære ædificari curavit. Palatiũ namque vicinum, quod modò Nuntii incolunt Apostolici, Grittæ Gentis erat. In altero Nummismate Abundantia cum Cornucopiæ Gerionem calcat Pestem, Famem, Bellum, sub epigraphe *Dei opt. Max. ope*, restituta Principe intercedente.

Plures filios habuit, quorum nothus Aloysius ex Græcà Amasià, dum Byzantii degeret, gemmarum peritissimus, & lapillorum, Solimano Regi percharus, cuius in aulà diù amicè versatus, intimamque cum barbara gente, consuetudinem nactus, apice occupato fortunæ, opes congessit immensas. In Daciã missus adversus Pannones cum equestribus copiis, pugnà inità tumultuarià ad coronam Vngaricam aspirare cępit, nec longè aberat, nisi Episcopi Varadinensis cœde, quem ipse necari jusserat, Palatinos sibi concitasset, qui feroces repetito certamine Turcas profligarunt, Grittum, in potestatem redactum, cæsa gladio cervice Regiis in castris obtruncarunt. *Petrus Iustin. p.* 149.

PETRVS LANDVS
DVX LXXVIII.

Creatus die 20. Ianuarij. Anno 1538. obiit 8. Novemb. 1545. cum regnasset Annos sex: Menses 9. dies 8. Ætatis suæ LXXXIII.

EPIGRAPHES PRISCA.

Pace cum Solimano Turcarum Imperatore facta, Patria ab Annonæ caritate liberata, Imperium validis munitionibus egregiè munitum, omnibus æquus, in privatam domum nihil præter gloriam intuli.















IAcet sub marmore Princeps, cuius sub gladio iacuère Thraces, & Apuli. Iacuisset etiam Sirenum domus Neapolis, si victoriam Virtus daret non Fortuna. Princeps assumptus pacem procuravit, obtinuitque charitatis pretio, quàm liberalis exhibuit subditis caritate oppressis. Eo sedente Vscocchi ad piraticam palan-

palantes patibulo affixi. Litora S.Nicolai, seu Venetiarum valvæ, tormentis, munimentis exculta. Astrea nè vel exteris in urbe deesset; *Auditores* electi *Novissimi*, qui advenarum minora iudicarent litigia. Sex Annos cum imperasset senio confectus in septimo requievit ad fanum D. Antonii; ejus Fastos ad populum exponente Michaele Barozio, in Gemellorum Templo; Posteris ex suo Principatu solà glorià relictà.

Sansovinus, Doglionus, Io: Baptista Contarenus, Petrus Iustinianus, Petrus Marcellus, Vianolus, Andreas Maurocenus, Io: Sagredus.

EPITAPHIVM.

In ædibus S.Antonii, ubi pro foribus duæ marmoreæ inspiciuntur Statuæ: altera Classis Imperatorem, altera Principem exprimit.

Petro Lando Venetiarum Principi, post varias Pace, ac Bello in Vrbe munerum Publicorum dignitates, Foris Præturas, præsertim Patavinam iterum administratas, ad Maximilianum Imperatorem, & Leonem X. Pont. Max. legationes obitas, Classis cum summo Imperio bis Præfecto, Apulo Bello, Neapolisque obsidione egregiè functo, ex D. Marci Procuratore ad Principatum evecto Landa Familia Proavo optimè merito P.

Sub secunda.

Vixit annos XXCIII Principatum tenuit Annos VII. obiit anno M.. D. L. V. Mense Nov. Die VIII.

Ex pluribus monetis sub eo signatis; argentea, quæ ad manus venit, habetur supra pag. 202.

Nummus Ducalis

Cuius in fronte sedens Marcus Euangelista vexillum porrigit Duci in genibus flexo, cornu redimito sub epigraphe. *S. M. Ven. Petrus Lando Dux*. F.V. nomen hic habes *Francisci Venerij* officinæ præfecti monetariæ. A tergo. *Petri Lando Principis Munus An. vii.* annuatim renovatum usque ad Annum vii.

FRAN-

FRANCISCVS DONATVS
DVX LXXIX.


Creatus die 22. Novemb. Ann. 1545. obiit 23. Maii An. 1553 cum sedißet Annos vii. Menses 6.

ELOGIVM VETVSTVM.

Curiæ parte luculenter ædificio exornatà, omni belli suspicione semotà, dum Respublica sub meà salutari tutelà securè admodum respiraret septimo Principatus Anno, Vitæ amplius octuagesimo, in unam publicæ salutis atque opulentiæ curam excubantem Mors oppressit.







X gravi Sapientum ordine, inter quos, quatuor supra viginti vices consederat, Princeps assumitur Franciscus Donatus Eques & D. Marci Procurator eo tempore, quo Orbis ferali bello conflagrabat, exceptà Republicà, quæ funera respiciebat à longè, oculis tamen cum suo Leone excubabat apertis, & pacem custodiebat, armata castrorum curà commissà Guido Vbaldo Ruvereo Duci, cui vexillum publicè credidit primo suæ electionis Anno, Princeps Donatus. In hoc otio Moles posita Palatina, quàm super Giganteos gradus janitores custodiunt Neptunus & Mars, Pari

communem atque Iustitiæ. Errarium etiam & Athenæum Pelasgo lapide posita, regimini æquè utilia, & necessaria, quæ invicem se se adiuvent, exornent, & fulciant. Moritur interim perturbator ille Religionis Lutherus, Sanctorum inimicus & hominum; & quia turpes ejus servarunt reliquias Saxones, quibus fœtore nulla adimere potuerunt aromata; Principes, promovente Iulio II. Romano Pontifice, excubabant, ut cum Apostata errores occumberent, latis legibus, quibus coercerentur Novatores, admirabili in hac provisione, utriusque gladii concordiâ; præcipuè Venetiis, in Consilio Decemvirum, auctore Duce Donato, *Vt quæ in urbe Veneta in puniendis hæreticis, priscà consuetudine, ac legibus recepta essent; eadem in reliquis Imperii Veneti oppidis, ac continentis urbibus servarentur: nempe ut reorum quæstionibus, ac iudiciis, quæ ab Ecclesiasticis viris fiunt, Magistratus adessent Reipublicæ, nihil nisi iis præsentibus agi, decernive posset. Iurisperitos, si gravius aliquid incideret, consulere liceret. Quod ius tantum civitatibus esset: qui in oppidis, vel pagis delinquerent, ab urbanis iudicarentur Magistratibus.* Quo ex decreto magnam apud Pontificem Donatus, totaque Respublica tulère laudem. Iulius gratiis actis Principi ac Senatui, publicam religionem, ac pietatem sæpius concelebravit egregiis præconiis. Donatus in posterum paci totus intentus, Anno VIII. vitam posuit, dignus longiori vità, nisi dignior fuisset æternà. In æde Servorum nobili Mausolęo jacet, laudatus more Maiorum, in templo SS. Io: & Pauli, à nepote Ioanne Donato.

Lege Petrum Iustinianum, Petrum Marcellum, Sabellicum, Ioannem Baptist. Contarenum, Sansovinum, Doglionum. Andræam Maurocæn.

EPITAPHIVM.

D.O.M. Francisco Donato Principi Optimo singulari in Patriam Charitate in rebus administrandis prudentia, integritate, eloquentia Celeberrimo, præcipuis legationibus magistratibusque tùm Vrbanis, tùm provincialibus in difficilimis Reip. temporibus egregiè functo Principatu, Salutaribus legibus, pacis tranquilitate publicis operibus, bonis denique omnibus insignito, Franciscus & Dominicus Donati Avo Op. M. P. CC. Obiit anno Christi MDLIII. ætatis vero LXXXV. Princip. VIII.

NVMMISMA.

Publicum supra habes pag, 204. productum usque ad Ann. VII. unde octavum non complevit.

M. AN-

M·ANTONIVSTRIVISANVS
DVX LXXX.


Electus die 3. Junij Anno 1553. obiit die vlt Maij, Ann 1554. cum regnasset Annum unum, minus tribus diebus.

EPIGRAPHES ANTIQVA.


Religionis amantissimus Anno circumacto moriens in gremio patrum ante aras, in Cœlum, unde veneram, vitæ integer evolavi.











LXXX

MArcus Antonius Trivisanus ex Procuratore D. Marci, Lando subrogatus defuncto, potentiam, morum sanctitate fulcivit. Procurator D. Marci in somniis monitus Ignatium Loyolam sub dio in foro cubare, concubiâ nocte surrexit, accensisque lampadibus quæsivit, hospitio excepit novum Apostolum, à quo jussus se ad Patriæ Principatum accingere, thronum scandit invitus, ne retrò abiret contumax, & refractarius. Electione cognita, coram Crucifixo procubuit, consilium, auxilium eflagitans pro bono regimine. Zelator Iustitiæ, semel in hebdomadâ ad cancellos descendens Forenses, judices excitabat, casta servare jura. Magister Temperantiæ unà cum Decemviris comessationes & ludicra interdixit nocturna.

cturna. Pacem, quam infantem invenerat, servavit virginem inter lascivientes Reges, qui armati valvas poscebant, pulsabant. Annum in Principatu absolvit, vitam in arà relinquens, ad pedes Christi patientis, flagris involutam & orationibus, dum Sacerdos hostiam litaret incruentam. Sic mori solebant Sacerdotes antiqui. In sinu Patrum expiravit adstantium, eadem oratione commendans animam, & Rempublicam. Exordium funeris à fletu Patrum, qui propriis manibus oculos clausere defuncto. Eius Lipsana non sine veneratione in vineà asservantur D. Francisci. Ejus eulogium Bernardinus Lauredanus exposuit in ædibus Gemellorum.

Iacent ossa in medio templi sub epigraphe.

Ossa Marci Antonii Trivisani Principis. Vixit Annos 79. in Principatu I. M. D. LIIII.

Sansovinus, Io: Baptista Contarenus, Andreas Maurocenus, Petrus Marcellus, Doglionus, Vianolus.

E P I T A P H I V M.

M. Anton. Trivisanus Princeps integerrimæ vitæ, & paternà virtute, ac gloria semper clarus, omnibus honoribus egregiè perfunctus, à patribus invito ipsius genio Princeps cooptatus, cum Annum Rempublicam sanctè gubernasset, Religionis amantissimus, dum sacro, in imaginum aulà interesset, nullà ægritudine, flexis ante aras genibus, in gremio patrum moriens migravit in Cœlum beatiss: M. D. LIV. I. Octob.

Nummismata M. A. Trivisani D.

Quo rum unum privatum habes supra pag. 206. cujus in fronte Imago & nomen, *Marcus Antonius Trivisano Dux. V.* A tergo legitur. *Marcus Antonius Trivisano Dei gratia Dux Venetiarum &c. Vixit Anno I. in Principatu obiit M. D LIIII.*

Alterum publicum est, cujus in fronte Dux flexis genibus vexillum accipit Reipublicæ, ab Evangelista Marco. In postico legitur *Marci Antonii Trivisani Principis Munus Ann. I.*

FRAN-

FRANCISCVS VENERIUS

D V X LXXXI.

Electus die 11. Iunii Anno 1554. obiit 4. Non. Iunii Anno 1556.

VETVS ELOGIVM.

Biennium magnà animorum propensione cum in Principatu vixerim, non sine absolutà Religionis, ac Prudentiæ laude, Bonam Sfortiam, atque Aragoniam Poloniæ Reginam in Italiam adventantem, nullo non honoris genere excepi.



LXXXI







Bsque prænsatione, & ambitu Thronum ſcandit Franciſcus Venerius juſtitiæ merito, & ornamento virtutis. Pacem ſibi poſt tot bella relictam ſuſtinuit, Marte ultra Alpes proſcripto. Ferox Turca cum Appula præmeret Regna, & Hieroſolymitani Equites ſpetie perſequendi Infideles, ad piraticam converſi nonnullas naves amicæ diripuiſsent Reipublicæ, & in portubus Venetis, Turcarum oppreſsiſsent navigia, hoſtem eis concitando potentiſsimum; placuit: ad reſarcienda damna, eorum proventus in publicum redigi; donec civium, ſubditorum, & in urbem navigantium indemnitati proſpiceretur, & à violentià in poſte-

posterum abstinerent. Reclamanti supremo Ordinis Magistro, missis primò Legatis; interprete postea Vargas Legato Cæsaris; eà facundia quà præpollebat, & argumentorum copià respondit Venerius, ut victus Hispanus palmas jungeret adversus Milites Hierosolym. Paulus ipse IV. P. R. ad pacis præsidium, & tutelam societatis humanæ, Magistro prohibuit Veneta scrutari navigia, Maria excurrere Reipublicæ, & Thraces quærere à longe; ne minuti navigii spolium, Regnorum jacturà cogerentur compensare fideles. Magnà itaque Zelotypià servatā pacem, neque in gratiam Pontificis cum Columnis dissidentis (huic Henricus Rex Gallorum, illis Albanus accurrerat) turbare volens Venerius, externos Legatos Fæciales venientes in urbem, omnes cum Caducæo remisit, dictus, propterea *Princeps pacis*. Bonam Sfortiam Ioannis Galeatii olim Ducis Mediolanensis filiam, Sarmatiæ Reginam, in Apuliam redeuntem eà pompà excepit, quà lascivire solet armata Pax. Biennio Rempublicam gessit semper fœlix, nunc in Cœlo fœlicior exuviis positis ad templum SS. Salvatoris, oratione decoratus funebri à Bernardino Lauredano.

Sansovinus, Io: Baptista Contarenus, Andreas Maurocænus, Petrus Marcellus, Doglionus, Vianolus.

EPITAPHIVM.

Franciscus Venerius Princeps, priscæ maiorum virtutis ac disciplinæ verè imitator, nullo nec adumbratæ laudis stimulo, nec privatæ utilitatis errore unquam permotus, in regendis populis summæ continentiæ, in dicunda sententia Senatoriæ gravitatis pacis & concordiæ amantiss. in omni sermone sapientiss. semper in Principatu, nihil præter ornamentum Principis quod est iustum Imperium pulcherrimum libeis rcivibus exemplum. Vix. Ann. LXVI. D. IV. in Principatu Ann. I. Mens. XI. D. XXII. Obiit IV. Non. Iunii M. D. LVI.

NVMMISMA.

Publicum habes pag. 208. cuius in fronte Marcus Evangelista vexillum porrigit. In adverso legitur: *Franc. Venerio Principis munus Ann. I.*

LAVRENTIVS PRIOLVS
DVX LXXXII.

Electus die 14. Iunij Anno 1556. obiit die ... Ann 1559.


EPIGRAPHES ANTIQVA.

Optimarum Artium studiis clarus, pestilenti lue sedata, admirabili prudentià administratà Rep. Pontificem, ac Cæsarem Neapolitano bello distractos, in pristinam amicitiam reduxi: ut, ex Italia diuturnis bellorum incommodis afflictata, irruptiones atque arma exterarum gentium salubri consilio pellerentur.

LXXXII







COmitiis ex lege habitis, post Venerii funera Laurentius Priolus tunc inter Consiliarios quintus Philippo Trono, Stephano Theupolo, Thoma Contareno Marciis Procuratoribus ad summæ dignitatis fastigium nitentibus, prætermissis, nondum in illud cooptatus Collegium, quod raró accidit, Princeps creatur terno sæviente hoste, Bello, & eo deterior qui pessimus hostis, Fame, & Peste. Deo tamen auspice spei plenus & religionis, in die coronationis suæ, concionem exorsus ad populum, *Si ambulavero in medio umbra mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es:* Esuriem Agrariis legibus, Luem sollicitudine, induciis Bellum extinxit. Vrbem postea coniu-

coniugis coronatione Ziliæ Dandulæ M. Danduli I. C. & Equitis filiæ recreavit, accurrentibus more vetusto, Artium Magistris, magno fastu, & pompà renovatà prisci ritus memorià, quæ centum ab hinc Annis inveterata exoleverat: nam à Paschalis Maripetri Principatu usque adhæc tempora Ducissa Veneta in urbe visa nõ erat. Ingens itaque ad spectaculum totius civitatis multitudo confluxit. Ad Barbadicas ædes in Gervasi vico Patres Bucentaureo accessere frequentes. Ibi Ducissa aureo talari amicta pallio, infulà redimità Ducali, Matronis comitantibus in apertum prodiit excepta à Consiliariis, celsoque Trono media locata in ipso Bucentauro ad D. Marci ripam appulit per forum innumerabili multitudine stipatum populi, media inter duos Consiliarios M. Centanum, & Ant. Iustinianum insigni pompà in Ducarium transiit. Inde aulæis, signis, ramentisque auri Opifices, tribunalia Iudicum, mirè exornarunt, multitudoque ministrorum aderat baculos gestantium, quibus è medio dimoverent turbam. Paratæ quoque in propatulo mensæ ac lautissimæ epulæ, expositá magni pretii eminenti pulpito supellex, ubi crateræ, phialæ, abaci, sciphi, aliaque ex argento & auro vasa spectabantur. In triduum Civitas lætitiæ indulsit. Alienum tandem nè usurparet Priolus triumphum, ad Superos evolavit, cum quibus vicerat, in æde SS. Salvatoris exuviis positis, vel S. Dominici; in Gemellorum æde laudatus à Leonardo Iustiniano Laurentii filio.

EPITAPHIVM.

D. O. M.
Laurentius Priolo Dux
Sapientia Eloquentia Insignis
Legationibus summis quibusque muneribus Clarus
Pauli IV. Pont. Caroli V. Cæsaris
Concitatos animos Delinivit
Pacem Fundavit, Italiam tranquillavit
Pestilentiam Extinxit, Remp. bene gessit
Pius, Fortis, Prudens
Procu. D. M. de Vltra ex Test. Lud. Priolo Proc. Nep. P.
Vix. Ann. LXXVIIII. Mens. II. Dies III. In Princ. III.

N V M M I S M A.

Publicum Laurentii Prioli supra pag. 210. in quo S. Marcus sedens vexillum porrigit Duci genuflexo cornu redimito. In postico *Laur. Priol: Principis munus An. I.* & quia idem repercussum Anno II. & III. hic studio omittitur.

HIERONYMVS PR OLVS

DUX LXXXIII.

Creatus Cal. Sept. Anno 1559. obiit Anno 1567. die 4. Nov. cum ſediſſet Ann. viii. Menſ. ii. dies iv.

EPIGRAPHES PRISCA.

Clementiæ cultor & ſævitiæ deteſtator accerrimus, Principatum animi candore, liberalis ingenii bonitate ac religione, fraternæ virturis æmulus ſuſcepi.



Allitur, qui inter Venetos thronum negat hæreditarium: virtuti namque ſemper tribuitur. Hinc gemini fratres Laurentius, & Hieronymus trahuntur in ſolium; quod hiſce ſyderibus Fata crederentur inhærere Reipublicæ. Tanta erat concordia Fratrum, ut major natu, minorem ſibi prætulerit, vaticinio quodam inſtrui, quod minor fato præcurreret. Ex D. Marci Procuratore de Vltra, Laurentius Princeps aſſumptus, quoſnam janitores deſignaret Conclavis Ducalis ? interroganti reſpondit: fratrem defunctum, qui foribus reſeratis, pauperes ipſe inquirebat venientes. Navis tunc cum agitaretur Eccleſiæ inter Tridentinas Alpes

agmen

agmen immisit Pontificum pius Princeps eà instructione, quod extra arcam Noe perire esset, regnante diluvio. Inter tot fluctus, quibus Europa tota demersa, vel naufraga novis Lutheri, & Calvini superstitionibus jacuit; sola Venetorum Ditio virginitatem Catholicæ Religionis casta servavit, Religionis æquè custos & Libertatis. Gratus Pontifex Pius IV. Senatui liberam facultatem rependit eligendi Venetiarum Patriarcham, & in eo Iuspatronatus perpetuo confirmavit: dono dedit S. Marci Palatium, quod Paulus II. Romæ olim superbissimum ædificaverat, ut ibi Oratores Veneti cum Veneto Cardinale Tit. S. Marci cohabitarent. In tantà serenitate Infulam pretiosissimis gemmis, unionibusque ornatur Ducalis, pretii supra centum aureorum nummum millia: duabus additis ex auro coronis, quarum una Cretæ, altera Cypri Regnum designant. Binas postea ex Pario marmore statuas, summis in gradibus Scalarum, quà Palatium aditur, erigendas curavit, alteram Martis, Neptuni alteram, quibus bellicæ præsertim Maritimæ Reipublicæ vires exprimuntur, eà arte à Sansovino exculptæ, ut spiraculum quodamodo vitæ habere videantur. Basi Martis inciso carmine *Adria bellipotens Martis fulgore coruscat*. Neptuni; *Sceptra Maris Venetis trado, regna uda relinquens.* Novum etiam argenteum nummum percussit solidorum 124. qui *Ducatum* componunt. Dimidia quoque & quarta ejusdem Ducati pars signata, in quorum latere insculpta Leonis alati imago cum epigraphe Ducatus Venetus. In altero, flexo poplite Princeps inspicitur, D. Marcum sella sedentem adorans: ac de more Ducis nomen incisum continet. Senio tandem confectus Princeps, morbo accedente comitiali, sepulchro illabitur D. Salvatoris, laudatus more majorum à Io: Baptista Gritti Aloysii filio.

Andreas Maurocenus, Petrus Iustinianus, Marcellus, Sabellicus, Sansovinus, Doglionus.

Nummisma publicum.

Vnicum cuius in fronte, more solito S. Marcus Duci vexillum porrigit. In adversà parte, *Hieronymi Prioli Principis munus Anno I.* In peripherià vero. *Salutis Anno* 1559. *Et ab urbe condita* 1139.

Monetam etiam usualem habes pag. 212.

EPITAPHIVM.

D. O. M.
Hieronymus Priolo
Dux
Iustitiæ, Prudentiæ, Legum
Vindex Tutor
Vrbem
Ædibus Specimen Templis
Exornavit Auctavit
Pacem Italiæ Confirmavit
Remp. Sartam Tectam
Ab omni Periculo Servavit
Fraternæ Virtutis Æmulus
Procu. D. M. de ultra ex Testamento
Lud. Priolo Proc. Fil. P.
Vix. Ann. LXXVII. Mens. XI.
Dies XXI. In Princ. III.



PETRVS LAVREDANVS

DVX LXXXIV.


Creatus 12. Octobris 1568. Annum agens 86. obiit 4. Non. Maii 1570.

EPIGRAPHES PRISCA.

Innusitata annonæ pennuria: frumento summa prudentia importato, publici navalis incendio compresso, exortum Turcicum bellum constanter suscepi, sic, ut non dubia victoriæ spe, maxima eius conficiundi oportunitas pararetur.









Elix discordia, in quà potentior esse non potest, nisi qui melior. Naturæ lex ista: Potioribus deteriora submittere. Per tredecim dies, Electores disoni, diadema prænsantibus Mathæo Dandulo, Hieronymo Grimano, Aloysio Mocenico, Iacobo Æmiliano D. Marci Procuratoribus, cum in præsentes minimè convenire possent, in Petrum tandem Lauredanum, Mocenico in primis adnitente, inclinarunt senio confectum, Annos agentem sex supra octoginta, præter totius Civitatis, ipsius quoque expectationem. Ex gente antiquitùs *Mainardà*, quæ à Mutio Scevola adversus Por-

ſenam Hetruſcorum Regem facinore claro, elementa duxit, poſtea Veneto SenatusConſulto inſignibus mutatis ac nomine *Lauredana* dicta, regio licet prognatus ſanguine, ad Ducalem nunquam aſpiraverat dignitatem, ſorte contentus privatà; vitæ fretus innocentia viam ſibi ad Conſiliariorum Sexviratum muniverat. Tunc nil ejuſmodi cogitans, cum è ſoro digreſsus per viam mercatoriam domum reverteretur, delatæ dignitatis nuntio recepto, à M.Antonio Franceſchi ſcriba ad palatium deductus, poſtridie in Baſilicà D.Marci, ab Electoribus Populo oſtenſus, Principatus inſignibus inauguratur. Diſcordia hæc ab Vrbis patrono immiſsa Marco Evangeliſta, quod ſenior nec ſanior reperiretur in Vrbe ad placandos Superos ferro, flammà, fame imminentes Reipublicæ. Incendio Navalis Armamentarii, claſsicum pro Selymo Vulcanus cecinerat adversùs Cyprios; jamque Thracià tota contra infelix regnum pluebat ſagittas; cum optimus Princeps Annorum pondere preſsus, & legum obſervantiſsimus frequens in Curia, in Comitiis, in Senatu, maieſtate plenus, ſemper adſtans Bellum vicinum agnoſceret plenum diſcrimine, clades ne inſpiceret funeſtas, oculos clauſit bonorum omnium luctu, quamvis à populo maledictus furente, qui agrorum ſterilitatem in Principem referebat innocuum: quaſi Lauredani ſacrilegio Annus areſceret. Hinc moriens converſis in Cœlum oculis, in verbo Pſalmiſtæ emiſit ſpitum. *Ab alienis parce ſervo tuo.* Eius cadaver ad Iobi ſanum delatum in humili jacet ſepulchro abſque epitaphio Patritium Antonium Zenum habuit encomiaſtem in D.Marci Baſilicà, non in Gemellorum æde, Cœlo prohibente turbine, & tempeſtate. Res inſolita & inaudita. Volens innocentiſsimo Principi Marcus Evangeliſta exequias canere, & iuſta ſolvere excluſà plebe, quæ ſubſanabatur inſana.

Ab hoc Principe contignatio Superior, & dextera erecta eſt Palatii, quod modo in vico S. Pantaleonis incolunt eius pronepotes Conſtantinus & fratres Senatores omnes, qui Magiſtratibus omnes præfuerunt, & præſunt Excelſis.

Sedente Lauredano obiit Zilia Dandula vidua Principis Laurentii Prioli, Ducali exornata funere: triduo namque in *Publicorum* aulà, balſamo delibuta, eminenti ſuggeſtu ſub aureo amiculo Ducalique infula humi condenda iacuit, circa quam ad pheretrum viginti ex Monialium virginum cœtu (teſte *Petro Iuſtiniano pag.* 423.) miniſtræ per alternas vices excubarunt. Princeps inde, Senatuſque frequens cum toto civitatis Clero, monialiumque cœtu ingenti numero ad Gemellorum ædem, eam è foro ſublatam

tam deduxit ibique de ejus laudibus ab Antonio Stella D. Fantini Antistite viro doctissimo oratio publicè habita est.

Andræas Maurocenus in vita Leonardi Lauredani, & in Histor. Veneta. Æmilius Finctus de orig. Lauredanæ familiæ. Vianolus, Io: Bapt. Contar.

N V M M I S M A.

Publicum, in quo Marcus Evangelista vexillum Lauredano porrigit more vetusto, cum inscriptione, *S. M. Venetus. Petrus Lauredanus Dux.* Retro legitur in medio: *Petri Lauredani Principis munus Anno I.* In peripheria verò. *Salut. An.* 1568. *Et ab Vrbe condità* 1468.




ALOY-

ALOYSIVS MOCENICVS DVX LXXXV.


Creatus die 5. Maii 1570. obiit 3. Non. Iunii 1577.

Depulsa fame, consociatis Christianorum Principum viribus, Selimi Turcarum Regis Classe profligatà, atque inde victorià una omnium nobilissimà partà Henrico Gallorum Rege magnificentissimè excepto, Servatori Deo æde dicata; Vrbe bello, fame, incendio, pestilentià liberatà, Remp. florentem relinquimus.



































ALoysium Mocenicum, non tam supremis Legationibus ad Selymum Turcarum Regem, Adrianum VI. R. P. & Carolum

lum

lum V. Imperatorem; ac Marcià Procuratoris purpurà, quàm domesticà trium Principum in familià educatione efformatum Ducem Lauredano Patres subrogavere defuncto. In Procinctu cum esset Marcus Evangelista, & libro clauso, Classi totus intenderet adversùs Thraces, qui Fato præcipite, Cypri urbes quatiebant, cæso Regni capite Nicosià; Thronus vacavit. Hoc in tumultu, inter Martis bombos, & armorum strepitus, nè falsà rerum humanarum specie deciperentur Patres, Ducem assumere decreverunt de domo Principum, legibus obsoletis, præteritisque Correctoribus Fori, & Inquisitoribus Ducis defuncti. Die solummodo ab electione tertio eum circumtulerunt in foro, missilia spargentem in populo, ne nundinis & officinis occupatà plateà, populari direptioni exponerentur merces. Clavo assumpto regiminis Mocenicus Hieronymum Zanium fortissimæ & numerosæ classi præfecit: majorem a Pontifice, Philippo Auria expectabat sed tantos conatus & sumptus Hispanorum & Auriæ cunctatio discussit, ut per otium Turcæ tres naves prædà refertas opimà ultra virgines & ephebos ad libidinem in tutum ex Cypro subducerent. Nobili tamen Matronæ desperatione accenso pyrio pulvere naves illas Ignis sorbuit vel Mare. Cessit paulo post Famagusta, postquàm muris glande suffossis, solius Bragadeni pectus superesset. Honestissimis conditionibus pactà urbis deditione, earum nullas Turca servavit. Marcus Bragadenus de eiurandà Religione frustrà tentatus, vivus excoriatur. Cor ei impavidum non valentes etrahere, detraxere corium. More serpentis innovatus Marcus, relictis exuviis, ad superos evolavit canendo, *Cor mundum crea in me Deus*, quod suo sanguine emundaverat martyr fidei, eroas Patriæ. Eius laus etiam penes Tyrannum maior fuit, quàm Cyprus perdita. Partà victorià cæpit Selymus inter suos Occidentem dividere, de pelle agens nondum captà ferà. Venetiis namque Mocenico Principe in supremis declamante Comitiis, & Patritios excitante, collatitià congregatà pecunia, ære sub usuris recepto, aucto Procuratorum numero D. Marci, jurato fœdere cum Pio V. R. P. Hispaniarumque Rege, occursum Barbaris cum triremibus 209. celocibus 70. sex Venetis Liburnicis, sub ducibus M. Antonio Columna, Io: Austriaco, Sebastiano Venerio, parati Veneti vincere, aut mori. In sinu Naupacti per viginti quinque millia passuum, inter Cephaleniam & Naupactum, ad Echinades, Acheloo flumine Aetoliam interlabente, Nonis Octobribus, quinta fermè diei horà, D. Iustinæ sacrà obviavere Turcæ, & per quatuor horas fortissimè hinc inde certatum: donec auram insuflante Dei Matre, vento, fumo obruti Turcæ, proiecere Lunam sub pedibus eius. Victoriæ civitas incredibili

perfusa

perfusa gaudio, accurrit protinus in Templum Deo grates persolvens. Triduo per forum supplicatione habitâ, Princeps, Senatus, omnesque cives cum Clero adfuere, celebratisque sacris, Princeps Patres purpurâ induti sacratissimam sumpsere Eucharistiam. Carceribus exilioque damnatos solverunt: egenis, publicè privatimque exhibuère eleemosinas: funebres celebrari laudes in D. Marci templo mandarunt eorum, qui in acie pugnando pro Patria occubuerant. Ad spetiem triumphi, Pannorum Porticus, ædesque sacræ in Rivoalto, incredibili auleorum, frondiumque cultu exornatæ: trophæa ex hostium manubiis, armorum varietate micantia erecta. Idem in viâ Mercatoriâ apparatus pompâ extructus inenarrabili. Superbus quoque Aurificum, & à serico Textorum splendor. Germani similiter Mercatores tantæ lætitiæ participes, ad primum victoriæ nuncium, ludicra prębuere speciosa suo in foro, ubi interdiu, noctuque reseratis per triduum foribus, variis oblectamentis, in Musicis & tripudiis, taurorum cursibus, genio indultum. Faces excelsis totius civitatis turribus dispositæ tenebras superabant nocturnas. Lata lex etiam, ut D. Iustinæ die inter Festos relato, quotannis Princeps Senatusque in lato clavo, & togâ ad eius templum accedentes, grates testarentur Divinæ clementiæ. Excussum mox etiam nummisma, in quo Iustina Virgo stans classi eminet, sub epigraphe *Memor ero tui Iustina virgo*. In alio quoque argenteo nummismate, quod annuatim Principis munere, patritiis distribuitur, inscriptio hæc legitur *M. D. LXXI. Anno navalis magnæ victoriæ, Dei gratiâ contra Turcas*. In aulâ veteri publicæ bibliothecæ, excellenti penicillo Iacobi Tentoreti pugna ad Actium expressa Navalis. Tantâ clade depressi Barbari vasa colligebant Byzantii, cum discordiâ fatigati victores Christiana, vix pacem retulerunt ex tanto hostium naufragio: frementibus Superis, qui iram suam Lue, Igne adversùs nos effudère mortales. Venetiis Curia tota conflagravit, more insolito, noctu ex turri tintinnabulariâ D. Marci campanâ pulsante Maleficii, horribili sono, totius urbis terrore. Dux ipse in ædes cum se recepisset vicinas Ioannis Legii Marcii Procuratoris, mandante Dominio revocatus est in Ducarium. Mense Maii, ex festivis faculis evolantibus ex turre D. Marci, ob electionem Gregorii XIII. R. P. renovatum incendium officinas omnes nundinarias in foro corripuit D. Marci, quæ ibi annuatim congregantur in feriis Ascensionis Dominicæ. Decessit etiam uxor Principis Lauredana ex nobili Marcellorum familiâ, pietate insignis, eiusque funus publicè celebratum sub aureo amiculo, cadaver aromatibus delibutum triduò jacuit in foro positum. Elatum Senatus, Principumque Oratores, propinqui, domestici

mestici pullati omnes ad præparatas in Gemellorum ædibus exequias deduxerunt, eam publicè laudante Octaviano Maggio, qui à Secretis erat. Accedenti postea in Vrbem Henrico Gallorum Regi, qui auditâ fratris Caroli ix. morte Sarmatiâ relictâ, per fenestram demissus cubiculi, in quâ degebat, secretò fugam arripuerat, quatuor Legatos misit in occursum, ut in Carnis Regem cum frequenti Patritiorum, insigniumque virorum comitatu exciperent. In vico Margariæ, (iacet hæc in margine Estuariorum sexageni occurrerunt Senatores lato clavo amicti purpureo, & Murianum mille passibus ab Vrbe deduxerunt. In terram exscendenti ingentes tormentorum, fistularum consultationes factæ. Domus Capellà Henricum excepit. Ad eum invisendum postridie Mocenicus Princeps cum Senatu, triremi Imperatoriâ, quam decem & quatuor sequebantur triremes delatus advenit. Salutato Rege, eadem Imperatoriâ unà ad ædẽ D. Nicolai in litore, devectus, à Ioanne Trivisano Venetiarum Patriarcha sacris insulis redimitto in fanum Benedictinum deducitur, ubi post Deo gratias actas, Bucentaurum ingressi, per rivum grandem, incredibili pompà ad magnificentissimas Fuscarorum ædes, à Mocenico usque in cubiculum deductus, ubi sub uranisco Ducem Rex sibi assidere voluit. Per aliquot dies Venetiis commoratus, nullum in se publici splendoris argumentum desideravit. Ludi habiti, Naumachiæ institutæ: in Basilicà D. Marci sacra celebrata ritu solemni, quibus Rex unà cum Principe ac Senatu, aliique Itul iæ duces interfuere. In genua procumbenti scabellum appositum, ab eoque bina pulvinaria pari intervallo aliquantulum distantia Legatus obtinebant & Princeps. Sabaudus, Ferrariensis, Mantuanus, Niverniensis sequebantur. Octo diebus exactis, cum Ferrariâ iter in Galliam arripere statuisset, à Principe & Senatu usque ad LizzaFusinam quinque milliaribus ab urbe distantem deducitur. Eadem cimba vehebantur Rex ac Princeps. Alterâ sequebatur Legatus Pontificis. Reliquos Duces Senatores claudebant. Discedenti iter faustum, cunctaque prospera precatus Princeps, Senatus omniumq; Civitatis Ordinum studium & observantiam, neque ullo tempore benignitatis memoriam, quà ipse Regio aspectu Rempublicam exornasset elabi ex animo Venetos passuros. Erat in hoc Principe, summæ gravitati non impar coniuncta eloquentia, insitumque oris totius decus, quo cunctos in sui ita alliciebat amorem, ut ad sustinendam Venetam Maiestatem plasmatus videretur. Illum Rex amplexatus Reipublicæ gratias egit ingentes, in quà tuendà & augendà, si se aliquando occasio obtulerit, Regni vires, opes collaturum, seipsum quoque adfuturum pollicitus. Cum verò eà

rò eà tempestate, Gallia Religionis dissidiis, Procerumque ambitu fluctuaret: Mocenicus flexo colloquio ad arcana Regni, & Christianæ Reipublicæ, Henricum ad intestina tollenda dissidia, mulcendosque beneficiis proceres monuit; ut inde vires & existimatio accresceret Gallici nominis in eos, qui torvis oculis amplissimi Regni potentiam aspiciebant. Consilium, uti à viro magnis rebus gerendis assueto profectum magnifacere visus est Rex, asserens hoc unum sibi votum, cunctos Regni proceres & ordines ad pacem traducere, concordiæ vinculo connectere. Regis memoriam ne posteri præterirent, (Arnoldo Ferrerio Regis flagitante Legato) Patres in urbem marmore apposito iuxta Giganteos gradus, Regis accessum insculpi mandarunt.

Henricus III. Galliæ Rex, & primus Poloniæ Christianissimus, accepto de immaturà Caroli IX. Galliæ Regis fratris coniunctissimi morte, tristi nuntio, è Poloniâ in Franciam ad incundum regnum hæreditarium properans, Venetias Anno Sal. 1574. *decimo quarto Kal. Aug. accessit, atque ab Aloysio Mocenico Serenissimo Venetorum Principe, & omnibus huiusce Reipublicæ ordinibus non modo propter veteris amicitiæ necessitudinem, verum etiam ob singularem de eius eximiam virtute, atque animi magnitudine opinionem, magnificentissimo post hominum memoriam apparatu, atque alacri Italiæ prope universæ, summorumque Principum præsertim concursu exceptus est: Ad cuius rei, gratique Regis animi erga hanc Rempublicam memoriam sempiternam, Senatus hoc monimentum fieri curavit: Arnoldo Ferrerio Secretioris Consilii participe Regio apud Rempublicam Legato id etiam postulante.* In urbem revertenti Mocenico, Henrici nomine Adamas præfertur formæ prædivitis, quam initio accipere abnuens, cum molestum id cognovisset id Regi futurum, acceptum Senatui detulit, cuius decreto aureis inclusum Liliis in Basilicà asservatur D. Marci. Lætitiam urbis morbus comitialis Tridento per occultos quasi cuniculos Venetias intrusus supra octuaginta hominum millia absumpsit, non tam contagio, quā ignaviâ Hieronymi Mercurialis, & Hieronymi Capivacei in Patavino Gymnasio Medicinam profitentium, qui à Medicis Venetis dissentientes coram Principe, sermone potius expolito, quàm docto morbum dixerant epidemicum, sed non pestiferum. Agnovit Mocenicus manum Domini, quem ut placaret, concione ad populum habità in templo D. Marci cuius exordium, *Nisi Dominus custodierit civitatem frustra vigilat, qui custodit eam*: publicam pœnitentiam suo imposuit exemplo, quà die nascentis Deiparæ sacro absolutà, contagium postridie deſæviit, quatuor tantummodo defunctorum nomina in foro proposita, quę supra ducenta dietim numerabantur. Pium Principis votum, quali formà & ritu conceptum ab Andræa accipe Maurocæno. *Usu satis compertum est quàm*

verum

verum sit, quod Rex, ac Propheta Divino afflatus spiritu cecinerit. Domino civitatem non custodiente frustra qui eam custodiunt, vigilare; quam enim industriæ vim, quæ adiumenta, quæ remedia tentata non fuisse, ut populus pestifera lue liberaretur? quæ humana præsidia prætermissa, ut publicæ civitatis saluti consuleretur? cuncta in irritum cessisse: funera funeribus aggerari, recentes calamitates præteritis cumulari, ut tandem à summo vertice usque ad pedem nihil ferè intactum relictum sit. Quis dubitet (inquit) hominum cogitata, atque inventa præpotenti hoc morbo inferiora esse? gladioque huic obsisti non posse, qui Dei Opt. Max. vibratus dextera in hanc beatam olim, fortunatamque civitatem sæviret. Quis Servatoris irati oculos, unicumque intuitum sustinere possit? qui veluti insitæ misericordiæ oblitus iratum, iustoque furore adactum se nobis ostenderet. Amplissimæ huius civitatis otio assuetæ, luxu, deliciisque diffluentis errata id commeruisse, quibus modò recessibus, quibus latebris ab eo se obtegeret, quem ubique præsentem, neque in Cœlum ascensu, neque in inferna descensu, neque velocissimis pennis in remotissimas regiones transgressu vitare posset. Unicum tantùm præsentibus malis remedium esse, ut qui iratum Numen offensa lacessiverint, iidem pœnitendo ieiuniis, aliisque pietatis operibus placare niterentur, hoc tantùm immensam Dei Opt. Max. benignitatem conciliari, decretaque in miseros mortales (si ita fari licet) immutari, si contritum Ninivitarum pectus, profunda populi humilitas, Regis in solum procumbentis, seque prosternentis pietas, latam à Deo sententiam vastam perdendi civitatem, revocarē potis fuit, cur qui sacra Baptismatis undà abluti, nunquam alium Deum, quàm qui ex nihilo cuncta in lucem produxit, agnovimus, qui nullam aliam, quàm eius religionem colimus, fiduciæ nonnihil sumere poterimus, ut post tot clades, atque ærumnas respirare tandem nobis liceat. Nemo est, qui præsentes calamitates non persentiat, graviùs cæteris non experimur, quibus huius civitatis, totque populorum cura concredita est, proni itaque, ac supplices Deum Opt. Max. exoramus, ut nostrorum erratorum oblitus, aversam faciem in nos convertere, egregiumque opus, cui Divinam illam suimet imaginē insculpsit, agnoscere velit. Peccasse universam (inquit) hanc civitatem, prævaricatum populum tuis sanctissimis iussis, præceptisque minimè obtemperasse fatemur: Ecce lachrimabundi veniam petimus, atque ex intimis cordis penetralibus nondum extinctæ pietatis indicium expromimus, Senatus iste, quo cingimur, nosque ipsi Divinæ Maiestati tuæ templum unigenito filio tuo Redemptori nostro vovemus, perpetuum posteritati publicæ religionis, Venetique Senatus pietatis monumentum singulis annis à nobis, posterisque nostris religioso cultu invisendum, quò & pestiferæ cladis, & Divinæ opis auxilium in omne ævum æterna memoria conservetur. Hæc animi nostri demissa ne spernas obsequia, à te omnipotens Pater petimus, Angelo iubeas tuo, ut cruentum illum, atque horrificum gladium vagina recondat: teque Deipara Virgo, cuius hodie ortum colimus, afflictorum subsidium, pelagique istius, quo iactamur stella, cuius auspiciis fundamenta Venetæ urbis iacta sunt, cui tot templa erecta, tot aræ dicatæ, annue precibus, filiumque tibi dilectissimum nobis conciliare ne graveris, tuque adeò Marce Evangelista

Reipu-

Reipublicæ huius patrone, quo auspice vexilla in remotissimas regiones maiores nostri protulere, istam, quæ tuo ductu vivit, ac spirat, civitatem ne deseras. Anno sequenti, urbe adhuc saluti non restitutà, tertio Nonas Iunii excessit Mocenicus, Princeps prudentià, eloquentia insignis, prosperis & improsperis assiduè jactatus, amissà Cypro; victorià partà; pace cum Selymo sancità; Henrico Francorum Rege hospitio recepto. Eius funus in æde aurea D. Marci, non in Gemellorum templo celebratum; prohibente turbine, & tempestate (Res insolita & inauditá) delatum posteà in Gemellorum ædem, ubi supra januam maximam cum coniuge *Lauredana Marcella* quiescit. Peroravit in funere Laurentius Massa, unus à secretis.

NVMMISMATA.

Publica Aloysii Mocenici septem occurrunt. In primo ab Evãgelista Marco sedente vexillum accipit sub inscriptione solità S. M. Venetus *Aloysius Mocenico Dux*. Tenet retrò epigraphem in medio *Aloysii Mocenico Principis munus. Ann. I.* In peripherià verò *Salut. An.* 1570. *& ab urbe condità* 1150.

Anno II. eadem frons recurrit, Anno tantùm adiecto, cujus chronologia retrò stabat in primo nummismate S. M. Venetus. Aloy. Mocen. Anno II. Tenet retro sequentem epigraphem, memoriam triumphi ob victoriam de Turcis relatam. *M.D.LXXI Anno magnæ navalis victoriæ, Dei gratià contra Turcas.* Nummus concordat S.C. percussum in quo Iustina virgo, quod ejus in festo ipsà intercedente profligati sint Barbari, teste *Petro Iustiniano*, cuius in fronte Evangelista Marcus lætus & exultans Principi vexillum porrigit. Solita legitur inscriptio S.M. Venetus. *Aloy. Mocenico Dux. M. G.* Marinus scilicet Grimanus, nomen præfecti rei monetariæ. Ex adverso stat Iustina M. & V. cum publico monimento *Memor ero tui Iustina Virgo.* Persevèrat adhuc nummus iste usualis, mutato solum nomine Ducis; cuius origo ab *Aloysio Mocenico*. Aliud concordat nummisma privatum Venetiam exhibens super manubia inimicorum, medio Mari sedentem sub epigraphe, *Sic sola gloriatur*, cui Fama coronam desuper sustinet & palmam. Habet in fronte effigiem Moceniciad vivum sculptam sub inscriptione, *Aloysius Mocenico Dux Venetiarum &c.*

Ann. III. frons eadem, quæ in primo. Tenet retrò, in medio. *Aloysii Mocenico Principis munus Anno III.* In peridherià. *Salut. An.* 1572. *Et ab urbe condita.* 1152.

An. IV.

Ann.IV.à primo minimè dissonat. Legitur in postico *Aloysii Mocenigo Principis munus Ann. IV.* In peripheriâ: *Salut. Ann.* 1573. *Et ab urbe condita* 1153. Annis sequentibus qui fuere v. & vi. Principatus, eadem epigraphes, Anno tantùm mutato.

Anno VII. recurrit in fronte Salvator Iesus finistrâ tenens vexillum Reipublicæ, ad quod Dux in genibus flexis manum non extendit præ reverentiâ, sed pectus tundit misericordiam implorans & salutem adversus luem, quâ Venetum afficiebatur imperium. Stat Marcus in figurâ Leonis retrò Ducem & in angulo, non audens irato Iudici se ostendere: hinc diversa est inscriptio ab antecedentibus, & Marcus non exprimitur, sed solummodo Princeps, quasi desertus ab Evangelista. *Aloy. Mocenigo P. Munus Ann. VII.* Nomen non adjicitur Salvatoris, qui absque ullà inscriptione ubique fulget. Tenet retro Templum magnificum ex voto Reipublicæ Redemptori dicatum, quod modò incolunt Cappucini, sub epigraphe *Redemptori votum M.D.LXXVI.*

Anno sequenti, die 19. Maii, Cruci SS. Sacro, tantæ moli primum posuere lapidem, cui inscriptum. *Ex pio, solemnique voto Reip. ad arcenda fulgura diræ pestis, Redemptori Deo sanctè dicatum: Greg. XIII. P. M. Venetiarum Duce Aloysio Mocenigo, & Io: Trivisano Patriarcha M.D.LXXVII.* Super portam Principem. *Christo Redemptori, civitate gravi pestilentiâ liberatâ, Senatus ex voto pridie Non. Septemb.* 1576. Adfuere solemnitati Mocenicus Princeps cum Senatu, Missam solemniter celebrante in proximâ S. Crucis Ecclesiâ. Patriarchâ: piè & latinè perorante ejus Primicerio. Hujus erectionis, (in quam decem millia Ducatorum decreta, licet centenna millia sint absumpta) aliud recurrit nummisma, sed Anno percussum 1583. quod suo loco dabitur.



SEBASTIANUS VENERIUS

DVX LXXXVI.

Electus die 11. Iunii, Anno 1577. obiit 3. Martii Anno 1478.

VETVS ELOGIVM.

Lauream servatæ Patriæ, quam armatus Imperator ad Echinadas paulò antè in triumphum retuleram, Princeps unà omnium sententià creatus, ita civili moderatione munivi, ut dubium reliquerim; fuerim nè in administranda Rep. Princeps iustior, & sanctior, an in rebus bellicis fortior, & fælicior Imperator.



LXXXVI







IMperatoriam Maiestatem armatam literis, ornatam armis contemplare in imagine Sebastiani Venerii. Vitam novus Tullius cum insumpsisset pro rostris, collatà in foro litigantibus linguà, Corcyram Legatus missus eà tempestate, quà Selymus per tyrannidem irruebat in insulam Cypri; nè Veneta Classis socordia & ocio marcesceret, Sopotum Cahoniæ oppidum, quadraginta à Corcyra millibus passuum, in summo montis jugo, quod Turcę incolebant vicinium depopulatores, tunc insolentiores facti, quod per eos dies Iacobum

Iacobum Celsum classis legatum confusè irruentem repulerant, sociosque navales in litus egressos ad diripiendas farinas in molis trusatilibus convolantes interfecerant: illud adoriri Venerius decrevit. Conciliatis itaque dono Epirotis, ordine servato militari, unà cum novem triremibus, duce Celso, externoque milite rectà movet, tormenta per ardua & confragosa itinera arci admoveri jubet, quæ cum ictu fallaci in oppidum exploderentur præaltum, scalis moliri meditatur ingressum. Tanto rumore territus hostis, noctu muros transgresus per rupes, & cautes arce evasere relictà, strage tamen suorum, in fugà intercepti ab Epirotis. Ita Soppoti totiusque Cahoniæ regione Venetis adiectà, Venerius ob rem fortiter administratam summà omnium laude concelebratus, spem fortunæ cum iniecisset majoris, Procurator dicitur D. Marci in locum Aloysiii Mocenici Venetiarum Ducis assumpti. Inde cum Sfortia Pallavicino adornatis quinquaginta triremibus, Margaritini expugnatione in Almenæ montibus, propè Cibotam insulam tentavit, sed irrito conatu, ob loci asperitatem, & à Mari distantiam. In Cyprum verò cum summo Imperio Legatus designatus Venerius, Leucosiæ cognito à fœderatis excidio, Marco Antonio Columna Legato Pontificis, Io: Andrea Auria Hispanorum Architalasso, & Zannio Venetæ classis Imperatore, ad consilia vocatus solus cum Zannio accurrendum sentiebat intrepidus, quamvis reliquis dissentientibus præcipuè Auria cum Hispanà classe, discessus decretus fuerit. Tanto infortunio perculsa civitas Zannium domum in quæstionem evocavit, subrogato Venerio ad classis Imperium. Et quia ante acceptum de supremà sibi dignitate delatà nuntium, Venerium in Cyprum traiecisse verebatur Senatus; classis Legatum cum auctoritate Imperatorià Augustinum subdelegavit Barbadicum. Gratissima fuit Classiariis Venerii electio; quod eximia ei oris majestas, proceritas corporis, color in facie purpureus, quem senilis ætas nondum pallore infecerat, artuum robur ac firmitas, ut ad arma tractanda Anni impedimento non essent; cui corporis formæ vivida virtus, audensq; animus insidebat, ut Imperatoris munera obiret intrepidus. Hinc militibus venerabilis, propter liberalitatem & paternam charitatem amabilis, Suppoti expugnatione cognitus, totius Christianis Orbis periculum in se suscepit adversùs Selymum qui Cypro expugnatà, totius Occidentis Imperium mente vorabat, & Romam Fidei Christianæ caput in Meschitam Mahumeto vovebat. Procurante interim Pio V. R. P. cum Hispanis renovato fœdere, ad Echinadas Acharnaniæ scopulos convenere; ubi lustratà classe, 220. triremes, sex Galeatiæ, naves viginti quinque, ultra minora

 navigia

navigia duce M. Antonio Columna Pontificis nomine, Io: Austriaco, & Sebastiano Venerio, dum futuri certaminis ordo disponitur, insolentia Martii Tortonæ regiæ cohortis præfecti, qui sub S. Floræ dynastà merebat, cuncta turbavit. In Andreæ Calergii triremi turbidus illè homo cum classiariis inito dissidio, rumore suo, non sine seditionis periculo, vicinos concitabat, audiente Venerio, qui illicò suæ triremis ductorem, mox maris magistrum, sociosque nauticos mittit ad sedandum tumultum. At is disploso sclopeto gravem intulit plagam ministri humero, milites jam concitatos in nauticos acuit, contumeliis onerat, duos occidit nec Veneto nomini parcit. Horum nonnulli ità sanguine aspersi Venerium adeuntes, indignum exposuere facinus, nec propter Imperatoris nomen, nec Reipub. majestatem exemplo pessimo tolerandũ. Præfectum itaque ac socios comprehendi jubet, comprehensos antennæ suspendi. Eà re commotus Austriacus, furori calcaria addentibus Aloysio Requescenio, & Andrea Auria, Columnam advocat, sententias exquirit. Is ad deliberandum impetrato tempore, ut morà interiectà animum leniret, postea Regium juvenem aggressus, incredibili ingenii dexteritate, quà prece, quà ratione, quà suasionibus tantum effecit, ut æstuantem animum mitigarit: ut verò cum Venerio consuleret, adduci non potuit. Discusso turbine in hostem vela dedere, qui 230. triremibus, biremibus 60. mare præmebat. Ducem Venerius habuit Virginem matrem, quæ vento cœlitus emisso, Thraces obruit, dissipavit horarum quatuor nec ultra spatio, cæsis, cum ipso Duce, triginta millibus Barbarorum, 3486. in libertatem assertis. Navigiis captis 190. Octoginta flammà vel undà haustis, fuga triginta solùm elapsis. Tormenta in prædam cessere majora 116. minora 256. Hinc Pius V. P.O. triumphum Virgini decrevit quotannis iterandum. Ab eà autem die, quà Mutius tribunus laqueo, Venerii jussu necatus fuerat; Austrius, Hispanique ab ejus consuetudine cum abstineret; statuere Patres ad deliniendum animum Austrii, ut è classe evocatus Venerius, navale in Adriaco exerceret imperium ubique ab Austrio divisum, subrogato Iacobo Fuscareno, qui ob Hispanam cunctationem cum tempus otiosus insumeret, pacem renovare Patrum animis insedit. Venerius interim post duos Annos, quibus summa cum laude Mari præfuit, regressus obviam habuit ingentem populi multitudinem ad instar triumphi. Turcarum præcedebant spolia, captivi, arma, insignia ferebantur ante victorem; qui in purpuræ lato clavo, & ad humeros fibulato graviter incedens omnium in se ora converterat. Deductum ad D. Marci Basilicam cum nobilissimo comitatu Princeps ad fores Templi cum Senatu

excepit

excepit honorificè, memorabilem victoriam, fœlicemque ei in patriam reditum gratulantes, ad ſacra piè acceſserunt. Quibus peractis, ad ſuas Venerius ædes in areà ſitas D. Marci, patritios omnes, qui eum officii gratià comitati fuerant, epulo excepit lautiſſimo. Hoc triumpho Reſpublica unicum ornavit Venerium (quod antea in civitate nemini, ex tot Ducibus, qui claſsibus præfuere, contigiſse legitur) ut unicam, & cæteris majorem teſtaretur victoriam. Mortuo Mocenico Principe ex innumero ampliſsimorum civium numero nemo fuit, qui Venerii virtuti adverſaretur, cui Invidia ipſa concesſerat. Cunctis itaque Patrum ſuffragiis Dux renunciatus, cum ioci causà à ſuffragatoribus interrogaretur; an vellet privatus prandere, vel Princeps? Sapienter reſpondit: *Privatos minori curà prandere ſolitos*. Ejus coniugis *Cæciliæ Contarenæ q. Natalis* publicam coronationem horribile diſtraxit incendium, quo, die 20. Decemb. 1577. cadente Sole, aula Scrutinii, Cancellaria Notariorum Mortuorum dicta, Conclave Quadraginta Virale Aula ipſa Supremi Comitii cum Imaginibus ad vivum exculptis Principum Venetorum conflagravit; unde diebus Faſtis, prope navale armamentarium, in Remorum Conclavi opus fuerit congregare Comitia, quò Dux & Conſiliarii pontonibus appellebat. Eius in electione ſuffragari volens Pontifex ipſe Romanus Gregorius XIII. dono miſit *Roſam Auream*. Superi ut ſuo Commilitoni Peana canerent, luem revocarunt graſsantem, Templo contenti Redemptori ſacrato: ad quod, Dominicà 3. Iulii peſtilentiæ immunitate vulgatà, Princeps cum Senatu poſtquam ſacris ſolemnibus in Baſilicà adfuiſset D. Marci, ſtrato ponte, qui è foro ad oppoſitam Iudaicam pertinebat, acceſsit cum ſupplicatione ſolemni totius Cleri, ſacriſque Collegiis, ibique Miſsà celebratà gratias Deo ſolvit. Ad Legum poſtea cuſtodiam, & coercendas ſumptuoſas Legationum expenſas creatis Cenſoribus; datis Ærario Triumviris; ad procurandam Annonam Cerealibus inſtitutis Ædilibus, in Curià Paradiſo depicto, labore conſumptus naturæ conceſsit, Muriani ad Angelorum ædem ſepultus, cum illis prò patrià excubiturus.

Secundus is Principum Venetorum, cui in Gemellorum æde, Inferiæ non ſint ſolutæ, ſed in Baſilicà D. Marci, poſtquam novies proiectò in aerem cadavere, ultra progredi Cœlum vetuit, apertis cataractis Cœlorum, ut in funere tanti Principis præficam ageret.

EPITAPHIVM.

Hic magni Principis ac invicti Sebaſtiani Venerii iacent oſſa: dum illi digna erigantur Mauſolea.

Nummisma publicum.

Vnum percussit Venerius, cujus in fronte S. Marcus vexillum tenet Reipublicæ: Dux verò in genibus flexus, ambabus manibus, victoriæ palmam ab eo contra immanem Turcarum rabiem, relatam offert Evangelistæ, uti protectori, & apud Deum intercessori. Angelus desuper Duci cornu imponit; volens per hoc exaltationem sui in Deum referre, sub epigraphe: *Sebast. Vener. Princ. munus Ann. I.* In adversà parte, stant Classes adversæ, & Deus desuper urgens fidei inimicos sub epigraphe. *Magna Dei Misericordia super nos. Ann.* 1577. Tempus, quo nummus percussus: non quo pugnatum. Anno namque 1571. certamen contigit, ex quo inter cætera inimicorum spolia, vulnus retulit, virtutis monimentum perpetuum, quo honestissimè claudicando, gradum facere prohiberetur Venerius, nisi identidem suæ gloriæ reminisceretur, virtutemque testaretur abundè. *Nicolaus Crassus p.* 33. *in Sebastiano Venerio.*



NICOLAVS DE PONTE
DUX LXXXVII.

Creatus die 19. Martii Anno 1578. obiit 29. Iulii Anno 1585. ætatis suæ 98. Principatus septimo.

EPIGRAPHES PRISCA.

Rempublicam gravissimo ære alieno liberatam, ac plurimis belli subsidiis, & pacis ornamentis auctam reliqui.



Felix Respublica, in quà Philosophi regnant, & Principes philosophantur. Ex cathedrà ad tribunal vocatus Nicolaus de Ponte rexit Forum Iulium; inde ad Cæsarem Legatus, postea Patavio Præfectus, Prætorium ibi ædificavit, Montem Charitatis erexit, ad cujus institutionem octo aureorum nummum millia, uno prope die à civibus expressit eo nomine, ut tempore opportuno frumentum emeretur ad totius comodum civitatis, quæ fœdè Annonæ penurià propter intemperiẽ Cœli laborabat. Hinc gratissima Civitas Pontium tanti muneris auctorem oratione à Iulio Sperone publicè habità laudatum, magno Optimatum, plebisque plausu, aureo dona-

vit vexillo, cum epigraphe *Fundatori perpetuo Charitatis*. Ad Ro. Pontifices postea septies missus Orator, eà eloquentià coram Iulio III. Italiæ ac Christianæ Reipublicæ calamitatẽ deploravit, ut ab oculis piissimi Pontificis lacrymas excuteret. Paulò ante Orator Ordinarius ad Paulum III. legatione absolutà, Romà digressurus equestri donatur dignitate: cujus honoris insignia nullus Rom. Pontifex Legato cuipiam Veneto contulerat; primusq; ille virtutis ergo hoc familiæ suæ decus Pauli III. P. M. munere consequi mæruit. Ad Oecumenicum tandem Legatus Concilium Tridenti congregatum pro Ecclesiæ reformatione tam in Capite, quàm in membris, non solùm Majestatem propugnavit Reip. adversùs Bavaros, præeminentia servatà, & scripto ad posteros monimento transmisso, sed Religionem, Venetamquè palã fecit pietatem, cujus exemplo devicti Reges & Principes Christiani sacris acquievère decretis. Omnium namque prima in verbo sacri juravit Concilii. Servat enim Imperium Religio, Religionem Imperium, & mutuo se juvant auxilio. Vltima ejus ad Gregorium XIII. Legatio, ut initæ pacis causis expositis, Pontificem deliniret subiratum, & pacem excusaret cum Turcis inutilem, sed necessariam. Eo audito, senis prudentiam dicendique vim admiratus Gregorius subiecisse fertur: *Non debuisse Patres secum silentio uti, quem Dei O M. vices gerentem cuncta Christianorum noscere oportebat. Verumtamen Deo permittente pace confectà, nil ultra additurum*. Mortuo tandem Principe Sebastiano Venerio, dum paribus meritis & suffragiis pro diademate certant Iacobus Superantius, & Paulus Theupulus, Pontio tunc Marcio Procuratori diadema defertur. Is fortunæ suæ faber à Philosophiæ studiis, quam publicè, mandante Senatu professus fuerat, ad Rempub. transgressus clavum tenuit, iratoque Ponto pontem stravit, ut tuti cives naufragia spectarent, & Bellorum tempestates securi prospicerent. In hac malacià, aggeratis montibus Forum D. Marci marmore undique cinxit, & in ea iterum Patritios convocavit: Aulam absolvit Supremi Comitii: Adiunctorum Magistratum in Concilio Decemvirum abolevit: dissidia cum Romano Pontifice pro sede Aquileiensi cõposuit: Aedes Andreæ Gritti olim Venetorum Principis, in vineà D. Francisci, viginti quinque milliũ ducatorum ære publico paratas (distrahentibus eas hæredibus Cõtarenis S. Gervasi & Protasi, ac Vincentio Maurocæno Equite, & D. M. Procuratore) Legatis Apostolicis, dono dedit: Iaponiæ Principes ex ultimà Thulle venientes in aulà suscepit, Romanam adoraturos Remp. Venetias traductam. Cives cum in omnem luxũ se se effudissent; revocatis legibus Sumptuariis, mundum interdixit muliebrem, qui decem auri libras excederet. Cænis Pavones, Pha-

sianas

ſianas aves, cubiculis ſtragulas veſtes ex auro, argento intextas, & purpurà amplo delatoribus præmio deſignato. Blancã Capellã à Franciſco jam adamatam Mediceo M. Hetruriæ Duce, nunc & ab eo ſolemniter deſponſatam cum Senatu adoptavit, eiuſque fratrẽ, Bartholomæum, ac fratrem Victorem torque donavit aureo. Seminarium ad juventutis educationem pro reſtaurandà Eccleſiaſticà diſciplinà cum ex lege Tridentini Concilii perpetuo duraturum erexiſset Patriarcha; Princeps etiam pro Ducali Baſilica, ære publico, proventu majore conſtruxit, dotavit. Curotrophium ad refugium ſpecioſæ & honeſtæ virginitatis ſub Matronarum curà aperuit. Aſceterium Veſtàlibus S. Crucis cum Baſilicà in quibus lapidem poſuit angularem, paravit, Nicolaum ex filio nepotem. Reipublicæ beneficio, inter Procuratores D. Marci feſtivus aſsumpſit. Civium intentus ſaluti, dum calet & medio Sol eſt altiſsimus Orbe, mane ſuprema voluit celebrari Comitia. Majora dediſset niſi artubus mortalitatis ſolutis, emigraſset eius anima centennaria, in æde Charitatis exuviis relictis. Eius in funere peroravit Io: Carolus Scaramella.

Sanſovinus, Io: Baptiſta Contarenus, Andreas Maurocænus, Petrus Marcellus, Doglionus, Vianolus.

EPITAPHIVM.

Nicolao de Ponte Principi, qui ad Reipublicæ adminiſtrationem nobiliſsima Scientiarum ornamenta, ſingularem quoque ſapientiam atque innocentiam cum attuliſſet, ampliſs. honoribus & Legationibus apud omnes Europæ Principes præclariſs. functus, illiſque potiſs. duabus, alterà ad Tridentinam Synodum, alterà exactà iam ætate ad Greg. XIII. P. M. ſuſcepta, optimè de patrià meritus, ad Principatum evectus, Repub. graviſsimo ære liberata, Vrbe plurimis Belli ſubſidiis & pacis ornamentis aucta, diſceſsit memorabile ſuis civibus exemplum An. 1585. *Cal. Sextil. Vixit Annos* 94. *in Principatu vii. Menſ. iv. die xi.*

Poſt obitum Principis Nicolai de Ponte, Patres libertati patriæ ſemper intenti interdixere; nè Senatores pro roſtris declamantes, neminem Civium, *Clariſsimum, Præſtantiſsimum, Illuſtriſsimum* appellarent, ſimiliaque abhorrerent vanitatis vocabula, quæ Libertatem prophanant, & concordiam turbant, *Sanſovin. lib. xi. de Principis dignit.*

Num-

Nummiſma publicum.



In quo ſedens Marcus Evangeliſta vexillum ſuum ſiglis notatum literis *S. M. tradit Principi Nicolao de Ponte*. Angelus de Cœlo veniens, & cornu ſuſtinens ſuper verticem Principis, à Deo datum annuit,& non ab homine *S. M. Venetus. Nicol. de Ponte D.* 1579. legitur in Peripheria; cæteris omiſsis, ne actum agamus, de Duce genua flectente, quæ dedimus in ſuperioribus. Stat in alterà parte S. Ioſeph cum virga florente, ſub epigraphe *S. Ioſ. Virga floruit. Principis munus Anno I. vel II. III.* uſque ad VI. quia die 19. Martii D. Ioſeph Sacrà, eius aſsumptio contigit celebrari.

Duo alia exhibeo nummiſmata ſed privata; quorum primum translationem S. Stephani Protomartyris ad alium locum, in Eccleſià S. Georgii, teſtatur factam Anno 1581. Secundum ad memoriam revocat erectionem Baſilicæ S. Crucis cum Monialium cęnobio, Ann. 1583. cuius in fundamentis nummiſma repoſitum, cuius in fronte Dux flexis genibus Crucem dexterà ſtringit. In adversà S. Marcus Leoni aſsidet allato ſub epigraphe *Fundamenta iacta Cal. Iunii* 1583. Primumque lapidem cum nummiſmate Dux ipſe repoſuit.

Sub eodem Principe templum abſolutum Redemptori ſacrum nummiſma teſtatur Anno percuſsum 1583. cuius in fronte Templum ſub epigraphe, *Redemptori votum* 1576. Ex adverſo, Magi ſtellà ducti infantem Chriſtum adorant cum muneribus.

PASCALIS CICONIA
DUX LXXXVIII.

Electus Ann. 1585. obiit die 5. April. 1595. ætatis suæ 85. Principatus sui ix. Mens. vii. die xv.

EPIGRAPHES ANTIQVA.

Bello undique fervescente pacem servavi, & ex sublicio Rivoalti Pontem complevi. Carcerum Fortia, Procerumque tecta ampliavi. Palationes Vrbis, & Palmæ fundamenta ieci.



PRinceps adest, qui naturâ & sine lege justitiam observat, Paschalis Ciconia. Hunc adora; quia à patria enutritus, usque ad senium ei cultum rependet, non legis imperio, sed bonitate naturæ. Dies, Mensis, Locus, quibus Princeps est renuntiatus, Ducem prælusere Sanctissimum: Die namque Dominico Mensis Augusti, dum oraret in Templo ex D. Marci Procuratore ad sceptra vocatus: mentem referunt Augustam, dominium diuturnum, & religiosum etiam in prophanis imperium. Annos emensus duodecim in tyrocinio Principatus, Patavio præfuit, & pharmaco orationis, urbem

bem sanavit in pestilentiâ. Cretam summo cum imperio Legatus non solùm adversùs natantes Barbarorum sylvas, qui cum ducentis triremibus, expugnatâ Cypro, Iovis patriæ imminebant, elusit: sed Deum ipsum in Eucharistico pane velut alter Simeon excepit in ulnâ suâ; cum è manibus Sacerdotis Hostia elapsa Sacratissima, ad solum Ciconiam declinavit, testatum volens: nè unum Ciconiam perderet, servasse omnes. Sic alter David, postquàm bello, Cretæ, Patavio in pestilentia, Princeps Patriæ, in fame præsto fuit. Nutrivit eodem tempore serpente Ciconia pullos, perditis vel clausis facinorosis hominibus, ad quorum carceres marmorea excitavit claustra, ut in eis humanitatem edíscerent, quam didicerant: vel si feritatem, quam assumpserant, non exuerent, in illo Amphiteatro velut bestiæ jacerent. Mare etiam conclusit, undasque Rivalti, arcuato Monte vel ponte catenavit, ut tacito murmure Vndæ plauderent Reginæ Maris. Tantum spectaculum Neptunus ipse perfossis Tridente rupibus non excitasset. Hostem tandem prohibere volens externum, gemino propugnaculo, altero in Foro Iulio, clausit Italiæ fauces, eique *Palmæ* nomen imposuit, & signo Crucis munivit. Cephalenem altero insulam armavit, ut valvas undique clauderet. Sic diebus plenus, & gloria, Anno Imperii decimo, ad Iesuitarum templum, Cornu posuit, ubi receperat.

Andræas Maurocænus Doglion. Vianolus, Io: Bapt. Contar. Sansovinus, Sabellicus, Petrus Marcellus, Petrus Iustinianus.

EPITAPHIVM.

Paschalis Ciconiæ Venetiarum Principis
Memoriæ sempiternæ

Qui post Remp. domi, foris è dignitate sæpius administratam, post Cretensem Insulam, cui per decennium summo cum Imperio præfuit, in Navali ad Echinadas prælio incolumen reservatam, qua causa Cydones illi Statuam in foro E.C. patriæ suæ tandem Princeps mira omnium consensione creatus, eam pariter per decennium tanta assiduitate, & diligentia gubernavit, ut de eius commodis, atque utilitatibus non primo finem fecerit, quam animam efflæverit, & ad Superos, cum diù æternitati suæ interfuisset, non sine opinione sanctitatis evolavit.

Obiit Die 11. *Aprilis M.D.XCV.*
Ætatis suæ Anno LXXXV. Mens. X. Dies XXV.
Principatus vero sui IX. Mens. VII. Dies xv.
Paschalis Ciconia ex fratre Nepos mæstissimus
P. C.

Num-

Nummismata Publica.

Per Annos decem, nummismata decẽ percussit ejusdem formæ, sub eodem Symbolo, Annorum solumodo mutato numero. In fronte vexillum Reipublicæ Ciconia accipit ab Evangelista. De Cœlo Angelus cornu sustinet perpendiculare capiti Principis; ope annuens divinà sustineri diademata Regum. Inscriptio legitur. *S.M.Venet. Pasc. Ciconia D.* 1590. In adverso Crux Redemptoris geminis latronum associata crucibus, sub epigraphe, *Hinc salus & Resurrectio Ann. I.* & sic usquead X. inclusivè.

Aliud nummisma in fundamentis positum *Palmæ*, in quo Leo allatus cum gladio in sinistrà, non in dexterà, ad pacem manutenendam destinatà, & armis alienà. Tenet sub gladio crucem ad cujus tutelam semper vota dirigit.

Leo Mare calcat, in quo semper victor Ecclesiam propugnavit Romanam. Huius in peripherià legitur: *Paschale Ciconia Duce Venetiarum &c. An. Dom.* 1595. In adverso exponitur propugnaculum *Palmæ* ita appellatum à loco ubi situm. Fulget in medio Crux sub epigraphe *In hoc signo tuta.* In peripherià verò: *Fori Iulii, Italiæ, & Christ. Fidei propugnaculum.*

Tertium offero nummisma, sed privatum; de restitutione Ecclesiæ Castellanæ, sub Duce Ciconia. Ann. 1594. Quartum recurrit nummisma, quod cum manum effugerit, sculptum non exhibemus. Inspicitur in eo octavum miraculum orbis, Pons scilicet Rivialti (cujus in extructione nunc quingenta millia ducatorum non sufficerent) Ann. 1591. absolutum insignibus exornarunt Ciconiæ Ducis, sub epigraphe. *Paschale Ciconia Venetiarum Duce. Anno Christi* 1591. *Vrbis Conditæ* 1570. Curantibus Aloysio Georgio Procuratore, M. Antonio Barbaro Equite, & Procuratore, & Iacobo Fuscareno Equite, & Procuratore.



MA-

MARINVS GRIMANVS

DVX LXXXIX.

Sexto Kal. Maii die Mercurii 1595. hora xiv. Electus: ut ex ſepulchrali inſcriptione in Eccleſia Monialium S. Ioſeph.

Principatus virtute parti memoria ſempiterna
M. D. XCV. VI. Kal. Maii. Ætatis LXII.
Obiit die 26. Decemb. An. 1605.

SCHEMA VETVS.

Vir frugi priſcum ævum renovavi: plauſus communis Regum etiam Barbarorum gratulatio teſtis fuit. Piratas exegi: excepi Principes. Floruit Reſpublica aureâ Roſâ miſsâ coniugi à Clemente VIII. Pontifice.

LXXXIX

















Vod luctus occupet extrema gaudia, à Grimano diſce Principe. Venalicum referrent certamina campo Iacobus Fuſcarenus, Marinus Grimanus, Leonardus Donatus Equites & D. Marci Procuratores: ætate reliquos anteibat Fuſcarenus gemino Maris imperio clarus. Grimanum commendabat vitæ innocentia, dicendi libertas, non fucata eloquentia, Magiſtratus foris domique præclariſsimè geſti. In Donato morum integritas, ſeveritas priſca, Reipublicæ mira peritia uſu rerum comparata ſenili, in

li, in Magiſtratibus, & Legationibus. Virtuti etiam adulabatur Fortuna pluribus ſanè calculis, ſed ad electionem minimè integris. In hoc campo, ex ambientium præſtantia diſtracti ſuffragatores ad diem decimum ſeptimum, more inſolito protraxere Conclave: donec à Sapientibus ſcripto excitati in Grimano convenère, eo civitatis gaudio, ut furere & inſanire populus ſedilium publicorum incendio. Vrbis lætitiæ lætiſsimo Princeps reſpondit imperio, Annonà Iuſtitia, Pace, quas ſolas optare viſa eſt Natura. In ſolos Vſcoccos mari prædabundos coactus immittere claſsem ſub Benedicto Mauro, unico prælio Mare purgavit, liberumque reſtituit. Gravior inde in Fluminalabor, ut ad litora refluerent pompa minori, nec ſalum in ſolum verterent. Fractis propterea eorum cervicibus, Aquam diviſit ab Aquis, legemque poſuit, nè tranſirent terminos ſuos. Graviſsimum tandem ab arce Romanà fulmen. Imminutæ Pontificiæ auctoritatis ſuſpicio Paulum V. Burgheſium in Venetos concitaverat. Irritum repoſcenti quidquid in Eccleſiaſticos viros, eorumque bona decretum eſset; Reſpublica Majorum objiciebat ſtatuta tempore & uſu firmata; ne ſubditorum delicta impunita riderent, & patrimonia civium diſtraherentur. His Pontifex replicavit anathemate, quod Sacra naſcentis Servatoris nocte dum Hora VII. Senatores ut divino intereſsent ſacrificio in aulam convenerant, eodemque tempore Grimanus Princeps morbo conflictatus agebat animam, Legatus Romanus Horatius Matthæius, detonuit horribili voce, quæ cum ad aures decumbentis intonuit, oppreſsit; nocte ſequenti Princeps expiravit Exuvias ſaxum excepit in Fano D. Ioſeph.

Andræas Maurocænus, Petrus Iuſtinianus, Marcellus, Sabellicus, Sanſovinus, Doglionus.

Sub hoc Principe cum Rhætis fœdus percuſsum Anno 1603. ut ex ſuperiori nummiſmate, cujus in fronte Leo allatus cum gladio evaginato ſuper Crucem, in cujus honorem arma tractat. Ex adverſo Inſignia exhibet trium Cantonum.

Nummiſma publicum.

Marini Grimani V.P. in quo Salvator Chriſtus benedictionem argitur Principi in genibus flexo, verſiculum recitanti Davidicum *Benedic anima mea Domino. Marin Griman. D. An. I.* Eodem tempore Ieſus vexillum porrigit D. Marci, Duci humiliter recipienti. Ex adverſo Leo allatus, & diademate coronatus in pedes erectus, dexterà

terà Crucem ſuſtinet ſub epigraphe *Sydera Cordis. An.* 1595. & ut vota exprimeret Reipublicæ, & familiæ, quæ in ſtemmate Crucem gerit aſsumptam in expeditione Hieroſolymitanà adverſus Turcas.

Monetam ibidem habes uſualem.

EPITAPHIVM.

D. O. M.
Marino Grimano Principi
Opt. Fœliciſs. Præturis Præfecturis Legationibus
Summis quibuſque in Rep. Muneribus egregiè perfuncto
Qui
Annonam adlevavit, Ærarium auctavit, Vrbem exornavit
Ab ipſaque noxia avertit Flumina.
Palmam Oppidum extruxit
Ad Christiani Orbis ſecuritatem.
Motam Galliam Ciſalpinam compreſsit.
Salutare Reip: fœdus opportunè iecit.
Pacem Italiæ ſuaviſsimam confirmavit
Protulit Pius, Prudens
Obiit Ann. M D V.
Vixit Ann. LXXIII. Menſ. VI. Dies XXV.
Ex his X. Imperabundus.

Coniugem habuit Maurocænam Maurocænam, quam publicè coronatam Roſà donavit Aureà Clemens VIII. P. R. ut ex epigraphe ſepulchrali in eadem Eccleſia S. Ioſeph.

Diadematis impoſiti Hilaritas publica:
M. D. XCVII. 4. Non. Maii. Ætatis LII.

Nummiſma Argenteum, & Aureum.

In fronte Imago ejuſdem Maurocenæ cornu ornatæ Ducali, cingulo præcinctæ cujus in medio *Crux*, ſub epigraphe *Maurocæna Maurocænæ*. A tergo Corona laurea, cujus in medio legitur *Munus, Maurocena Grimana* Duciſsæ Venetiarum. Ann. 1597. cum duabus Roſis aureis, quibus à Rom. Pontifice donata fuit.

LEO-

LEONARDVS DONATVS
DVX XC.

Creatus 1605. x. Ianuarii. Obiit 17. Iulii 1612. Principatus Anno 6. Mense 6.

EPIGRAPHES PRISCA.

Vtramque expertus Fortunam, integram Principis faciem præbui, non minus adversis, quàm prosperis clarus. Omina infelicia vana effeci providentia: potentissimas classes unà solà obiectà navi deterui.



VEnetiis nascitur Leonardus Donatus ex patre Io: Baptista, Ann. 1536. Idibus Februarii. Bononiæ, Patavii, studiis incubuit, & pro capescendà Republicà, Historicis omnibus evolutis Latinis & Græcis, Meditationi volens rerum usum adiungere, totam peragravit Europam; quibus instructus, Annum agens 25. Ordinum inter cooptatus Sapientes sententiam suam non semel Senatui exposuit oratione senili, rationumque pondere gravi, inde exordiens, ubi alii finem imponunt. Arcana rimatus terrestria, maritima, eisque in commentaria collectis, quasi in caput tanti cor-

poris seipsum efformaret, Aedilis creatus (Provisor iste Communis qui cum suffragio Senatum ingreditur) cum in eo munere operam daret, ad Philippum II. Hispaniarum Regem Legatus tempore sane difficillimo, quo Selymus Turcarum Imperator Cypri Regni cupidus, Venetis bellum indixerat, adornatà oratione fœdus promovit, quod postea Romæ juratum inter Pontificem, Venetos, & Hispanos, cuius fructus victoria, ad Echinadas parta Anno 1571. quæ in Turcas Christianam servavit Rempublicam, qui captà Cypro Orbem mente vorabant universum. Restitutus in Patriam, Præconsultorum continentis numero exceptus, unà cum Io: Maurocæno Card. S.R.E. futuro, ex S.C. apparatui præfuit, quem in honorem Henrici III. Gallorum Regis Venetias advenientis, magnificentissimè instruxit Respublica. Annum supergressus vix 40. inter Consilii Sapientes exceptus (dignitas quæ senibus & sanioribus tribui solet) Legatus abiit extraordinarius ad Rudolphum Romanorum Regem, quo Venetis reconciliato, lascivire desiit Mehemetis ferocia. In patriam restitutus, cum ad placandam Nemesim supernam, lue sæviente, Mocenicus Princeps Redemptori vovisset Basilicam, nec de loco convenirent Patres; Donati prævaluit sententia, ut in eà Vrbis parte, quam Iudecam vocamus, excitaretur sub Cappucinorum custodià. Ad septem subsequenter missus Pontifices, cum Greg. XIII. jura retinuit Patriarchatus Aquileiensis, donec eius obitu controversia decubuit. Sixtum V. irarum plenum adversùs Senatum, quia Henricum IV. Navaræ Regem, ab eodem Sixto extra Ecclesiam positum, primus omnium Regum, propter obitum Henrici III. Regem Galliæ salutasset, reconciliavit; eoque impellente Papa Evangelium promovens, non imperium, Massilienses se ultrò dedentes reiecit, Henricum expectans ad pœnitentiam; qui postea fidem professus Romanam, servandam posteris transmisit incorruptam. Ab hoc Pontifice Infulam oblatam Brixiensem, & in proximà promotione purpuram, respondit cum Evangelio: *Manete in vocatione quà vocati estis*. Eum Vrbanus VII. Gregorius XIV. Innocentius IX. Clemens VIII. non tam gratulationis causà, quàm arcana ferentem Christianæ Reipublicæ audierunt cum voluptate, sustinuerunt cum patientià, & usque ad censuram oranti aures præbuere gratissimi. Clemens VIII. Reipublicæ subiratus ob Sciaram exterorum Principem, & Romanæ inimicum Ecclesiæ, inter Centuriones receptum Reipublicæ, auditâ excusatione à Donato propositâ mitigatus, ne absque causa apparèret iratus Oratorem dimisit vindictam poscens, quam non exigere jam decreverat. Bacchantibus interim in Pannonià Turcis, Veneti qui eo fines

possident

poſsident latiſsimos: in Carnis, per quos olim ingreſsi Barbari penitiora vaſtarunt Italiæ: Donatus cenſuit, ut quamprimò propugnaculum erigeretur, ad cuius deligendum locum opportunum, cum aliis miſsus, in Foro Iulio Palmam erigi curavit, quæ inter præcipuas Europæ arces recenſetur, Fidei propugnaculum, & Libertatis. In hoc æſtu, extincto Amurathe, deſignatus Donatus qui pacem inſtauraret cum illius ſucceſsore Mehemete II. mori etiã contigit Principem Paſchalem Ciconiam, faſtigium prænſantibus Iacobo Foſcareno Illyrici legatione, gemino claſsis imperio, ac Ducææ Cretenſis claro, nec non Marino Grimano. His Donatus acceſsit, tantis legationibus ultra Brixienſem Præturam meritus; ut difficulter agnoſceres, in quem ſummus honor incumberet. Diviſis propterea ſuffragiis cum protraheretur electio, opus fuit publico decreto Electores monère; darent Principem. In hac ſinuosà Comitiorum ſorte, licet major ſuffragiorum pars Donato obtigiſset, quæ uti alios à culmine adipiſcendo avertebat, ita ad illud conſequendum ſibi minimè ſufficiebat, ad ſuos converſus gratias egit de eorum benevolentià, quæ nè Reipublicæ officeret, Principem pro ſuo eligerent arbitratu, rogavit. Quibus dictis, non ſemel in ſuffragia itum: Grimanoque tandem dignitate collata; Donatus Byzantium abiit, ubi fœliciter confirmatà pace, per id tempora rediit, quibus, Henricus IV. armatus irruens in Carolum Emanuelem Allobrogum Ducem, Salaſsios repoſcebat. Allobrogum ex adverſo propugnante Hiſpano cum 30. peditum, ac quatuor equitum millibus, cuius tutelæ ſpecie cum pacem Italiæ turbaturus dubitaretur Hiſpanus; oppida communire decrevit Reſpublica, legato cum ſupremà facultate Donato, qui continenti præeſset. Munitis itaque oppidis, centuriato milite, validam tutelam adversùs irruentes diſpoſuit eà tamen ſumptuum moderatione, ut magnam auri partem in reſtaurandis propugnaculis acceptam, errario reſtituerit quemadmodum & in Byzantina legatione contigit, in quà Barbarorum ſitim auctoritate, & maieſtate magis explevit, quàm auro. In hac noviſsimà legatione, laborum aſsiduitate ſupra vires fatigatus, miſsionem à Senatu impetravit, ex eoque tempore domi, orando, conſulendo, tantà animi contentione incubuit, ut ipſa ſenectus, quæ vocem, vires mentis & corporis rapere ſolet, nec frangeret, nec debilitaret. Mortuo tandem Clemente VIII. ob novas difficultates exortas inter Venetos, & Paulum V. ad hunc Legatus, priuſquàm itineri ſe comitteret; Dux moritur Grimanus, eique urbe acclamante universà, Donatus ſubſtituitur 4. Idus Ianuarii, poſtera die inauguratus, dum ſuperſtitioſo diſcordiæ omine pueri in ingreſsu palarii,

globulis niveis, postea saxis certando, vexillum perfregerunt Reipublicæ. Nec longè reseratis literis Pauli V. (Pontificatum iste suum ab Interdicto auspicatus fuerat in Venetos) quas in obitu Grimani Principis legere renuerant, imò Collegio abstinuerant, ne ansa daretur Mathæio Nuntio Apostolico, Vni & Quadraginta Virali Concilio, juxta mandatum, denuntiandi, ut tanquàm Interdicti ab electione novi Principis abstinerent. Literarũ summa erat, ut sub pœnà anathematis ipso jure infligendi, latas leges revocarent, Clericos carceri datos Romam remitterent intra 24. dies, quibus elapsis, Venetos excommunicatos pronuntiabat; tribus aliis transactis, Imperium omne Venetum Interdicto subjiciebat Ecclesiastico. Sententiam hanc prælo excudi Pontifex jusserat. Quo cognito Senatus, ne acciperentur, prohibuit, iussis Ecclesiarum Prælatis sub pœnà capitis in Religionis cultu nihil innovare: Iesu tantùm sodalitii homines visi aliquantisper nutare. Qua postea ratione, Pontificio obsistendũ foret edicto; cum diversæ opiniones recurrerẽt; Principi placuit, *sola Obtestatione fulmen declinare*, datis literis nomine Leonardi Donati Principis ad subditos, quibus eos certiores faciebat, *mentem esse Reipublicæ, in avità Religione persistere Catholicà & Apostolicà, ac consuetum in Romanos Pontifices studium, obsequium, Maiorum exemplo exhibere. D. O. M. exorarent, ut Pontificis flectat animum, & ad æquitatem cognoscendam permoveat.* Dum hæc fiunt, Ascendentis Servatoris recurrit solemnitas, restituti Alexandri III. Reipublicæ gladio, memorià celebris. Bucentaurum conscendit Princeps cum Senatu, latera stipantibus Oratoribus Regum, ipsomet Horatio Matthæio Pauli Nuntio, qui verecundià perfusus, cœpit pauca profari. *Concordiæ adhuc locum esse, si aliquid remitteretur.* Cuius verba in Senatu recitata, responso excepta sequenti. *Ingentem ex Pontificis insueta agendi formà molestiam percepisse Rempublicam; indignè cum eà actum esse: cæterum si anathema sustulerit Papa, de rebus agere non recusaturum Senatum.* Adiecit Donatus Princeps, *neque minis, neque anathemate cum Principibus agendum, periculorum impendentium culpa immunem fore Rempublicam: iam in vetera illius instituta, leges, fundamenta impetum factum, deisque profligandis tentatum.* In hoc error versatur, Matthæius respondit. Temporalem Iurisdictionem Reipublicæ eripere non cogitat Paulus: leges tantùm adversùs Ecclesiasticam Immunitatem conditæ, ut tollantur, postulat. Adiecit Donatus. *Iam se ætatem in maximarum rerum negotiis excepisse pertractandis, multa Romæ difficillimis temporibus cum Summis Pontificibus pertractasse: neminem anathematis fulmen nè in minores quidem Principes vel intorsisse, vel arripuisse.* Cum Matthæius. *Christi tandem Vicario obtemperandum esse.* Illico Princeps. *Libenter obtemperabimus, si ea quæ Christus iussit, præcipiet.* Postridie postulato

discessu

discessu Matthæius Romam abiit. Princeps typis excusam obtestationem insignioribus Vrbis locis affigi mandavit: datis literis ad omnes Imperii urbes, quibus quæ inter Rempublicam, & Pontificem contigerant, significavit; ad eorum bona, vitam, existimationem tuendam, vires, opes congregare Rempublicam, in Deo sperarent. Hæc à singulis oppidorum Magistratibus in publicis civium cœtibus perlecta, mirum! quàm cunctorum animos inflammaverint, omnes certatim opes, fortunas offerre. Legati, qui ab universo Venetorū imperio Principatum Donato gratulaturi accedebant in Vrbem, gratulationibus oblationem miscentes, vitā, fortunas Reipublicæ devovebant. Nec minor in Ecclesiasticis viris obsequens animus inspiciebatur. Soli Theatini, Capuccini, & horum Antesignani Iesuitæ, qui Brixiæ se motus excitaturos Paulo promiserant, cum turbas invexere non permitterentur, urbe excesserunt viri alioquin prudentes, qui nunquàm imprudentiùs peccaverunt. Propterea à Patribus castigati, lege latà, *nè ampliùs reciperentur*. Pace itaque desperatà, cum omnia in bellum erumperent; insidiis Duce ipso appetito, cujus consilio cuncta dirigebantur, Cardinalis Ioieusa ab Henrico IV. Gallorum Rege Venetias missus, ut pacem omni meliori modo restitueret, Hispanis ipsis non dissentientibus, qui in speciem, causam Pauli suam fecisse fingebant, post varias concertationes tandem conventum, *Vt Religiosi, qui vinculis detinebantur, in gratiam Regis, Pontifici traderentur. Papa Interdictum revocaret. Legatum Veneti Romam mitterent, qui de amotis censuris, deque vià ad amicè tractandum patefactà, Pontifici gratias ageret. Quicumque in hisce contentionibus Rempublicam scripto defenderint, nil detrimenti patiantur.* Sic omnia in pristinū restituta exceptis Ignatianis, quos remittere, intercedentibus Hispanis & Gallis, Senatus apertè negavit.

Pace restituta, in piratas Princeps arma direxit, Legato Io: Bembo qui ab Vscocchis prædas reposceret & vindictā. Ipse autē quasi per otium, postquàm publicis vacasset negotiis, & quietis causà se in Musæum recepisset, animi correptus deliquio, ad Superos transiit sedendo. Princeps qui in administrandà Republicà ut parem non habuit; ita in professione Religionis Catholicæ, Sacerdoti propior quā Principi, exomologesi semper paratus sanctè mori, abiit Deo & Patriæ totus intentus. Religionem, pietatē Optimi Principis Tabulæ testētur novissimæ pro hęredis institutione ab eo facta

In nome dell'Onnipotente Dio Padre, Figliuolo, e Spirito Santo, Trinità individua, il cui altissimo nome humilmente invoco, acciòche si degni di assistermi nella ordinatione di quanto scriverò quì sotto essere la mia ultima volontà. Nell' Anno della nostra Salute 1612. *Adi* 18. *Maggio in Venetia, nel Palazzo publico della nostra residenzia Ducale, dell'età nostra septuagesimo septimo entrante, &*

della presente nostra dignità Ducale di Principe di Venetia, septimo entrante.

Concede mihi Clementissime Domine mortis horam, quæ sit animæ meæ salutaris, ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me purissima Virgo, Beatissima Mater, & Sancti Dei omnes intercedere dignemini pro meà omniumque salute.

Laudatum in funere à . . . . . . Mausoleum excepit in Ecclesià S.Georgii Maioris, cum sequenti epitaphio.

Leonardi Donato Venetiarum Principis Ossa eius iussu hic condita sunt. Qui totius suæ vitæ cursu summa semper integritate, continuisque laboribus transactæ nihil carius unquam habuit, quàm patriæ libertatem, Reiq. Publicæ decorem, & commodum.

Vixit annos 76. Mens. 5. obiit anno Domini M DC XII. Sui Ducalis Regiminis Anno 6. Mense 6.

Andræas Maurocænus non solùm in historià, sed in vità eiusdem Leon. Donati ab eo exaratà. Doglion. Vianolus, Io: Bapt. Contar. Sansovinus, Sabellicus, Petrus Marcellus, Petrus Iustinianus.

Nummisma publicum.





Cuius in fronte Princeps vexillum recipit ab Evangelistà, more solito. *S. M. V. Leonard Donato Dux. P. C.* nomen Præfecti officinæ monetariæ. In adverso Idem Marcus Evangelista gladium exhibet Reginæ Maris Venetiæ, lancem tenenti æquilibratam sub epigraphe, *Rectum iudicium diligam An. vi.* usque enim ad Annum sextum, idem repetivit nummisma, numquàm mutato symbolo, quod huic Principi una esset præ cunctis Iustitia.

Monetas ibidem habes usuales pag. 241.

M. ANTONIVS MEMMVS

DVX XCI.

Creatus x. Cal. Aug. 1612. obiit 31. Ianuarii 1615. cum sedisset An. 2. Mens. 6. dies 9.

PRÆCONIVM VETVSTVM.

Domi iustus, foris ferox Piratas exegi, bella externa sustuli. Pacatà Italià, Aquilas terrui Leo, mox Columba reduxi. Servavi, & propagavi Imperium.







PAri merito aspirantibus ad diadema M. Antonio Memo, Antonio Priolo, Io: Bembo, Io: Mocenico D. M. Procuratoribus, in eo suffragiorum æstu ad Memum Fortuna declinavit, cogente forsan Natura, quæ Memum supra cæteros erexerat ab humero & sursum. D. Iacobi luce inauguratur cum Anuum explevisset septuagesimum eà morum humanitate, & corporis maiestate, ut veluti Princeps coleretur antequàm esset. Armavit illicò in Vscoccos, qui pyraticà rabie Venetos contra Ferdinandum Archiducem Austriæ concitaverant gravissimorum scelerum minimè vindicem. Georgio Danicicchio Duce,

Hieronymum Marcellum pro Maris libertate excubantem inopinatà perfidià ad Bescham, vinculis strinxerant. Antonium Georgium promissà deditione deceptum, Seniam in nationis ludibrium traduxerant. Christophorum Venerium in Mandra Pagi insulæ portu cum trireme agentem furtim interceptum occiderant; occisi sanguinem circumlatum ex pateris biberant, cor coxerant, devoraverant. Non propterea Senatus humanitatem exuerat, belluas, grassantes leniebat officio, provocabat gratiis, ut ad pœnitentiam excitaret. At cum omnia incassum; militem conscribi mandavit. Turbas interim augebat Emanuel Sabaudus ob principatum Montisferrati, quem vacantem asserebat ex morte Francisci Mantuani Ducis: arma tamen ponere coactus, tutelam gerentibus Venetis & Hispanis Gonzagæ Domus. Inter tot Belli faces Princeps extinguitur, marmoreo exceptus monumento ad ædem D. Georgii.

EPITAPHIVM.

Marco Antonio Memo in regendis populis singulari summa urbis, & Orbis lætitia ad Ducatum Venetiarum evecto, Petrus, & Marcus Antonius ex Tribuno Memo pronepotes, & hæredes Patruo digno fieri curarunt.

Vixit Annos LXXIV. in Ducatu III. Menses III. dies VI.

Obiit XXVIII. Octob. M. DC. XV.

Andreas Mauroceanus, Petrus Iustinianus, Marcellus, Sabellicus, Sansovinus, Doglionus.



IO. BEMBVS

DVX XCII.

Menſe Novembrio Anni 1615. electus, obiit 1618. die 19. Martii.

ELOGIVM PVBLICVM.

Sero perveni ad regimen, Togatus onuſtus honeſtatum inſignibus, paludatus poſtea Terrà, Marique bellavi Pacis communis causà, laurus & palmas meſſui, abegi cupreſſos. Pax floruit.









Oannes Bembus Auguſtini filius & ..... filiæ Alberti Baſsi Nobilis popularis, cuius hęres poſseſsionem ſubiit Palatii ampliſsimi ad ripam Blaſii, cum gazà prædivite, quà antiquæ familiæ ſplendorem reſtituit. Tyrocinia Martis edoctus Ducibus Antonio Canali, & Sebaſtiano Venerio; Trierarcha Venetum vindicavit pudorem, raptam à Turcarum claſse triremem per glandium tempeſtatem remuleans. Ad Echinadas inſulas illius victoriæ particeps, quam ipſi Superi, Septima Octob. annuatim celebrant: Vſcoccorum etiam ſanguine, juſtà Nemeſi paluda-

ludamentum purpuravit: In Romano dissidio, gladio accinctus sed absque cruore, leges servavit patrias Sedi Romanæ diversas, sed non adversas. Ex D. Marci Procuratore Princeps assumptus clangore bellico, & classico strepitu contra piratas (qui aulico favore procaces animum attollebant, & criminationibus nostris inconcussi debacchabantur) in Archiducales urbes, ubi non pauci Dynastæ prędonibus patrocinabantur, signa decrevit, Gradiscam Styriæ oppidum, admotis castris circumsedit; dumq; ibi, tesselatà fortunà dimicatur: novum bellū Petrus Toletanus Mediolani Gubernator, & Petrus Dux Osunæ Prorex Neapolis ambo nomine, & odio pares in Venetos excitarunt; ut undique distracta Resp. injuriam propulsare prohiberetur. Favit, fovit Fortuna, Æquor, Ventus piraticam potiùs, quàm bellum Hispanorum, occupatis per eos pluribus onerariis, ex Syrià redeuntibus. Deditionem meditabatur ex adverso Gradisca, cum à magnis concordiæ arbitris Ludovico XIII Gallorum Rege, & Carolo Allobrogum Duce pacem obtinuit: quà contentus Bembus, ut eà frueretur fœlicius, ad Cœlos emigravit Anno Principatus secundo, Mense tertio, DD. Io: & Pauli exceptus contubernio.

Vianolus, Io: Baptista Contarenus, M. S. in Bibliothecà Cornelia Piscopia, cui titulus Corona della Nobiltà. Opus Zilioli.

N V M M I S M A.

Publicum geminum, cuius in fronte *S. Marcus Ven.* sub epigraphe *S. M. V. Ioannes Bembus.*



NICOLAVS DONATVS

DVX XCIII.

Electus Mense Aprili 1618. præfuit dies 40.

SCHEMA VETVS.

E Senatore Dux. Ortum bellum ex male sana pace suscepi, & sustinui: vim & insidias compressi, repuli, vitavi constans, cautusque quadraginta diebus, quibus solis præfui, Rempublicam servavi auxi, ornavi.



MAppa Geographica grandem inspice plagam lector, quadraginta scilicet dierū curriculo Fastos æternos Nicolai Donati. Civis numeros omnes in Magistratibus cum absolvisset, publicâ utilitate contentus, Throno vacante, etiam cum Procuratoribus D. Marci in arenam descendit & vicit, titulo meriti, non dignitatis. A Pace, Principatus exordia, quam cum Austriacis initam Populo significavit. Insidias inde Osunæ ProRegis, & Alphonsi Quevæ Hispani Oratoris, uno momento detexit, percussit; excubantibus ad illius urbis custodiam Divis, quam in medio aquarum Deus posuit Fidei Firmamentū. Insatiabilis Osunæ animus post-

quam

quàm repetitis insidiis, corruptis militibus urbes, classes invadere tentasset, ipsam in urbem perduellium immissâ catervâ (Burgundiones illi ferè omnes & Galli) publica, privataque ædificia rimari mandavit; Insularum, pontium, Canalium situs, structuras, latitudinem, profunditatem diligentissimè observari, super quibus, in secretioribus Quevæ conclavibus, noctu conveniebant apparitores meditantes, quomodo Armamentarium incenderent, Aerrarium subruerent, pontes interscinderent, pyrio pulvere, eadem tẽpore, compita platearum obruerent, ne cives sibi accurrerent auxiliatores. Domos, propterea & ditissimas officinas occultis signaverant characteribus, ut eas expilarent, ditissimos ex optimatibus interficerent, ac Venetam libertatẽ nocte obruerent sempiternà. Nauticum solumodo expectabant apparatum, quem sub imperio Haillot Angli piratæ Ossuna adornaverat in subsidium coniuratis, qui Turrim Marciam ascendebant quotidie, ut eius specularentur adventum. Dum hæc perfidè alto premuntur silentio; vox cælitus emissa Ossunæ classem partim à piratis captam, partim naufragio dispersam, quæ fustim in Adriacum irrepserat, evulgans excitavit Patres triremes in altum ducere; cum quibus duo ex primoribus coniuratis enavigare coacti: reliqui in autumnum opprimendæ civitatis distulère consilia. Interim duo ex eis Gabriel Montecassinus, & Balthassar Iuvènus nobiles Galli, vel Numine impellente, vel sceleris executione diffisi, serie conspirationis detectà; per nota symbola socios in tabernis meritoriis latitantes & domiciliis, Consilio decemvirũ prodidere. Quæstione decretà, laqueo, ferro, Aquà puniti, extincti publicæ libertatis hostes. Deo Servatori, ac vindici gratiis actis, qui sedem Evangelistæ voluit immunem. His solutis, Donatus Princeps illicò in Cœlum abiit, nè triumphum uni Deo debitum usurparet, qui solus excubaverat ad Venetæ libertatis custodiam. Obiit de Animà, ac Republicà æquè sollicitus, vocibus intermixtis hanc & illam commendando, imò cum Regio carmine, *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Corporis exuviæ ad D. Claræ templum Muriani positum, Resurrectionem expectant, sarcophago exceptæ temporario.

Sansovinus, Io: Baptista Contarenus, Andreas Maurocænus, Petrus Marcellus, Doglionus, Vianolus.

EPITAPHIVM PAPYRACEVM.

Hac tumbà
Inclyti ac Sapientissimi Principis ossa Nicolai Donato iacent, dum illi dignior erigatur.

Nummisma nullum percussit cum in Principatu vixerit solumodo dies 40.

A N-

ANTONIVS PRIOLVS
DVX XCIV.

Electus Menſe Maio Ann 1618. obiit die 13. Aug. 1623. cum ſediſſet An. 5. Menſ. 2. dies 29. ætatis ſuæ 75.

EPIGRAPHES ANTIQVA.

Rexi pacificus: Magnificus excepi Leonoram Imperatricem, Vallis Tellinæ tumultus ſedavi, eamque Petri clavibus ſubiectam reddidi.

XCIV


























THronum prænſat Antonius iiſdem artibus, quibus Rempublicam procuravit. Omnium prima Roſtra plauſere Roma-

na,

na,ubi lingua Pontificem exarmaverat, & Petri claves fixerat eloquentiæ clavo. Subalpina missus in castra, ubi maiori animo quàm damno bellum gerebatur inter Ferdinandum Græciensem Archiducem & Venetos, Sabaudum & Insubres; rumorem in Hadriaco augente Ossuna Neapolitano ProRege (Hispanorum namque Germanorumque bella iisdem geruntur auspiciis, submittentibus istis ferrum & sanguinem; illis consilium, & aurum) pugnavit fortiter. In Istriam Legatus juxta quam hostili classe Ossuna mugiebat; hoste fugato, navibus fretum insedit, ut ex Hispaniâ navigantem pluribus allisam syrtibus pacem exciperet, firmavitque Vigliæ, ubi de suà assumptione certior factus, cum olivis & palmis, remeavit, occurrentibus duodecim Patritiis, qui ritu solemni comitarentur in aulam. Per lustrum regnavit, etiam post obitum sine querelà. Eius exuvias sepulcro exornarunt Filii in Ecclesia S. Laurentii, Matthæus Cardinalis S. R. E. Agustinus Episc. Bergomensis, eiusque filia, nurus Ducis Io: Cornelii.

Nummismata publica.

Quinque percussit. Primum An. 1618. cujus in fronte Evangelista Marcus vexillum porrigit Duci in genibus flexo, cornu redimito. *S M. V. Anton. Priol. Dux.* T. B. nomen præfecti officinæ monetariæ. In adversà parte, Archangelus cum lilio in sinistrà salutat Mariam Virginem Matrem. Infra Venetia sedet Regina Maris, Leone latus eius stipante, Cornu sustinens Principis, qui ibidem flexis genibus opem implorat Deiparæ, pro bono regimine, cuius in sacro nativitatis die electus fuerat. In peripheria verò. *Ave semper virgo*, unà cum Angelo insonat Princeps. *Ecce Ancilla tua:* unà cum Virgine matre alia consonat virgo Venetia. *Anno I.*

Secundi nummismatis frons eadem, ampliato Annorum numero 1619. I. R. Præfecti nomen Monetarii. Ex adverso stat Christiana Religio innixa Cruci dexterà Cœlum annuens; quia non humanum inventum, ut Mahumetarum est Superstitio, vel Romana fuit Idolatria. Eius epigraphes. *Meliora supersunt An. II.* quod Fidei virtute meliorem semper sui Principatus speraret fortunam.

Tertii nummismatis frons eadem ampliato Annorum numero 1620. mutatoque Præfecti nomine Monetarii. Ex adverso, triumphat Christus resurgens, & super sydera scandens cum Crucis vexillo; Ad pedes jacet Leo allatus cum libro aperto, pacis symbolo sub epigraphe, *Omnia Deo & Patriæ Ann. III.* quod hæc Principum vota.

Quarti nummismatis idem posticum & frontispicium, quod in primo,

primo, numero Annorum solumodo mutato *1621. Anno IV. C.D.* nomen est Monetarii Præfecti.

In quinto nummismate mutato *Anno 1622. An.V. Z. A.* & Præfecti Monetarii nomine, stant imagines tertii nummismatis, mutata epigraphe, *Si Deus pro nobis, quis contra nos.* Toto namque suo Principatu, nullam passus incursionem hostilem.

Sextum recurrit nummisma, sed privatum instaurationem exhibens Templi Castellani factam An. *1621.* Duce Antonio Priolo, ut in eo legitur: cuius in fronte Petrus Princeps Apostolorum cum clavibus, sub epigraphe, quæ sit instaurationis argumentum *Et turres Hierusalem gemmis ædificabuntur.* Ibidem insignia visuntur Theupuli Patriarchæ Venetiarum.




FRAN-

FRANCISCVS CONTARENVS DVX XCV.

Electus die 8. Septemb. Anno 1623. Obiit die 6. Decemb. Anno 1624.

VETVS ELOGIVM.

Brevis vita ſpei interceſsit magnarum rerum, votæ publica intra expectationem manſerunt, vix fui, quàm deſii.









Randem Animam ne mireris; cujus in educatione convenere concordes Ars & Natura. Ducem exhibeo excelſum, qui univerſam peragravit Europam & Aſiam, ut Magni Principis Idæam colligeret. Romani, Germani, Angli, Turcæ non ſemel Legatum paſsi, audierunt, exaudierunt vel inviti. Bis coram Paulo V. Chriſti Vicario, duobus armato gladiis oravit ferociter; ſed quia pro Lege, & Rege à Clericis nil impetravit. Laudavit Pontifex eloquentiæ ſtylum, ſed quia iſte audire non exaudire decreverat, ſolùm ad pompā Legatum admiſit. Die ortus natali Deiparæ; hæc créditur filio ſuo prænſaſse honores: quod dignitates omnes

nes dignitates etiam cum Principatu eodem fuerit sortitus die. Ad hunc Principem cum venissent gemini Reges; Abissinorum Regis filius, & Sigismundus Moscoviæ, Rex Poloniæ futurus cognoverunt, alibi Principes nasci, Venetiis fieri. Obiit Franciscus dolens & quærens, non quærens Reipublicæ mala, quæ ex Rhetià prævidebat. Anno primo, Mense tertio sui Principatus ad D. Francisci quievit, more Regio. *Lucent enim Principes etiam in tenebris, & umbra Mortis.*

EPITAPHIVM.

Franciscus Contareno Venetiarum Princeps
Priscis moribus, Prisca Virtute, nova facundia
Bonus Civis, gravis Senator, pius pater
Merito prius, quam dignitate Princeps:
Non opinione, aut fortuna, sed suapte virtute
Principatum nactus
Rebus domi, forisque præclarissimè gestis
Decem Legationibus apud maiores Orbis Dynastas
Dignissimè perfunctus
Vel nolens, & invitus tantæ Reipublicæ præsit
Vixit in Principatu An. I. Mens. III.
Obiit An. sal. M. DC. XXIV. die 6. Decemb.

Nummisma Publicum.

Anno I. & II. percussit sed sub eadem epigraphe, Anno tantùm mutato. Eius in fronte Marcus Evangelista vexillum porrigit Contareno Duci. *S. M. Ven. Franc. Contareno Dux.* Ex adverso legitur. Franc. Contareno Principis An. I. *Salutis* 1623 *ab urbe condità.* 1203.



IO. CORNELIVS
DVX XCVI.

Electus die 16. Maii Ann. 1624. obiit die 23. Decemb. Ann. 1629.

EPIGRAPHE ANTIQVA.

Vallem Tellinam meà operà liberam reddidi. Frenavi externorum audaciam Mantuam iuvi armis, pecuniis, commeatu. Reflanti fortunæ restiti, & flatum extremum emisi.



THronum ſcandit Io:Cornelius, de purpurà, vel diademate nulli debitor; cum abſque ambitu per omnes Reipublicæ gradus ad Thronum aſcenderit ſemper invitus. Veronæ fidelis, Bellicoſæ Brixiæ, Docti Patavii moderatus habenas, faſces tandem ſtringit ſed quaſi officii, non Regni, licet ex eà familià, quæ Patriæ terrena contulit Regna; morum innocentià prænſans cœleſtia. Refractariis civibus, & malè parentibus nil maius minari ſciens, quàm ſe ſe abiturum è Regno; ad vulnera venit, ſolùm cum ſurrepentibus vitiis Georgii Fratelli, in tyrannidem verſa eſset Inſula Cretæ, cæſoque Divinà providentià tyranno, libertatem Inſulæ reſtituit, Inſulam

ſulam ſibi. Imperium ſui cum maximum crederet, & ſine Iuſtitiâ Iovem ipſum non poſse in Cœlo conſiſtere, libentiſsi mè annuit Georgium filium ſuum (qui Renerium Zenum unum ex Triumviris Excelſi Conſilii ſecuri percuſserat, quia Venetâ libertate Ducem ipſum increpaſset indulgentem, & quaſi vitiis Georgii patrocinantem) ex albo proſcribi expunctum patritio, memoriâ expoſitâ, quæ licet deleta marmore, in hiſtoriâ perſeverat, citra tamen iniuriam Corneliæ Gentis; cum & Cœlum ſua patiatur phænomena. Obiit Princeps ut vixit, Sapiens, juſtus, pius, plus Patriæ, quàm filii Pater. Mauſoleo excipitur apud Clericos Regulares S. Nicolai de Tolentino quod ei excitavit generoſa propago Franciſcus gener Antonii Prioli Venetiarum Principis & Georgius frater, Equites ambo. M. Antonius Abbas & S. M. Primicerius, ac Frider. S. R. E. Cardinalis.

EPITAPHIVM.

Ioanni Cornelio Venetiarum Duci Inclyto
Iuſtitia, ac pietate conſpicuo
Primæ verè Soloni ſapientiæ, Mecenati ſupremi Adriatici cœtus Apollini,
Qui poſt Veronæ, Brixiæ, Pataviique præfecturas optimè geſtas
Poſt Proc. dignitatem, Altioraque Reip. decora
Tandem meritorum dives, ſolium maieſtatis aſcendit,
Quo per luſtrum, & menſes aliquot feliciter illuſtrato,
Obiit tandem Anno Domini M.DC. XXIV. Ætatis ſuæ LXXv.
ut cornu eius in terris eximium, Cœleſti exaltaretur in gloria,
Mauſolæum hoc,
Quod Franciſcus filius erigere in amoris ſignum decreverat,
Federicus Nepos gratiſsimus adimplevit,
Anno ſalutis M. DC. Lvi.

Nummiſmata publica.

Quinque occurrunt uſque ad Annum quintum incluſivè, quorum omnium in fronte Princeps ſiniſtrâ vexillum tenet ei oblatum ab Evangeliſta Marco; dexterâ pectus tundit, ſub inſcriptione *S.M.ven. Io.Cornel.D. D.B.* In adversâ parte Princeps cornu poſito, flexis genibus Crucem adorat in altari poſitam.

NICOLAVS CONTARENVS
DUX XCVII.

Creatus die ... Ianuarii 1630. Obiit 2. Aprilis 1631.

EPIGRAPHE PRISCA.

Natus ad sublevandam patriam peste, fame, bello afflictam ad defendendam Mantuam armis oppressam: quam si minus obsidione liberare non potui, strenuè iuvi, & captam, direptamque recreavi, & iugo servirutis exemi.



CHaritati, Pesti, Bello superstes, quam saturaverat, quam sanaverat, quo vicerat Nicolaus Contarenus ad Thronum vocatur. Pace partà Foroiulensi, productis ad Tirolum finibus, superatis hostibus, quos ipse ferro, judicio Deus, ignavià illi seipsos confecerant, Intestina Quinquevir designatus dissidia tollere, quæ Decemvirum inundante auctoritate gliscebant; Officium eorum, quos à Secretis appellamus, cum perpetuum esset, ad biennium restrinxit. Decemvirum antiquam facultatem decreta abrogandi Supremi Consilii, quæ conditionibus, vel suffragiorum non adscripta numero, sustulit, delevit. Auctoritatem Decemvirum coercendi Patritios in Criminalibus, confirmandam cum

expo-

expoſuiſſet Comitiis,ob contradictionem Rainer ii Zeni,nutantibus,& in negativam inclinantibus Patribus, ut Excelſi Magiſtratus cenſuræ delicta ſubjicerentur minora, nè deterioris conditionis eſſent patritii,quàm populares, quorum crimina non ſemper inquirebant Decemviri; conſcenſo ſuggeſtu, ad leges provocavit avitas,quibus,*obſequio alternante & Imperio, Patritii, qui hodiè regunt, reguntur in craſtinum, & veluti Aſtra omnes in Cœlo fulgent Reipublicæ vario tamen aſpectu, Lumina quandoque maiora & ſubalterna annuali, vel Lunari abſoluto ecclipſantur regimine. Conſilii Maieſtatem replent oppidò Decemviri, ſed temporanei, non perpetui, & veſtrum quilibet recurrere valet ad gradum. Unde ergo tantus horror iuſtitiæ, & odium? quaſi ſtudeamus impunè peccare, & iudicem tollere, qui nos corrigat & emendet? Legum ſeveritate ſublatà, Iudicis maieſtate remotà, quale libertatis præſidium, quale honeſtatis refugium? Filiis, Filiabus, coniugibus noſtris, ſi rigorem non timeant otioſi, procaces, prodigi, feroces, nec famam templum ſervabit, nec thalamus pudicitiam edocebit. Soli Decemviri, terrore nominis adverſus laſcivientes, dignitatem manutenent familiæ, ipſamque diflant peccandi cogitationem. Pœnas nobis cum minuere conamur, provocamus iniurias. Hæc nobis æqualitas; Iniuriam haud pati, ſed minimè inferre. Abſit à vobis, ut fortiores vinculis coerceantur laxioribus, & pœnas exprobremus duriores, vel ſevera iudicia. Attrociora delicta non meminerunt Legislatores antiqui quaſi non cognita, & inaudita. At noſtri vel leviſſimæ culpæ rigida obiecere flagella, ut his firma ſtaret innocentia Reipublicæ. Fœlix patria, fœliciſſimi populi, admirabile Imperium, cui pro lapide angulari leges, & prò coronà libertas: in quà Optimates exemplo præcurrunt, & potentior ſolùm qui melior. Patres! uti cum Principibus glorià certamus æquali: Imperii ſit tantum nobis, quantum ſatis pro animi moderatione, Libertatis duratione; ut cæteras anteimus Reſpublicas, ita hodie adverſus nos ipſos ſtatuendum Imperium. Aliis imperare etiam Reges non ignorant: Sibi ipſi imperare, Venetæ debet eſſe Reipublicæ; Quæ hodiè in unum congregata, cunctis plaudens ſuffragiis, Deo grates reddat pro imperio, eodemque tempore libertate ſibi collatà, Iuſtitiæ ſeipſam devovendo, & pro optimo populorum regimine, adverſùs Optimates Forum eligendo quod gravius, legem, quæ ſeverior, & pœnam, quæ attrocior.* His dictis, quaſi rubore ſuffuſi Patres, plenis calculis legem firmarunt contra ſeipſos, inter publica monumenta, adſcriptà facti memorià cum nominibus Baptiſtæ Nani, & Nicolai Contareni, qui legem propugnarunt. Ab hac die quaſi de fœlicitate ſecurus, Legati virgam in ſceptrum commutavit. Sed brevi in luctum citharà versà; recluſoque Viennæ, Iani templo, & in unam Mantuam armatà totà Germanià, ferales iterum ſenſit faces Peſtem, Famem, Bellum. Ab Auſtriis intercepta Mantua, Barbarorum ra-

pinis, lascivie, feritate obruta, suo sanguine Austriam demersit pietatem. Imperator Ferdinandus II. parcere voluit, cum non potuit. Ex hac flammà contigui contabuere populi. Lue ad Venetos pervagante, urbs ferè concidit tota, abjissetque in sepulchrum; ni Virgo Mater pensili lychno, quinquaginta auri pondo, dono recepto descendisset auxiliatrix. Templum etiam sospitatrici positum, ad Miraculum sub titulo Mariæ Salutis: juxta quod suis mollibus vilesceret Memphis. Lugubres Metamorphoses cum quatuordecim Menses spectasset in aulà, tædio consumptus ad novum Mariæ fanum, abiit in sepulchrum parentum suorum.

Vianolus, Io: Baptista Contarenus, M. S. in Bibliothecà Cornelia Piscopia, cui titulus Corona della Nobiltà. Opus Zilioli.

Nummisma Privatum.

Quid non mortalia pectora cogit vindictæ libido? Lue sæviente, quæ populorum strage, venenum ubique spirabat; colluvies adfuit malorum hominum, qui ex Italià & Hispanià Mediolani congregati, fulmina Cœlo submiserunt irato. Imparem ad devastandam Europam Mortē credentes & Martē, toxica addidere Thessala, succosque Cantharidis, aquà infectà lustrali, quà urbes spoliarunt, ut in eis hominem non invenires. Venetiis solummodo, virorum absumpta supra sexaginta millia, in urbibus Reipublicæ, supra quingenta millia hominum desiderata. Patent adhuc Mediolani ædificia diruta, ubi hostes conveniebant generis humani. Tanto in discrimine, præsidium sibi in Deo statuens, Templum Princeps vovit Deiparæ sub auspiciis *Salutis*, in Basilicà D. Marci congregatis civibus, ubi ex pulpito, in quo populo ostendi solent electi Duces, Princeps ipse vocibus & lacrymis pœnitentiæ, misericordiam sollicitavit supernam, evocatà in patronam Virgine Matre, cui pro donario lychnum obtulit aureum, qui in æde Lauretanà arderet inextinguibilis: Templum in urbe, cujus primum lapidem, post restitutam salutem, *Die* 21. *Novembris* 1631. Princeps ipse comite Senatu posuit monimentum pietatis, quà nos visitavit Mater Misericordiæ. Concordat.

Num-

Nummisma Publicum.

Cuius in fronte, Princeps vexillum accipit ab Euangelista Marco *S. M. Ven. Nicolaus Contarenus Dux. V. M.* nomen hoc Præfecti Monetarii. In adverso Princeps flexis genibus auxilium implorat Deiparæ sedentis super portam Principem Templi erecti ex voto Senatus, sub auspiciis Virginis Salutis, sub Regia Epigraphe *In tribulatione dilatasti mihi*. In Psalm. 4. pro gratià recepta. *Cum invocarem, exaudivit me Deus iustitiæ meæ: in tribulatione dilatasti mihi.*

EPITAPHIVM.

Habuit commune cum Agnatis defunctis, in eodem Templo, atque communi sepulchro.



FRANCISCVS ERICIVS
DVX XCVIII.

Electus Ann. 1631. obiit tertiò Non. Ianuarii Ann. 1645.

EPIGRAPHE ANTIQVA.

Romanæ Lupæ in Caſtrum irruenti Leonem Venetum cum Parma obieci, & adverſas acies repreſſi communis concordiæ cauſa, donec pax extitit. Rurſum pro Eccleſiâ Romanâ bella pia, & iuſta ſuſcepi, & Lunæ Turcicæ in Creta, Canea occupatâ, creſcenti me oppoſui, obiecturus abdicato Principatu Caput, ni Mors prius me abſtuliſſet. Corde D. Marco in pignus relicto.











FRanciſcus Ericius Legionum Tribunus, Caſtrorum Præfectus, ductor exercitus, nunquàm infauſtus, ubique victor, quod eius conſcientia timeret aurum, non ferrum. Gloriæ avidus non rapinæ, diſciplinam reſtituit in caſtris, pœnas ita amore temperans, ut crimen puniret non hominem. Eques ac D. Marci Procurator ad Ferdinandum II. Legatus Imperatorem, & ad Pontificem Vrbanum VIII. oſtendit Venetam Rempublicam, populorum fœdera ambire, non jura. Bello præpoſitus Mantuano ful-

mina repressit Aquilæ Germanæ, quæ Mantuam irrepsit solùm, cum insidias ab Ericio detectas Mantuanus non timuit. In Castris diadema suscepit; loco, in quo milites coronantur. Primum facinus novi Principatus in piratas, quos ad Apollinis urbem jugulavit. Graviora inde cum Barberinis dissidia, qui ad clavum Martis abutebantur Clavibus Petri. Ob titulum Eminentissimi ab Vrbano VIII. Cardinalibus datum, origo discordiæ: renuente Republicà cum aliis Regibus, à ritu discedere antiquo. Truncata postea Pontificis Alexandri III. vetus inscriptio, & Castri Concameratio Venetos concitavit in iram, Farnesios in furorem; unde Italia tota ferro exarsit, & igne. In hoc bello Vrbanus emisit animam, quam senio confectam reluctantem traxerant ad arma Nepotes parvo decore, nullo fructu. Ita instante Ericio judicavit Innocentius X. P. R. quum illicò post assumptum Triregnum, ad syllabam, memoriã restituit Alexandri III. Sedatis Barberinis; insurrexère Barbari, solà imperii libidine Regnũ poscentes Cretense. Sexto Idus Maii, 1645. Byzantio exiit Turcica Classis octoginta instructa triremibus, navibus rostratis decem, totidemque Anglicis mercede conductis, cum sexaginta armatorum millibus. Accedebant Tunetanæ tres, duæ quinqueremes, una immensæ magnitudinis Sultana, ultra ducenta diversæ formæ navigia: quæ multitudine suà totum operiebant Hellespontum. Tantis viribus Cydoniam, die septimo supra quinquagesimum obsessam proditoriè oppressit. Non propterea vires Respublica abiecit & consilium. Classe auctà, cum pro electione maritimi Imperatoris (qui alter Dictator cum summà potestate imperat) convenissent Suprema Comitia, reseratis arcanis Schedulis, quibus Patres nomina Candidatorum exhibent, ad experienda suffragia, Francisci Ericii Serenissimi nomen publicavit Magnus Cancellarius à pluribus secretò propositum. Suspensa propterea Generalis Maritimi electione; proponentibus Consiliariis, voto & voce plaudente Comitio, requisitus Princeps, armorum imperium assumere, suisque auspiciis Classem dirigere adversùs Turcas, ne communem videretur damnare consensum, ex sede surgens Ducali, hilari fronte respondit. *Cum vitam totam vel in studio, vel in officio insumpserim, ut Rempublicam utiliter promoverem, ultimam etiam senectutis periodum lubens devoveo, ne vel unicà die Populorum saluti subtractà offendam canos meos. Patriam unicè non dilexissem, ni eam obsequio colerem, & obedientià. Si me itaque pro Civium, Populique salute, Fata in castra revocant, ætate etiam reclamante octuagenarià, lubens accurram, virili corde, sanguine meo Superos Reipublicæ conciliabo. Estote fortes, ab hac victima senili discite, quomodo Patriam diligere teneamur.* Sancti Principis votis

plau-

plausere Cives planctu jubilationis: undique eius nomini benedicente populo. Duos ei Consiliarios Senatus adiecit, inter tamen dissonas Præfectorum opiniones solius Principis prævaleret sententia. Centuriato itaque nobili Satellitio, in procinctu erat Princeps, cum vigiliis oppressus, ætati succubuit, dieque decubitus decimo, anxiè jactatus inter gemitus, & suspiria, se diutiùs afflictæ patriæ prodesse non permitti, animam Deo reddidit, in victimam Reipublicæ Corde relicto, quod in cornu Euangelii humari jussit ad aram D. Marci, ubi velut hara custoditur devotionis & Fidei. Exuvias ad D. Martini, marmore claudi, voluit prope armamentarium, quod ipse cum Cœlitibus assumpserat custodiendum.

Andræas Maurocenus, Petrus Iustinianus, Marcellus, Sabellicus, Sansovinus, Doglionus.

EPITAPHIVM.

Dei Gloriæ
Patriæ amori, posteritatis Documento
Franciscus Ericius Venetiarum Dux
Cœlesti ope, Reip. Benignitate
Præcipuis dignitatibus Terra, Mari perfunctus
Decimum summo armorum insignitus imperio
Absens, ad Principatus fastigium evectus
Vivens
Hoc perenne grati animi monumentum
Fieri iussit.

Nummismata publica.

Quindecim percussit licet Annum xv. non compleverit in Principatu. Omnia tamen sub eadem epigraphe, Anno tantùm mutato. In fronte sustinet Leo allatus nomen Franc. Erricio V. D. Munus An. 1. 2. 3. usque ad 15. M. A. M. nomen Præfecti Monetarii, quod annuatim mutatur. A tergo surgit Palma, cui insistit Virgo Deipara cum filio Iesu Redemptore nostro, sub epigraphe *Dedi suavitatem odoris.*

Nummisma Privatum.

Cuius in fronte Marcus Euangelista cum inscriptione, Francis. Ericio die iv. Men. Octob. 1634. quà primus lapis positus pro erectione Templi S. Annæ; unde ex adverso sedet Virgo Deipara, adstante Annà matre, sub epigraphe *Monialium D. Annæ eleemos. à fundam. erectum.* Quod destructa primà æde, nova fuerit erecta Ericio sedente.

FRAN-

FRANCISCVS MOLINVS
DVX XCIX.

Electus die 20. Ianuarii 1645. Obiit 28. Febr. An. 1654

SCHEMA VETVS.

Fluctuatum in Europâ: ego firmus ſteti. Suſtinui Rempublicam, Vlturus Caneam, Terra, marique cum Turca conflixi: ferme victor utrobique evaſi. Pro und Caneâ plurima oppida expugnavi, & captâ Clissâ vicem Turcis repoſui.





























Franciſcus Molinus inter Maris fluctus, & Martis fulmina natus, enutritus, gregarius primò poſtea navarcha ad faſtigium conſcendens, Architalaſsus mare calcavit, Dalmatiæ præſuit, & Claſsis Imperator in Ægeo mari adversùs Thraces detonuit. Cydoniam ſervaſset; ni Fata urbis ad

mortem Martem hunc penè traxiſsent; undè Molini morbo Barbari benè uſi prævalerunt, in Cretà. Ferocem vultum ne paveas: Animam auream claudit organum ferreum ſub dio, ſub turbine, luſtris duodecim incruſtatum. Senio & ſago confectum, dum letho proximum proci crederent, Ioannes Nanius q. Auguſtini, Aloyſius Mocenicus q. Aloyſii, Rainerius Zenus q. Franciſci Mariæ, Marcus Iuſtinianus q. Iuſtiniani, Petrus Sagredus q. Ioannis, Andreas Legius q. Io: omnes D. Marci Procuratores, & Aloyſius Mocenicus q. Thomæ Eques, qui paribus certabant calculis, in eo Principatum deponere decrevere, donec collectis viribus fortiores ipſi brevi recurrerent. Decepti tamen cognovère, dignitatem quandoque ſalutare collyrium eſse morbo, & ſenectuti. Molinus enim convaluit; & Rotà inclinante Fortunæ, Gentilitia ſtetit, illamque fefellit; quæ ſola cecidit. Annos ſupra novem ad clavum ſedit Reipublicę Princeps rigidus, ſed innocens & impollutus. Eius auſpiciis, prudentià, fortitudine deſiit Turcam formidare Reſpublica. In Croatià namque & Dalmatià fortiter propugnatis urbibus, prolatiſque finibus, Cliſsam in ſummo vertice montium, veteranis cuſtoditam militibus, *Sororio* præſide Ibrahimi Turcarum Regis nepote, quintodecimo ab oppugnatione die arcem expugnavit inexpugnabilem. Victoriam celebrem cumularunt Novegradus, Huriſsa, Tinus, Nadinus, Saſsus, Vrana, àrx alta Salonæ, quibus jactura reparata Cydonis. Vltra ne peteret, morte impetitus, apud Auguſtinianos, in æde quievit Proto Martyris, octuagenarius, juſtis receptis in Gemellorum templo, more vetuſto; perorante Iacobo de Amore Clerico Regulari, An. Principatus ix. Menſe i. die viii.

Sanſovinus, Io: Baptiſta Contarenus, Andreas Maurocenus, Petrus Marcellus, Doglionus, Vianolus.

Nummiſmata Publica.

Novem occurrunt, quorum frons & epigraphe ſemper eadem cum Marco Euangeliſta ſedente, dexterà Ducem benedicente, ſiniſtrà vexillum porrigente Duci in genibus flexo, cornu redimito; *S. M. Ven. Franc. Molino D.* nomen pręfecti Monetarii *I. A. B.* Excipias nummiſmata Annorum 7. 8. & 9. quorum in fronte retro Marcũ ſedentẽ, & Principem patronum Reipublicæ, ſtat etiam S. Antonius cum Lilio, patronus & ipſe aſsumptus Reipublicæ, cuius è corpore devotiſſimè evulſum brachium Patavio Venetias, jubente Senatu, traductum tutelæ pignus, & Religionis argumentum, Anno 1656. die 13. Iunii.

In

In postico primi nummismatis Triremis Imperatoria Mare sulcans impavida sub epigraphe, *Fulget inter fluctus*, argumentum imperii maritimi ab eo in Turcas, Deo Duce gloriosè peracti; ac Ducalis regiminis, triremis symbolo expressi, quod etiam inter Turcarum turbines fulget & fluctus. Hinc in nummismate Anni secundi, sui Principatus, eadem triremis exponitur sed fluctibus penè submersa sub eadem epigraphe, *Fulget inter fluctus*, quod maiora licet, urgerent à Turcis discrimina; Triremis fulgeret Reipublicæ.

Sic Anno tertio, minimè remittente Turcarum incursu, eadem triremis exponitur Maris æstu agitata, Lumine tamen vigente superno, sub epigraphe: *Dominus illuminatio. In hoc sperabo.* Anno quinto, inscriptio mutatur, *Perstat lumen, quia Numen.* Anno quinto, inscriptio pariter mutatur, *Dux, dum Lux.* Anno sexto, Nummi posticum speculum exhibet Archimedis, Solis radio percussum, ipsum naves Turcicas repercutiens in portu *Foggiano*; ubi à Iacobo de Riva Venetæ Classis præfecto, tormentis petita Turcica classis, immissaque navi incendiarià, succensa ferè tota flammis consumitur.

Anno septimo Moyses sculpitur virgà segregans Mare Rubrum, & sicco pede transiens cum populo sibi commisso inter chrystallina mænia, oculis tamen semper in Cœlum conversis, une manus Domini semitam demonstrabat, sub epigraphe, *Hinc sperans, nil errans.*

Anno VIII. Sol Cœlestis ignem de terra suscitat juxta templum quod verum & unicum Venetæ libertatis propugnaculum. Quale fuerit hoc templum? Deiparæ, dic, *de Planctu* appellatæ, Molino Duce, à Senatu erectum ad placandam Nemesim supernam, & Sacris Vestalibus traditum custodiendum, ut ibi sub instituto Eremitico S. Augustini Deum precibus urgeant pro incolumitate Reipublicæ. Omnia eis ære publico subministrantur pro vitæ alimonià. Quinque Sacerdotes dietim sacra faciunt juxta votum Reipublicæ; abundè & largè eis consulente Senatu.

Hinc 6. April. 1658. sedente Pisauro Principe inscriptio erecta marmorea super portam, Principem

D. O. M.
Comploranti Deiparæ
Publico voto Templum
Sacrisque Virginibus excitatæ ædes
Vt piis Fidelium manibus
Pro Reipublicæ incolumitate litetur
Anno M.DC.LVIII.
Ioanne Pisauro Venetiarum Principe.

Verba

Verba illa, *Vt piis Fidelium manibus, pro Reipublicæ incolumitate litetur*, nè prætereas: in eis enim causam habes huius erectionis.

Anno IX. Flamma in aere fulget nulla lignorum strue, vel pabulo suffulta combustibili, sub epigraphe; *Et non fulta, non fluxa*: quam piè explicabis, Deo solum misericorditer afflante, stetisse, fulsisse Rempublicam adversùs præpotentem Turcarum tyrannidem. Vel Rempublicam annue ab omnibus Christianorum Principibus derelictam, solam pugnasse, vicisse immanem ac ferocissimam rabiem Barbarorum,



C A-

CAROLVS CONTARENVS
DVX C.

Electus die 25. Maii 1655. Obiit 1. Maii An. 1656.

SCHEMA VETVS.

Auxi Remp. occupatâ Egene opulentâ insulâ. Vola urbe, cuius volabat fama, in Leonis mei ungues incurrit: capta armatum viseum sensit. Potentissimam Turcarum classem disieci. Alas & Vela Turcis ademi.



C.







Ornu Ducale prænsantibus Io: Pisauro, Leonardo Fusculo, Io: Barbadico, Hieronymo Fuscareno, Bertucio Valerio D. M. Procuratoribus; à præturis, Feltriæ, Tarvisii, Iustinopolis, Brixiæ, Veronæ, & Magistratibus urbis ad solium vocatur Carolus Contarenus, dum vitam domi meditaretur beatam. Eum quæsivit Respublica, non ipse Rempublicam. Torvis respiciens oculis diadema, sprevisset oblatum, si Veneti non Reipublicæ nascerentur, sed sibi. Eius coniunx Paulina Lauredana, raræ pietatis Princeps fulgere voluit sine diademate, merito coronata Religionis,

atque

atque modestiæ. Feria V. Maioris hebdomadæ, ad populum emanavit electio Ducis; dum ictu oculi strata jacerent in præliminaribus Ducalis Basilicæ, cadavera eorum, qui frequentià hominum præfocati, adoraturi venerant miraculosum Christi sanguinem; ferale forsan nuntium nostrorum Principum. Tres enim hoc Anno Veneti adoravere Duces. Maiorem temperavit Lazari Mocenici victoria ad Sestum & Abydum, quem celebriorem fecere locum suà clade Turcæ, quàm Poetæ, fabulosi Amantis naufragio. Contra Pestem, quæ Romam, Neapolim umbrà mortis obruerat, novissima Contareni cura, imploratis de Cœlo custodibus, quorum imagines ei dono miserat Alexander VII. Cœli Claviger. Ità Corporibus depulsa lue; & animis majore infusà pietate, ad Superos evolavit grates acturus, ad D. Bonaventuræ, relictis exuviis An. I. Mense I. Die VI. sui Principatu. Eius in funere peroravit Petrus de Comitibus Romanus S. Theol. Doctor.

Coniugem habuit Contarenus Paulinam Contarenam; matronam pietate, & pudore gravem, quæ ad declinandas salutationes, & populares plausus, prodire nnmquam voluit, in publicum. Obiit hæc 20. April. 1660. & cum Principe Carolo ad D. Bonaventuræ jacet.

Vianolus, Io: Baptista Contarenus, M. S. in Bibliothecà Cornelia Piscopia, cui titulus Corona della Nobiltà. Opus Zilioli.

Nummisma publicum.

Vnum occurrit, cuius in fronte S. M. Evang. vexillum porrigit Duci in genibus flexo, sub lemmate *S. M. V. Carolus Contaren. D.* Ex adverso surgit Heliotropium Solem respiciens sub epigraphe, *Oculi mei semper ad Dominum*; ut stabilem in Deo fiduciam exprimeret, & mentem vel in ipsà Principatus caligine à Deo nunquàm divulsam.

FRAN-

FRANCISCVS CORNELIVS VEL CORNARIVS DVX CI.

Creatus die 16. Maii 1656. Obiit 5. Iunii. cum sedisset dies 20.


EPIGRAPHE PRISCA.

Omnium expetitus votis, brevi ab omnibus desideratus, vigesimo die, qua fui electus, mors acerba spem præcidit; ostensus potiùs ad expectationem, quam datus ad possessionem.

CI.







SEriem Principum instaurat Franciscus Cornelius, primus post centesimum. Omen æternæ Reipublicæ, si iterum sæculares Duces expectemus. Thronum scandit filius & gener Principis, meriti titulo, non naturæ. Nec alia hæreditas in urbe liberâ. Hinc parentibus succedunt liberi non impuberes, sed cum senescunt. Inter prensationes Bertucii Valerii Equitis, & D. M. P. ac Leonardi

Foſcoli P. D. M. ad ſolium Cornelius rapitur afflante Deo, acclamante Populo, dictante Senatu, urgente familià, ſolo renuente Franciſco, qui à die electionis, cœpit vitam abhorrere propter vittam. Vbi enim curæ? niſi in curià. Dies viginti in aulà moratus, vitia execratus, quæ cum ſint hominum, quaſi temporum excuſantur, ſeptuagenario maior contabuit. Ad Theatinos juxta parentem Mauſolæo donatur ab Epiſcopo Patavino filio Federico; Romæ inter purpuratos agente altero Federico fratre, Venetiarum Patriarchà. Ei ſymbolum rectè adjicies ab eo aſsumptum, ſed non cælatum, morte intercidente: *Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis.*

Vianolus, Io: Baptiſta Contarenus, M. S. in Bibliothecà Corneliæ Piſcopia, cui titulus Corona della Nobiltà. Opus Zilioli.

EPITAPHIVM.

Franciſco Cornelio Ioannis Ducis filio, Centeſimo Venetiarum Duci, Integerrimo Principi de Republica optimè merito, Patriæ patri, urbis decori, urbique probitatis exemplo: qui poſt Brixiæ præfecturam, aliiſque honoribus decoratus, pleno Electorum conſenſu, licet renuens, regali diademate decoratus affulſit. Hic præcipiti nimirum abreptus Fato, poſt novem ſolummodo ſupra decem dies ſui Principatus, Superas evolavit ad Ædes, ut citiùs immortali laurea donaretur. An. Dom. 1656. Ætatis ſuæ lxxi. Hoc alterum Mauſolæum Sereniſsimo parenti Federicus filius evexit An. Sal. MDCLVI.

Nummiſma Privatum.

Supra habes pag. 273.



BER-

BERTVCIVS VALERIVS
DUX CII.

Electus die 5. Iunii 1656. Obiit 30. Martii 1658. Aetatis suæ lxii. Princip. 1. Mense ix. die 26.

SCHEMA VETVS.

Brevi ævo multarum ætatum gesta Orbi repræsentavi Copiis campos texi: Classibus operui Mare. Ad fauces Hellesponti elisi Turcarum guttura hiantia, & anhelantia cædes. Insulas continenti navium ponte iunxi. Vicina Troia è littore totum pelagus ardere vidit ad incendii sui solatium. Nusquàm victus, ubique triumphator. Obrutus mole trophæorum, sesquiannum vix explevi.



CII





EX domo Sapientiæ Princeps deducitur Bertucius Valerius, cum Bello tonante Barbarico, leges diceres confusione obrutas, & pulvere sepultas Mavortio. Verùm solita Respublica plus gladio certare Iustitię, quàm ferro, in armorum subsidium, Eloquentiam vocavit, & Principem fecit; ut hæc in extremo rerum discrimine jura dictaret. Eius vita quasi in peregrinatione positâ, Provinciis præfuit; Externos Legatus adivit, Hetruriam præcipuè acerbis ja-

ctatam consiliis unus & solus ad pacem direxit. Ad Serenissimum Cardinalem Catholici Regis fratrem, in Insubrum arce, eà gazà, Nobilium flore, auri profusione ascendit, ut Hispanos alioquin Tagi arenà tumidos recreaverit ad invidiam. Bis Romam ingressus, Divinæ Religionis, atque humanæ majestatis theatrum, primò ad Innocentium X. mox Alexandrū VII. in splendidissimà procerum legatione, Serenissimæ Reipub. probavit obsequium, demissione, & magnificentià, Patriæ restitutus, Ducis ornamenta suscepit, licet totius vitæ cursu Princeps, Reipublicæ administratione fuerit. Hæc enim opus virtutis, ille fortunæ famulatricis. Hæc pro merito, ille pro mercede. Eius auspiciis Laurentius Marcellus navali inito ad Dardanellas certamine, totum Byzantium in mari expugnavit, sed globo traiectus interiit; mox tamen eius locum Badoerius tenuit, à quo navium, tormentorum, cadaverumque agere, triumphato Ægeo, duplicis victoriæ præmium accessit expugnata Tenedos cum Cycladum coronà: Orientis ipse Imperator, qui formidabili classe, Cretæ catenas vehebat, cæpit domi trepidare. Vbertas accessit Annonæ, quæ insigni societate victoriis copulata populo fœlicitatem produxit. Etiam Iesu Societas, quæ Venetiis expulsa jacebat sine spe indulgentiæ; deprecante Alexandro VII. R. P. suffragante Duce, refixo penitùs decreto, magnificè restituta humaniùs culta, & honorificentiùs habita. Tantis auspiciis sola Pax defuit, licet ipsius Principis declamatione (qui per Annos tredecim Bellum expertus erat inutile) sæpe inculcata; Nemesi forsan prohibente supernà; ut Veneti totius Regni jacturà, irati Numini pœnas darent ad mensuram peccati. Bello à Senatu decreto, aurum Princeps subministravit Regia liberalitate, dono oblatis decem millibus Ducatorum, ut suo exemplo cives alliceret, & Respublica ferrū tractaret pro Christi religione securior. Huic declamationi de pace cum hostibus ineundà, paucis diebus supervixit, orationis ardore sanguine effervescente, cuius incendio organa conflagrarunt. Sic exeunt Animæ Grandes, quæ semper ardent pro salute Reipublicæ. Sacramentis itaque ritè & catholicè procuratus, Ducale paludamentum ad Redemptorem suum sub Eucharistico velo latentem remisit, diadema restituens à quo receperat. Orans, & rogans evolavit Anima grandis, Reipublicæ Victoriam & pacem. Exuviæ ad D. Iobi, Mausolæum expectant erigendum in ædibus Gemellorum.

Nanius, Vianolus, Andreas Valerius, Martinonus, Orafus in eius vita. Fr. Cosmus Cler. Reg. qui eius in funere peroravit.

Nun-

Nummisma Publicum.

Cuius in fronte Marcus Euangelista vexillum porrigit Duci &c. *S. M. Venetus Bertucius Valerius D.* Ex adverso Aquila Gentilitia cum Dracone certans sub epigraphe; *Resistit in pavida*. Bellum annuit à Republicà gestum contra Draconem Munsulmanum; quem sæpè conculcavit, & Mari demersit. Eumdem nummum bis percussit Anno solùm mutato I. & II. cum nomine Præfecti Monetarii. Teste namque Plin. *lib. x. cap. 4. Nat. Hist.* Aquilæ non satis unus hostis. Præter Cervos; *acrior illi cum Dracone pugna, multoque magis anceps, etiam si in aere. Ova hic consectatur Aquilæ aviditate maleficà: at illa ob hoc rapit ubicunque visum. Ille multiplici nexu alas ligat, ita se implicans, ut simul decidant.*



IO. PISAVRVS

DVX CIII.

Calendis natus Septembris 1589. in Principem eligitur die 8 Maii Ann. 1658. obiit Anno ætatis suæ 71. Cal. Octob. Salutis 1659.

PRÆCONIVM VETVSTVM.

A me sibi timuit Gentium terror Othomanus. Dalmatia frustrà tentata, stetit in armis invicta, in fide constans. Classes potentissimæ hostium depressæ Castrum Russum, inexpugnabile creditum, expugnatum & in meam potestatem redactum. Iustus in pœnis repetendis à Voino proditore. Pius in solvendis iustis Lazaro Mocenico triumphatori. Parum Patriæ vixi, gloriæ satis.



CIII







VIctor Pisaurus & Helena Superantia Io: Equitis, ac Marci Procuratoris filia Ioannem genuit; Libram excurrente Sole: æquitatis & justitiæ præludium. Ferali puerperio cum dubitaretur cæsurus parentem, servavit nascendo. Impubes, cuia est pericula non agnoscere, vel non curare; cum Morte luctando (noluit ista vel non valuit, vitæ prohibente Auctore, falcem extendere) ex

turri

turri illapsus altissimâ, in profluentem illæsus cecidit arcano Numinis, quod eum Moysis instar, ex aquæ vortice, ad aulæ verticem destinaverat. Naturâ magistrâ Orator priùs natus, quàm factus, amorem majestate concilians, & morum innocentiâ maiestatem, togam induit cæruleam Sapientibus adscriptus, qui navalibus præsunt. Primâ ex Ordine sui instituti declamatione susceptâ, novus Demosthenes, qui coram Philippo Rege, rubore obrutus siluit, impegit in scopulum, Senatus Majestate ad tantillum temporis, oratoris distrahente memoriam. Legatus ad Allobrogum, ut Tellinæ Vallis invasores Hispanos suadâ repelleret, triennio suæ legationis, arcanam illam molitus est machinam, quâ impactas Venetæ libertati compedes fregit. Digressus inde ad Ludovicum XIII. Gallorum Regem, incidit in latrones, quibus gazâ totâ permissâ, ut vitam redimeret, Regi per literas significavit, ut quando amissâ suppellectili Legatum agere prohiberetur, paratum esse inter gregarios milites, suæ Maiestati servire. Grassatoribus postea coniectis in vincula, & supplicio destinatis (ne eius animum curvaret iniuria) veniam eis rogavit, & Rege annuente impetravit. Ibi cum Ludovico Iusto, & Carolo Sabaudo, jurato fœdere ad Rhetorum tutelam, quietem firmavit Regi gloriosam, Catholicis necessariam, Venetis opportunam. *Pisieux*, quod Regi infidelis adversùs fœderatos cum Hispanis conspiraret, munere excessit deportatus & urbe, ruinam impellente Pisauro, quum Regi, ministri avaritiam exposuit. Traiecto inde Oceano ad Britannos venit, ubi in Iberos concitato Rege, cum Carolo Iacobi filio, qui ob immaturam patris mortem, thronum ascenderat, renovatâ amicitiâ, Rempublicam promovit pede inoffenso, Ministris quandoque indulgens; quorum arbitrio Reges ipsi, Ludovicus in Galliâ, Philippus in Hispaniâ, in Angliâ Carolus, juvenes omnes, armorum potentiâ & libidine gloriæ non inæquales, quamvis voto discordes, in eo tamē conveniebāt, ut eis cuncta permitterent. Restitutus in patriam, eo in sacrario, in quo Sapientia regnat, cuius arcana nec mens concipit, nec lingua promit, sedit M. Consilii Sapiens, donec ad Vrbanum VIII. R. P. qui per mortem Francisci Ruverei Vrbini Ducis, Principatum illum, antiquum Ecclesiæ Feudum, Ecclesiæ restituerat, præteritis propriis nepotibus; quorum uni Thadæo nomine sola præfectura obtigit Romani Capitolii, irarum occasio, & origo discordiæ. Huius enim prærogativâ, cum Oratoribus Regiis præcedere conaretur nepos Pontificis; solio illi abstinuère concordes. Ex hoc communi dissidio, singulare Venetus subiit. Obviantibus sibi Pisauro, & Barberino Romanorum præfecto, sistit iste currum, Veneto excur-

rente aurigà, qui nocte ingruente Barberinum non agnoverat. Errore cognito, per nobilem interpretem Pisaurus officium excusationis abundè solvit. Quo minimè Romani contenti; sequenti die pecunià corruptus auriga Pisauri, occurrente Præfecto, simulans sibi excidisse pileum, equos cohibuit, ut interim Barberinus excurreret insalutato Pisauro. Domum postea cum pervenisset, fugà subtractus, armatorum stipante catervà, in domos abiit Barberinas. Pisaurus verò mandante Senatu, Romà secedens minimè viso Pontifice, Venetias rediit, ubi Nuntius Apostolicus jam Principis non admittebatur colloquio. Rumorem augebat titulus *Eminentissimi* Cardinalibus Romæ decretus cũ interdicto, ne minori acquiescerent titulo, Regibus tamẽ exceptis, qui à prisco *Illustrissimi* titulo Cardinalibus dari solito, recedere noluerunt: inter quos Respublica eos Cardinales, qui literas sub titulo *Illustrissimi* respuerant, justè succensa, obiurgabat liberè; nec tamen offendebat, propulsabat solùm irruptiones Cardinalis *Pallotæ* Ferrariensis Legati, qui in Padi ripà disgregatis aggeribus, limina obruebat antiqua, cursum mutabat aquarũ, novis vallis muniebat cõfundebat fluminis ostia. Immissus propterea Lucas Pisaurus cũ triremibus cuncta in pristinũ statum restituit cęde tamen promiscuà, donec interprete Gallorũ Rege, mandavit Cardinalibus Papa, epistolas Reipublicæ sub titulo *Illustrissimi* nè rejicerent, quæ Regibus fuit semper æqualis. Facinorosos, qui aurigæ fugam stipaverant, proscribi jussit: Fugæ ignaros testatus nepotes, seque molestè accepisse cum Pisauro gesta nepotis. Testatum etiam volens, quanti faceret Rempublicam, eamdem *Brevi* excitavit, Agripinæ Coloniam Legatum mittere pro pace instaurandà Principum Christianorum. Senatus quamvis novissimà attrocique injurià Vrbani exacerbatus, qui in aulà Romanà historiam mutilaverat Alexandri III. Venetorum omissà victorià adversùs Ænobarbum, cuius filium Othonem traxere captivum; protinùs designato Io: Pisauro, excelsà animi magnitudine docuit, vulnera sua non inficere alienam salutem. Pisaurum tamen, qui semel ad Ladislaum Poloniæ Regem, bis ad Ferdinandum Augustum accesserat, quò minus ad conventum pergeret, dignitas exemit collata D. Marci Procuratoria. Domi verò non sedit otiosus, orto dissidio inter Pontificem, & Ducem Parmensem, occasione concamerati Castri, cuius dominium adoriebantur Barberini, ad tutelam Parmensis induxit Senatum, à quo Legatus in castra, occupatis Padi ripis, Romanos ab incursione traspadanà prohibuit: impellente calumnià, in Patriam revocatus, jussusque rationem reddere, clariorem fecit inquisitione innocentiam, suamque existimatio-

mationem illuſtravit inimicorum iniuriâ. Senatus, Piſauri gloriæ volens teſtis accedere, oratorem legavit unà cum Bertuccio Valerio, Aloyſio Contareno, & Nicolao Sagredo (omnes iſti Principes futuri) ad Alex. VII. R. P. quo intercedente, & Piſauro declamante, Ignatiani ab initio huius ſæculi Venetà ditione proſcripti, nunc refixo decreto, tam ſplendidè tam amicè in urbe recepti, ut jam de exilio conqueri non valeant. Horum reſtitutione ſperabat Piſaurus ad Cretæ præſidium conciliare Pontificem, eiuſque ære, & milite, ut jam Alexander promiſerat, regnum fulcire, cujus diadema nè Reſpublica Barbaris ultrò cederet, non ſemel in Senatu, orator ſtetit facundus, ſexque millibus ducatorum mutuo collatis, Senatum eloquio victor firmavit nutantem. Paucos poſt dies, ut expeditionem, cuius erat auctor, urgeret citiùs, & fortiùs; mortuo Valerio, ipſe Princeps aſſumitur, magnà omnium acclamatione, quod eo minor Orbi Chriſtiano non ſufficeret periclitanti. Sed heu! Menſe poſt Annum ſexto, jam curis Legationum confectus, publicique Sapientis munere, quo, vicibus quatuor ſupra viginti, conſilio, ſapientiâ, eloquentiâ præfuerat, Sacramentis ritè munitus Cœlos conſcendit inter Patres, qui optimè geſſere Rempublicam. Corporis exuvias Mauſolæum excepit, regalis ſtructuræ à nepote excitatum Leonardo Piſauro D. M. P. in æde magna Minorum. Eius in funere peroravit Chriſtophorus Ivanovichius Ducalis Canonicus.

Baptiſta Nanius, Vianolus, Chriſtophorus Ivanovichius Ducalis Canonicus, Emanuel Theſaurus.

Epitaphium ad dexteram Mauſolæi.

Ioannem Piſaurum Venet. Ducem
Aureum inter optimos Principes vides;
Qui per mortes ad vitam prodiens,
In lethali Puerperio Matrem ſervavit naſcendo.
Idem Patriæ auguratus, cui naſcebatur
Poſt inde Patriæ totus vivens, nullus ſibi
Apud Allobroges cum Carolo Emanuele,
In Tellinæ Vallis invaſores,
Impactas Venetæ libertati compedes fregit.
In Galliâ Ludovico Iuſto Glorioſæ
Orbi Catholico neceſſariæ, Venetis opportunæ
Gallicanæ quieti allaboravit.
In Anglia Iacobi Regis obitum,
Mirà calliditate celatum, mira ſagacitate rimatus

Priſ-

Priscam benevolentiam fœliciter firmavit.
Romæ intonante novo Titulorum Decreto,
Ioanni Pisauro debuit Respublica,
Quod maximis æquata Regibus avita iura servavit.
Hinc labris innata suadà
Legatus ligatos eloquio Principes, quò lubebat adducturus
Semel ad Ladislaum Poloniæ Regem,
Bis ad Ferdinandum Augustum Conciliator,
Mox ad Monasterii Conventum Caduceator designatus
Mercurius videri potuit, ni Martem ostendissent
Eridani ripæ Romanis ereptæ, aut Venetis assertæ
Vel teste Calumnià
Quæ veri facem, & viri Famam, ut extingueret
Clariorem fecit, ventilando.

Ad Lævam.

Hoc vero vel nolens patere livor,
Quod Regni pulcherrimi Iactum
Voce, argenti proprii exemplo, Publico Ferro
Cunctanter ac constanter aversatus avertit,
Et Cretensem Venetis Coronam,
Venetam Italis Gloriam conservavit,
Ac ferè absortam Ottomanis extorsit.
Hinc tot labores, maximo cumulans labore, Principatus.
Proh quantum Patriæ Principem dedit
Nempe qualem Orbis optaret,
Qui caput Reip. de vultu nosceretur:
Cui pro supercilio comitas, pro verbis oracula;
Pro Eroicà tesserà constantia atque Religio
In Delitiis munificentia supra Regalem,
In Consiliis sapientia, quà Ævi sui Salomon audiit,
In votis implacabilis in Christi Hostes hostilitas
In nutu semper victrix authoritas
Quæ nuper quam maior privato fuerit in Privato
Feliciter ostendit ingeniorum eruditioni, animorum Pietati
Celituum Plausui restituta Societas Iesu
Sic heus nimis breve Principatus spatium.
Quod Mense Post annum primum Sexto absolvit,
Gestorum Granditate protendit
Atque, ut etiam post fata Reip. prodesset

Flo-

Florentiss. sobolem Patriæ oppignoravit
Ex Leonardo Fratris Filio.
Qui opum Hæres, Sectator operum, Reip. Procurator,
Patruum amantiss. quà debuit pietate vivum coluit,
Quà potuit redivivum Patriæ reddidit.

Nummisma Publicum.

Cuius in fronte Marcus Evangelista cum Duce, more solito, *S. M. V. Io: Pisaurus.* cum nomine Præfecti Monetarii N. C. In adverso stant *Religio*, atque *Constantia*, quæ pro Religionis tutelà, tot lustris, adversùs Thraces arma tractavit: cum epigraphe, *Religione & Constantià. Anno I.* Non scilicet libidine Imperii, sed solius Religionis voto, & ad defensionem Christianæ Fidei, extrema subiisse discrimina in Regno Cretensi, quod in medio Mari situm ad Orbis dominium.



D O-

DOMINICVS CONTARENVS
DUX CIV.

Electus 3. Idus Octob. 1659. obiit die 26 Ianuari An. 1674. cum sedisset An. xv. Mens. 3. dies ii.

SCHEMA VETVS.

Bella ex bellis sata lauros mihi & palmas pepererunt. Stupens in meis classibus mare obriguit. Legationibus peragravi Europam. Plurimos excepi hospitio Principes. Ad Cretam totius Vrbis vires expertus, multis præliis victor extiti: bello tamen non victor, sed pace decorà fælix, & quæ omni victoria extitit gloriosior. Hæc elicita potius precario, quàm vi extortà, ea quasi testamento patriæ relictà, decrepitus obii.







CIIII








EA virtutē Dominicus Contarenus thronum meruit, sine quà Virtutes ipsæ spernuntur ut vitia. Moderatio hæc, quæ quo rarior, eo celebrior. Magistra namque Naturæ corruptæ, quæ nescia imperare sibi, post amissam Innocentiam arido trunco in foliis virtutē reliquit, de hoc meritis, quod prima operuere vitia. Per obitum Ioãnis Pisauri, de Principatu instaurato ambitu, dum alii pro diademate certant, Ateстini secessus otia quæsivit; eo cæteris dignior, quod

quod omnibus artibus, quibus alii ſtudent prænſando; ipſe uſus fuerit, abſtinendo. Nolens itaque ad ſolium rapitur fœlici quidem omine; cum protinus pax inter Hiſpanos & Gallos illuxerit, nec longè tota Europa Chriſtiana quieverit. Eiuſq; vinculum nuptiæ Mariæ Thereſæ Hiſpaniarum Infantis cum Ludovico XIV. Gallorum Rege. Cum Sabaudo etiam renovatum fœdus eà lege, ut nomen abhorreret Cypris Regis Codicemque ſupprimeret de titulo Regio. Vanus equidem de nomine titulus; Regnum poſſidentibus Barbaris. Tribus luſtris Reipublicæ præfuit, alternante fortunà, quæ Turcarum amica Cretenſes perdidit, poſtquam Barbarorum Claſses, atque phalanges terrà, marique profligatas cæcinisſet. Inſtructis Contarenus novis ad Inſulæ libertatem ſuppetiis, eiuſque gratià, à Romano Pontifice Ordinibus ſuppreſsis, Canonicorum S. Georgii in Algà, Ieſuatorum, & Eremitarum D. Hieronymi, quorum divendita patrimonia ad nongenta Ducatorum millia excreverunt, impar afflictis rebus auxilium, cum ſolo Anno *1668.* in commeatu & militum delectu, Milliones quatuor, & ſexcenti nonaginta duo mille ducatorum ſint numerati, Anno ſequenti (Salutis *1669*) etiam Ludovicus Rex Gallorum ſeptem peditum millia, equiteſque quingentos duce Franciſco Belfortio Vindocinenſi, Galliæ Architalaſſo ſub Pontificis vexillo in Cretam deſtinavit eo plauſu, ut quaſi ad proximā obſeſsæ urbis liberationē geſtirent, ſpe forſan non improſperà, ſi cum terrigenis locorum & inſidiarum gnaris vexilla miſcuiſsent. At Gens moræ impatiens, & individuæ gloriæ ambitioſa, dum 24. Iunii, ſola erumpit, primoque impetu victrix, æquatis aggeribus (quos ad tutelam excitaverant Turcæ) victrix exultat, inopino caſu, cado accenſo nitrati pulveris, ſuſpicati Galli ſolū omne ſuffoſsis calcandum cuniculis, trepidare primùm, mox pedem retrahere, inſequentibus eà ſtrage Turcis, ut Galli non victi, ſed ſepulti & obruti à ſeipſis viſi ſint; eorum deſideratis mille & amplius, inter quos ipſe Belfortius, cuius cadaver nunquam potuit inveniri. Adfuit illico Venetus, cum Epirotis & Germanis ut juvaret retrocedentes, ſed pannico timore correpti pugnam amplius reintegrare negarunt. Vocato itaque ducum conventu, cum Galli novæ irruptioni ſemper obſiſterēt, pro extremo obſeſsorum remedio, placuit partem urbis exſcindere, novis munimentis, & foſsà circumdare, ut eam ex integro ſibi expugnandam Infideles ſentirent. Exoratus Novalea Gallorum Dux huic operæ ſuos commodare milites, tempus obiecit elapſum jam ſibi a Rege præſcriptum, eodemque tempore conſcenſis navibus vela fecit, neglectis Ducum precibus, qui urbis excidium præcipiti imputabant diſceſsui. Diſceſsu Gallorum

co-

cognito Turcæ, illico impetum renovarunt in obſeſsos, eà tamen conſtantià ab obſeſsis recepti, ut inglorii receptui canere cogerentur per aliquot hebdomadas. Milite tandem deficiente, immò & ſolo, in quo pedem figerent obſeſsi, deſperato auxilio, die 6. Sept. 1669. cum Barbaris convenère, ut iſti Inſulam retinerent, quam uſurpaverant arcibus tamen exceptis Sudæ, Garabuſarum, & Spinæ Longæ; Cliſsam cederent cum cæteris oppidis, quæ in Dalmatià & Albanià Venetus occupaverat. In hac triennali obſidione, periere militum Chriſtianorum viginti novem millia, præter ruſticorum & captivorum triginta & octo millia, qui in ſuffodiendis cuniculis, excitandiſque aggeribus operam præſtare coacti. Sic Regnũ Cretenſe Annos habens viginti quinque infirmitatis ſuæ, ad Galli cantum expiravit. Ludovicus Rex Gallorum XIV. redeuntem Novalliam in campeſtria relegavit. Clemens lacrymari non deſtitit, donec animam efflavit, cædis ſpirans atque minarum, in nepotem Vincentium Roſpiglioſum, quem inter Cardinales promovere negavit, ut pullatus nænias caneret illius Regni, quod crudelis ante obitum dereliquerat. In hac nobili urnà ultra 150. Milliones auri, ſepulta ſunt toto bello, Centum millia militum vel Martyrum, inter quos renuens conſolari Contarenus, quia non eſset, decubuit, & tandem obiit ad D. Benedicti ſepultus. Eius in funere orationem ſcripſit.

Fr. Coſmus Cler. Reg. Cong. Som. recitavit Vincentius Todeſchinus Canonicus S. Marci.

Nummiſmata publica.

Sexdecim Contarenus percuſsit; in fronte primi ſedet Marcus Euangeliſta vexillum Duci porrigens more priſco, ſub antiqua epigraphe *S. M. Ven. Dominicus Cont. D. M. A. S.* Ex adverſo ſedet Venetia coronata inter duos Leones, ſuſtinens ſiniſtrà bilancem, dexterà gladium, inſtrumenta Iuſtitiæ, cuius ad dexteram olivæ ſurculus, ſub epigraphe, *Opus Iuſtitiæ Pax An. I.* Importunum nummiſma, hoc fuit qui accuſaret; quod Turcico ſæviente bello percuſsum, eoque tempore, quo amiſsà Regni Crætenſis parte maiori, nova ſemper ingruebant diſcrimina. Verumtamen ſi arcana nummiſmatis perpendes, religioſum, opportunum, neceſsarium, quod in graviſſimo & religioſiſſimo Principe ſummam arguat prudentiam, invenies. Annos ſexdecim regnavit Contarenus, & raro ſymbolum ſupradictum in ſuis nummiſmatibus mutari permiſit, volens inceſsanti murmure, in auribus obſtrepere civium,

bello

bello Turcico extinctam pacem, solà revocandam justitiá, quæ in Reipublicæ hieroglyphico, *Iustitia & Pax deosculatæ sunt* (quod super Giganteos gradus occurrit pertranseuntibus) Fato percita quodam, & à pace fulmine dissociata de Cœlo immisso, sed non absumpta, cunia legebatur *Iustitia & .... deosculatæ sunt*, in cinerem dissoluto titulo Pacis, eodem illo Anno, quo in Ducali Sacello à quodam Cretense imagine surreptá paciferá, quæ ad osculandum Principi offertur atque Sapientibus, Cretense protinùs sequutum est bellum, iustitiá fœliciter absolvendum, quæ sola Superum supererat testimonio. Hinc etiam Anno sui Principatus secundo 6. 11.12.13.14.15.16. eodem repetito symbolo, Annum solumodo mutavit & nomen Præfecti Monetarii.

Anno III. Stant in postico Victoria allata in sinistrá tenens palmam, & Pax olivam sustinens, jungentes dexteram eamque Lilliis colligantes, sub epigraphe, *Volunt hoc pignore iungi. Ann.III.* Cuius symboli significatum crederem primo non dissimile: nempe Morum candore, & innocentiá Lillius significata, Victoriam parari & Pacem.

Anno X. Principatus, qui fuit Salutis 1669. collectis in unum viribus Barbarorum, Creta tertio jam Anno obsessa cœpit arciùs stringi. Hinc Princeps ope implorata Deiparæ, cum jam humanam desperaret, expresso sydere, & in eo Deiparà cum Iesu infante, rogabat enixius. *Sit tuta hoc sydere Creta. An.X.*



NICOLAVS SAGREDVS
DVX CV.

Electus die... Januarii Ann. 1675. obiit 15. Aug. Ann. 1676.

EPIGRAPHE ANTIQVA.

Electus animata expectatio, Viva spes fui. Mox & desiderium. Evectus in solium, mox defletus. Auctoritatem Imperii officiosà omnium Civitatum gratulatione asserui.









EX ea Familia Nicolaus, quæ Reipublicæ patritios, Ecclesiæ Martyres, Cœlo Senatores genuit. Septem vicibus, Reipublicæ Maiestatem sustinuit: in Hispania primo, quæ licet Sedes Consilii, Sagredi salibus prægustatis, non abnuit eum consulere, ut sibi consuleret. Bis ad Germanos, ad Romanos quater, ubique fœlix mentem exhibuit auream sub crine argenteo. Nec alium decebat Principem hoc in sæculo, quod post restitutam pacem, dixere aureum. Iustitià equidem, Prudentià, Providentià, vitia abhorruit, utilia quæsivit, præmia distribuit. Princeps Pacis, vultu serenus, manu liberalis, lingua facundus, moribus

bus innocens, præfuit more Sapientum. Indulgentiæ totus intentus legem voluit; ne infra ducatos quindecim, ære alieno gravati truderentur in carcerem. Vrbem, quam lateritiam invenerat, marmore ſtravit. Legationes, quæ in Principum creatione obſoleverant, eo Continentis gaudio reſtituit, ut in eis viſi ſint ſubditi laſcivire. Publico bono flatus ad clangorem buccinæ, quæ arcano murmure, Turcarum novas irruptiones ſignificabat, vitæ pertæſus mori voluit, ne ſub ſe Principe pax publica interiret. Sex Menſibus ſupra Annum cum regnaſset, ſtando exceſſit, ne videretur impulſus cadere. Si eum quæris in vineâ invenies D. Franciſci. Encomiaſtem habuit in funere Todeſchinum Canonicum D. Marci.

Vianolus, Io: Baptiſta Contarenus, M. S. in Bibliothecâ Cornelia Piſcopia, cui titulus Corona della Nobiltà. Opus Zilioli. Io: Palatius in dedicatoriâ Leonis Maritimi.

Nummiſma Publicum.

Cuius in fronte ſedens Marcus Euangeliſta vexillum porrigit Duci cornu redimito, in genibus flexo. *S. M. Ven. Nicola. Sagredo.* Adjunge nomen Præfecti Monetarii G. D. In adverſo *Zodiacus cum Sole in Libra.* ſub epigraphe, *Æquâ temperat arte. An. I.* Æquitatem annuens iſtius Principis, quæ amabilem ſimul & venerabilem reddidit. Non minus enim malus Princeps ſub quo omnia licent, quàm ſub quo nihil. *Tam omnibus ignoſcere crudelitas eſt, quàm nulli. Modum tenere debemus, ſed quia difficile eſt temperamentum, quidquid æquo plus futurum eſt, in partem humaniorem præponderet,* ait Seneca *l. 1. c. 3. de Clem.*



T ALOY-

ALOYSIVS CONTARENVS


DUX CVI.

INSCRIPTIO PVBLICA.

Aloysius Contarenus Dux Venetiarum creatus die 26. Augusti 1675. vixit in Principatu Annos septem. Obiit die xv. Ianuarii 1683. Ætatis suæ Ann. 83.









Oliticus sed Christianus venit nobis ex alto Princeps eo tempore, quo meritis & Fortuna ad Thronum evocantibus Ioannem Sagredum Equitem, ac D. Marci Procuratorem, Comitiis placuit supremis, non probare Electores, quos Sors decreverat Sagredo dictante. Tanto in discrimine, apparuit Dominus clavo præsidère Reipublicæ, ventis imperans & mari, nè fluctibus operiretur navicula Marci. Novi namq; Electores propositi & confirmati, abiurato prius vinculo sanguinis & amicitiæ, in Contareno convenère, nullo murmure, ipso plaudente Sagredo, cui

cui charior fuit Libertas Reipubl. quàm dignitas Principatus. Arcana Syderũ crederem ad ſedem Contarenum evocaſse,ut grates rependerent ei, qui panem Angelicum ſibi ad ludibrium expoſitum,ubi cum gelido Mari Romana obriguit Religio, timore vacuus, plenus fide illicò in terram provolutus adoravit, & coram Batavis Heterodoxis, Latriæ cultu, ſub ſpeciebus Euchariſticis Carnem adoravit & Sanguinem Chriſti patientis. Ad Gallos Legatus, Hiſpanos,Romanos, ubique Venetus nonniſi pacem tulit, & Regum concordiam,quam Galli ipſi diſtraxerant, & revocare neglexerant. Exultavit Gallia non tamen ſine rubore, cum à Veneto Oratore vidit,Regi Ducem reconciliatum Aurelianenſem, quem Gallia ipſa concitaverat adversùs fratrem. Venetorum hæc inſtituta;non litigantium colligere ſpolia, ſed ſua cuique ſervare, redimere. Citra miraculum cum deſperaretur Fratrum concordia,quos bello pluſquàm civili,ſeditioſis junctus excitabat Iberus, paucis Aloyſius Regem pacavit victoria laſcivientem; inter victos expreſso nomine Fratris. Quid enim miſerius,fratrem expugnare, non ſeipſum? Noviſsima Aloyſiii legatio ad Pontificem; quà abſolutà ſine ullà imperii querelà, & abſque iniurià ſacerdotii,dictus eſt Princeps. Novi Principatus curà adversùs peſtem, quæ poſt deformatam Viennam Auſtriæ, ad portas irrepſerat Venetorum in Foro Iulii, & Veronæ ſuburbiis. Proviſores propterea creati Salutis, ut in Provinciis excubarent;ipſe Domi ante aras procumbens, Angelos meruit auxiliatores; quorum vigiliis repreſsus morbus, (qui nec à ſano prævideri, nec ab ægroto agnoſci, nec à medico ſanari valebat) Provinciam inter virulentia cadavera ſervavit incorruptam. Tirranide tandem ingruente Turcarum (qui pacem menſtruam fingebant, vendebant, ut aurum expilarent) inter ſpem & metum migravit Princeps Optimus, ætatis octuagenarius; cum regnaſset Annos ſeptem, Menſes quatuor,dies viginti,ad D.Franciſci in Vineà ſepultus, funere accepto in Gemellorum templo,ubi peroravit Fr.Io: Maria Foreſtus Cler. Regularis Som.

Nanius, Vianolus, Andreas Valerius, Martinonus, Oraſus in eius vita. Io: Palatius in dedicatoria Aquilæ Romanæ.

Nummiſmata publica.

Octo recurrunt, quorum in fronte Marcus Euangeliſta cum Duce Aloyſio Contareno *S.M.V. Aloyſius Cont.D.* A.Z. nomen Præfecti Monetarii. In adverſo legitur: *Aloyſii Contareno Principis munus. An.I.* In peripherià verò *Salut.An.*1676.*& ab Vrbe conditâ*, 1256. Quod repetitum, Annorum mutato numero, uſque ad Annum VIII. Principatus, Salutis 1683. ab urbe conditâ 1263.

M. ANTON. IVSTINIANVS
DUX CVII.

Creatus die 25. Ianuarii 1683. Obiit die 24. Martii 1688.

INSCRIPTIO PVBLICA.

M. Antonius Iustinianus Dux Venetorum: qui adversùs irruentem Turcam cum tercentis millibus bellatorum, in necem Christianæ Religionis, immissâ classe: Leucate usque in Acarnaniam, Nicopoli, Ambracii sinu, totaque Peloponneso Provinciis octo Peninsula grandi, inter Patras & Naupactum gravida Mari, spoliavit Barbaros. In sinu Rhizonico Castrum Novum suo adiecit Imperio. Obiit Anno Sal. M.DC.LXXXVIII. Ætat. lxx. Gloriosi Principatus IV. Annona, fœlicitate etiam Marte sæviente, relictis.



FOrtuna non ſemper cæca, Iuſtitiæ potius, quàm ſibi conſulere cupida, neutra ſtans inter Silveſtrũ Valerium, & Franciſcum Mau-

Maurocænum Equites, ac D. Marci Procuratores, qui pro diademate amicè certabant, nolentem traxit M. Antonium Iustinianũ Equitem; cuius familias cum jura scripsisset Orbi Vniverso, hactenus tamen inter Venetos, Principatus titulum non attigerat. Eius audito nomine Comitia, minimè expectatà suffragiorum urnà voce probarunt & plausu: eademque horà *Io:* Cœlum rependit cæde vulgata Turcarum, & Tartarorum ad triginta millia per Polonos & Valacos in agro Bialogrodiensi. Principatus exordio, fœdere cum Cæsare, & Polonis inito, Turcis (sine exemplo) bellum indixit, qui ambitionis æstro, Venetos tot Provinciis exuerant. Classi proinde Francisco Maurocæno præfecto, in Leucadem Insulam vela vertit, quam xvii. dierum obsidione capit, & usque in Acarnaniam terminos producit Imperii. Inde in Ambracium sinum, Nicopolim expugnavit, totaque Peloponneso Provinciis octo Peninsula grandi, spoliavit Barbaros. In sinu Rhizonico Castrum Novum, geminato triumpho, suæ potestati subiecit. In hac malacià fœlicitas naufraga lacrymas lusu prædixit. Leonem Reipublicæ gentilitium aplustriis ornatum ex hastili in terram prosternens, dum in D. Marci Basilica (eius recurrente natali) Sutorum apparitor purpurà indutus coram Senatu, & Oratoribus Principum, luderet more prisco, inter pueros canentes *Io: Marco*. Eodem namque Anno, morte sublato Iustiniano Sanctissimo Principe, Victoria illisa scopulis penè jacet. Oratio à me habita in eius funere, cum tota ad historiam spectet, & aliàs typis data, hic adjicitur.



CHRISTI VICARIO
INNOCENTIO XI
ROMANO PONTIFICI.



Iliorum lachrymis adde Tuas, qui Pater Orbis, Sanctissime Pontifex. Filium amisisti M. Antonium Iustinianum, Venetorum Principem; cuius nomen si sacro Sacerdotis in ore, præ letitiâ, & charitatis necessitudine absque lachrymis non recurrebat viventis, quid erit mortuo? Graphidem hanc vitæ suæad Principes dirigere meditabar, cum recordatus Iustinianum à te salutatum tanquàm Principem Tuum, *iniuriam credidi, alienum facere, & quod Tuum est, insciâ Beatitudine Tuà alteri tradere. Dignum tamen Tuà paternà benedictione quà singulis hebdomadis prosequebaris, ex præsenti sciagraphia ipsi habeant Principes, & cognoscant,* Legitimam hæreditatis in paternà benedictione consistere. *Hanc cum Catholici Principis symbolum Iustinianus crederet, morbo represso, Morte relegata, noluit ex hoc Mundo recedere, ni priùs a delegato Beatitudinis Tuæ, benedictionem susciperet Apostolicam, quam in tesseram Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ communionis ostenderet Petro. Claves ergo Clementiæ Tuæ, & Clavibus Pontificiæ Potestatis, Cœli iannas vel mortuus pulsat confidens, quòd de Ecclesiæ Thesauro, pretioso sanguine Christi, Sanctorum meritis assequi permittatur inclyta gaudia. Diebus viginti quatuor cum Morte, duello conflixit mirando: citiùs mori non sustinuit, Evangelium expectans, quo nobis obstrictum canimus Redemptorem:* Quæcumquè ligaveritis super terram, erunt ligata & in Cęlo. Quęcumquè solveritis super terram erunt soluta & in Cœlo: *ut rigidos Cœlorum ostiarios libello placaret fiduciario, de peccatis sibi remissis per Tuam Apostolicam Benedictionem. Die expiravit, quæ dies dicitur* Misericordiæ: *ea namque die obiit, qua Petro impositum:* Non septiès parcere, sed septuagiès septiès. *Vt Tu Christi Vicarius, legitimus Petri successor, & delegati Tui parcere tenerentur Christi lege coacti.*

Clavibus adiunge Suffragia. Respice pie Pater de sede magnitudinis Tuæ, ad animam dilecti Principis. Nunc enim scio, quià quæcumquè poposceris à Deo, dabit Tibi Deus. *Credidit enim filius Tuus, & Domus eius tota, quòd intercedente Innocentia Innocentii,* Cornu eius exaltabitur in gloriâ. *Lachrymis suis mortuum Christus revocavit ex monumento Lazarum: ob lachrymas Tuas, Principem evocabit ad vitam Æternam. Si enim, ut fertur, repetitis lachrymis excepisti obitum eius: ad pedes Beatitudinis Tuæ provolutus dicam; quod ad Monicam de Augustino Ambrosius:* Non potest esse; quòd filius tantarum lachrymarum pereat.

Mediastinus
Io: Paulus.



Rincipem si à tyranno secernere nescis, vitam lege Iustiniani. Omnia, quæ in eà, sunt leges Reipublicæ, Christiani mores, gesta Principis. Ab eo præterita fuge, vel cautè habeas; ne ad iniusta declines, vel inhonesta. Lege & luge; quià amissū invenies eū, cuius exemplo cōponitur Orbis.

Nullus in eà ordo: quòd lachrymis exarata, non atramento. Qualem methodum servare potest, qui quærit Principem, Patrem, Mecœnatem, si inveniat mortuum? Veneti ego Cleri novissimus, primus tamen (nullo rogante) ab eo assumptus inter Ducales Canonicos, eo prò me ambiente, promotus ad munera, portionem beneficii rependo lachrymis recensendo non mercenariis. Linguà velocior oculus peroravit in funere; & planctu, vocis vicem implevit. Plangebant Viduæ, Pupilli, Pauperes, Senatus, Populusq; Venetus, immò Nationes conterminæ defuncti Principis cineres eà pietate colebant, ut de ossibus nil superesset, ni per custodes coacti fuissent à Manibus manus retrahere. Cooperti dolore, pudore, & confusione in areà D. Marci, alii cineres benedicebant, alii palmas elevabant, alii genu flexo percutiebant pectora sua, gementes, atquè solliciti, quòd propter scelera populi, orbarentur Principe, cuius imperare officium erat, non regnum. Mortis jam mensis elabitur; & adhuc civitas plena luctu, non temperavit à fletu. Non ergo mirum, si nullus ordo, ubi post obitum Iustiniani Principis, horror penè sempiternus inhabitat. Sciagraphiam hanc ad typos rapuit violenta Senatorum pietas: mens namque erat historiam scribere. Talis enim Iustiniani vita, ut pro eo solo instruenda foret historia, etsi nullum esset historiæ monumentum. Paucis pedem offero, ex quo Geometra mensuram colligat magni Colossi. De mortuo scribo, viventibus tamen, qui eum viderunt, & cognoverunt: propterea in veritate, quæ contubernalibus non absconditur, cum libertate, quæ mortuis non obtruditur. Orationem incomptam fateor, & inelegantem: at pullatum est vestimentum, quod æternitati dispositum, sed extempore. Hæc tamen gloria, quòd in gravi seditionis discrimine, quod ad regium tumulum excitavit frequentia populi, ut raperent spolia; Senatus, Regumque Legati orantem laudaverint, obiurgando; vera dixisse, sed pauca. Eius apophtegmata, de regimine Principum, colligent, qui arcana tractant Reip. cum errariū im, pinguetur gestis potiùs, quā auro Principis. Nos more Astrologico Astra Cœli, quæ vel bubulcis patent, admirando, philosophamur.

INNOCENTIO XI.

CHRISTI VICARIO

VITA

M. ANTONII

IVSTINIANI. V. P.

RAPTIM IN EIVS FVNERE DICTA
Die 29. Martii 1688.

In Templo SS. Ioannis & Pauli à Canonico Io: Palatio.



D te venio (S. P. M. A. I.) doloris nuntius. Famà, vel infamià cum ſemper vivant Reges; audies vel invitus quæ de te ſentire volo, & dicere, quæ ſentio. Samuel ſi pythoniſsæ excantationibus excitatus quamvis ſepultus reſpondit: quantò magis de te peroranti aures dabis Princeps inſepultus? Hinc timor; Timor! Timeant, qui verba faciunt coram tyranno; huic enim vel mortuo non maledicerem, niſi & ſepulto. At de Principe juſto, ſacro, ſancto (quis enim juſtum Principem audebit proferre prophanum?) non ſit in tenebris ſermo. Fugite Larvæ, abite Præficæ, lachrymæ mercenariæ; lugebunt filii funera patris. Vos chorus virtutum, quæ jacetis incomptæ, lugete, ſed more virtutis; vità Principis vitia exprobrando ſubditorum. Quales porrò charactere; lego in peryſtilio tumuli regii? Quis ſcriptor? Hiſtoria eſt. Quale ſcriptum? legamus

EPITAPHIVM.

M. Antonius Iuſtinianus Venetorum Princeps hic jacet;
Venetam neſcit hiſtoriam, qui Iuſtinianam ignorat familiam:
Hiſtoriæ maxima pars eſt nobilis Domus
Armata Ducibus, Præfectis, Architalaſſis:
Ornata Inſulis, Sapientibus, Conſiliariis.
Siſte Hiſtoria invida, vel ignara: Ad familiam declinas, ubi

Per-

Persona est decor familiæ? Vasto Princeps natat in pelago virtutum suarum, & proavos inquiris? Aliena laudat, qui familiam laudat. Rescribe ergo: vel lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Rescribe.

Redit iterum ex thalamo ad tumulum
Romanorum Imperator Iustinianus
Procuratorum, Equitum, Sapientum gente relictà,
Quorum singuli consurgent iterum Principes, Imperatores.
Fabii isti, omnes periere quondam
In bello Græco non prò familià, sed prò Republicà.
Horum internetionem cum maximè doleret Deus,
Ad eos reparandos, de Cœlo misit *B. Nicolaum, & Annam*
Nuptias conciliante inter Sanctos Alexandro III. R.P.
Clavo Christi, Clavibus Petri.
Familiam hanc Sanctorum prosapiam nè dubites:
B. Nicolao patri adjice filium, *B. Laurentium*.
Et si vox populi est vox Dei:
Filium alterum prò tertio Beato resona:
M. Antonium Iustinianum Venetorum Principem.
Beatus namque vir, qui timet Dominum.

Sed undè eloquentià procaci Principem appello *Beatum?* Beatum Sapientia facit. Viros enim sapientes Iupiter ætate, non fœlicitate vincit. Diè natus secunda Martii 1619. habet pro Horoscopo Venerem dominam, & Martem Dominii participem, cum Sole cum Sole in medio Cœli, & Saturno in domicilio Mercurii, & Mercurio in domicilio Iovis, nec non Saturno in Geminis, cum Trigoni dignitate intrino Platico cum Marte, & in quadrato cum Iove. Pars Fortunæ cum Iove portendunt morum integritatem, religionem, prudentiam, dominium supra omnes, cum supremà fœlicitate, ni exemplo Principis, Astronomos potiùs errantes, quàm Stellas crederem. Offerenti enim Andreæ Argolo Mathematicorum Principi Iustinianam genesim magno elaboratam studio; post actas Iustinianus gratias, libellum clausum, & minimè lectum restituens inquit. *Futura nescio, possibilia scio: propterea non desperabo, quòd ad utrumquè paratus. Characteres lego Cœlorum, sed in eorum Creatore confido.*

Horoscopon Iustinianæ familiæ, Genitores Sancti: Ordo Fatorum, educatio. Res enim efficax est natura; sed potentior est institutio, quæ malam naturam corrigit, & vertit in bonam. Quales nascantur liberi; nullius in manu: quales evadant, humanæ est

pote-

potestatis. Eiuscum simus discipuli, cuius & filii, bonum sortiri magistrum, non difficile; si optimum nactus sis genitorem.

Nascitur M. Antonius Iustinianus ex Petro Iustiniano agnomine *S. Zuanino*, & Marinà Iustinianà cognomento *Episcoporum*: quorum natalium splendorem usque in *Iustinianum* Romanorum Imperatorem produces, ni Romanam ignores historiam. Gens tanta in uno Nicolao Iustiniano superstes revixit, initis nuptiis cum Annà Michaelià, quos, Ecclesià non dissentiente, appellamus Beatos: undè à Sanctis meritò dicitur restituta. Sanctorum namquè commertium connubium est, si ad liberorum solatium, non in remediũ concupiscentiæ. Hinc prole susceptà eò rediit, undè venerat, ad cœnobium, & coniugem secum traxit: ut qui duo erãt in carne unà: unanimes modò in gemino cęnobio, iste S. Georgii, illa S. Hieronymi, nuptias consensu continuarent non concubitu. Servat adhuc à fundamentis erecti Monasterii memoriam jus Patronatus, quò matronæ Iustinianæ, & Michaeliæ gentis permittuntur se se recipere in Monasterium S. Hieronymi, veluti in domum paternam: quemadmodum & viri in erèmum Camaldulensium, quorum Pater *Paulus fuit Iustinianus*. Hisce magistris didicerat Petrus, ut vestiret pauperes, spoliare filios, & panem familiæ, esurientibus distribuere.

Sub hoc Horoscopo Princeps M. Ant. adolevit ad studia unà cũ fratribus Hieronymo, Francisco, Daniele, Ioanne. Primus post legationes ad omnes Europæ Principes, Romæ Eques Orator obiit. Secundus Eques linguà facundus, prole fœcundus (à quo Petrus Senator, Hieronymus, Sebastianus, Antonius) dignitatis contemptor humanæ, interrogatus quid frequens in templo quæreret? respondebat, *Munera in regno Dei*. Tertius ex Senatore Episcopus Bergomensis propagavit Ecclesiam, cùm quà Annos quatuor supra viginti sinè jurgio adhùc convivit. Hinc ad pinguiorem vocatus insulam Vicentinæ Ecclesiæ ex clementia Innocentii XI. R.P. spirituale non ausus temerare coniugium, *Moriendum* (excusavit) *cum quà contraxerat*. Quartum fratrem Ioannem Equitem, & Senatorem amplissimum, olim Veronensis Provinciæ Præsidem, Provisorem Salutis, & apud Istros Inquisitorem, nunc Prætorem designatum Patavinæ Provinciæ Laticlavum ornat. Plura de eo sileo, quia plura prohibet: cætera adjiciam, cum prohibere cessabit.

Me interim revocat juventa Principis in Patavinà Universitate transacta, vel cum Oratoribus Reipublicæ apud Reges, undè Philosophus prodiens, Orator, Astrologus, alumnus, & socius *Fortunii*

tunii Liceti sacro Codici *de Animi Immortalitate* eà modeſtiâ manum impoſuiſse dicitur, quâ ſolent Principes philoſophari, ad veritatem, non ad vanitatem. Curâ non minori legibus cum incumberet, diſputante Lælio Mancino, de præcedentiâ inter Ius Canonicum, & Ius Civile, quæſtionem Iuſtinianus corripuit ſupervacaneam Chriſtiano aphoriſmo. *Quæ Cæſaris dentur Cæſari, quæ Dei, Deo*. Non opus legibus adjicere Canones, ſi ſatis: *Honeſtè vivere. Alterum non lædere, ſuum cuique tribuere*. Diſserente *Singlitico* de Regimine Principum quaſi *quod libet, liceat:* ut Caracallæ privigno ſuadebat noverca; *O. I C. Liberet quod licet* (Iuſtinianus repoſuit) *ni veſtra conſilia, adulationibus abundarent*.

Hæc fuere tyrocinia adoleſcentis excelſi; donec ad Rempublicam evocatus, primâ illâ die, quâ togam induit, cum fortè apud Architam Tarentinum legeret, *Pari paſſu ambulare Tribunal, & Altare*; Alphonſi æmulus Regis Aragoniæ, qui ſi decem, & quatuor vicibus totam Scripturam percurriſse legitur; Iuſtinianus nullum ſacri textus (Vos Theologi appello teſtes) habuit incognitum. Hac lectione moderari dicebat impietatem Hiſtoriæ Romanæ, quam extempore recitantem audivi ſæpè, cum memoriâ, & eruditione certaret cum Equite Dominico Zanio ad Hiſpanos Venetorum Legato.

Magiſtratus cum ſubjiſset more patrio, Senator dictus, & ſummâ cum poteſtate Annonæ præfectus eâ tempeſtate, quâ Cretam obſidentibus Turcis, querente maris Imperatore, fœtido pane contabeſcere remiges; Inquiſitione Iuſtinianus ſuſceptâ, Chimico experimento, (cuius artis eſt plurimum delectatus) panem nauticum in furfurem, ſimilam, & farinam ſegregando, artocoporum fraude detectâ monſtravit; ex tribus autopyri partibus duas ineſse furfuris: propterea piſtoribus eiectis antiquis, novos eâ Reipublicæ utilitate conduxit, ut primùm claſse ſervatâ; quadraginta etiam Coronatorum millium annuale diminueretur ſtipendium. Solers tunc Iuſtiniani virtus cœpit omnium in ore verſari, quanto Reipublicæ comodo, tanta rei familiaris jacturâ. Cùm enim non longè poſt, omnium graviſſima ad Ludovicum XIV. Chriſtianiſſimum Gallorum Regem, à quo uno auxilia ſperabant Veneti contrà Turcarum inundationem, vacaret Legatio: omni excuſatione reiectâ, & familiæ poſthabitis ſupplicationibus, pleno ſuffragiorum calculo Legatus deſignatur, quamvis Legationis nomen pullatus adhuc lugeret infauſtum ob fratris mortem Equitis Hieronymi Iuſtiniani, qui poſt repetitas legationes ad omnes Europæ Principes, Romæ Orator conciderat: ac patrimonium fraternâ diſperſum ſobole, & præfecturis exi-

exinanitum novo oneri penè deficeret; majorum inhærens vestigiis, qui nunquàm uberrarunt à legibus patriis, & familiæ semper prætulere Rempublicam; supplicem profectò libellum exposuit, ut legatione abstinère liceret impositâ, salvo tamen more paterno, cuius erat, *Non Personam, sed familiam Reipublicæ tradere in holocaustum*.

Instructâ ergò legatione non minùs auro, quàm aureis moribus, eam fidem apud Gallos subiit, ut inter prima salutationis officia, Rex de Iustiniano Palatinis diceret. *Legatum habemus Venetorum, qui me fideiubente, vos non decipiet, cum sit proles Sanctorum*. Hic Hispano quamvis implicitâ bello Galliâ, militem tamen in suppetias scribere Venetorum, Antesignanos centuriare, Strategos, Duces (inter quos Mars ille Gallicus Marchio S. Andreæ Mombrunius) Probolarios, *quamvis* petitum sæpè, Iustiniano negatum nunquàm.

Mementote navalem expeditionem octo millibus suffultam peditum, duce *Belfortio*, quam Rex misit in Turcas, Iustiniano orante, & secedere nolente, priusquàm Rex fidem interponeret, quod Primò vere movèret in Barbaros. Secundam adjicite expeditionem, quam ex Honorariis excitavit Aquila Iustiniana, duce Rohannensi: admirante Ludovico juventam nobilem, ferocem animo, superbam opibus, solo relicto patrio, vasto se committere pelago ex solâ libidine gloriæ. Rex cupidus arcanum assequi, quo Iustinianus Galliam viduabat nobilitate præclarâ (suprà mille namque nomina dederant) ut in fatalem plagam traduceret, ad se accersitum interrogat. *Quâ suada Principes, Duces, Comites, Marchiones è sinu matrum, è gremio coniugum valuisset eripere, ut in umbram mortis traduceret?* Matronæ ipsæ (Iustinianus respondet) *instruxère iuventam. Sexus Fœmineus, qui semper devotus, religione pectora induit virilia. Rogando, arguendo in eam verecundiam adduxit, ut nunc erubescant domi marcescere*. Laudatâ Rex Iustiniani solertiâ non solùm expeditionem probavit, sed nomine & ipse dato, loco personæ contulit, quadraginta aureorum millia. Tertia Gallorum expeditio (*Iustiniano* auctore) fuit Sexus fœminei: quum Gallicæ Amazones susceptâ tutelâ fidei Christianæ, sacro se obstrinxere fœdere, viritim annuam conferendi pecuniam, *donec Cœlum nobis placatum pacem redderet*. Sic Viri exemplo excitati fœmineo erubescerent, otio, luxuque suo Christianam perdidisse Rempublicam. Fœdus tamen Matronarum evanuit, Iustiniano in Patriam recedente, vel procurantibus palatinis, ad effugiendam infamiam, quam eis excitabat fama fœminea. Novissima expeditio fuit Lotharinga mille equitum, ter mille peditum; Lotharingum

Ducem

Ducem Iustiniano excitante, Avorum exemplo, *quod contrà Infideles phalangibus præcedere Christianorum, Domus sit Lotharingæ*. Equitatus porrò cum pabulo deficiente, onerosus urbi crederetur obsessæ, non est receptus. Valida hæc auxilia Regia fulcivit munificentia, quæ Iustiniani illecebris irretita tantum dabat, quantum iste poscebat. Geminavit munera Ludovicus, cum verba Legatus, qui ex collatis centum aureorum, millibus majorem partem in sortem nauticam Batavis erogavit.

Redeuntem modò comitemur in patriam, & post Decemviralem, & Consiliariam dignitatem, summâ cum potestate Continenti Præfectum. Iubilæi instar Hebræi Veneta est Inquisitio; quum clangente buccinâ sacerdotali, prædia priscis restituebantur colonnis. Peccasse pudor erat, & pœnitentia verecunda si voluntaria. Sic apud Venetos pro tubâ Sacerdotali, *Inquisitionis* est nomen. Satis si insonet, ut homines sese componant comissi melioris arbitrio. Plura ergo cum recurrerent eligendorum nomina; nulli tamen competenter, repetita licèt suffragarentur Comitia (censurâ semper odiosâ, vel censore non omnibus grato) audito Iustiniani nomine, superabundavere suffragia, datisque collegis, *Michaele Fuscareno*, qui olim non privatorum advocatus, sed Reipublicæ Advocator, posteà in supremo Sapientum Ordine, fide, prudentiâ, facundiâ consenuit; fastisque Venetis conscribendis delectus, ubi alii desierunt, incœpit, Annales scilicet non tàm conscribendo præteritos, quàm historiam gestis suis exhibendo futuram.

Hieronymo Equite Cornelio, qui ex Magno Sapientum Ordine, Provinciæ Fori Iulii in Fortalitio Palmæ Generalis præpositus, Maris posteà ac Dalmatiæ; Albaniæ bis Imperator victoriis onustus cruentis occupati *Singhi*, atque defensi, propugnatæ *Eudux*, Castrum Novum è Turcarum faucibus ereptum sanguine suo, Reipublicæ asseruit, & in eo navigantibus portum salutis, ac libertatis tutelam, Procurator D. Marci Extraordinarius raro exemplo dictus, successorem habuit in munere Inquisitionis Antonium Barbadicum Senatorem gravissimum, fratrem Eminentissimi Barbadici, quem ex morum integritate, Ecclesiasticâ disciplinâ, Literarum scientiâ, Cardinem meritò appellamus Ecclesiæ. IV. Octob. Anno 1672. Bergomi fuit Iuquisitionis exordium, quam diebus viginti supra quatuor Annos, & quatuor Menses, Vtini absolvit toto lustrato Continente, eà sollicitudine, ut nec Feriis daretur requies. Quinque mille, tercentas, & triginta signavit Sententias auditis partibus; quinque vicibus tantùm à Collegis dissonans, quibus præcedebat ut senior. Ter mille, nonin-

ningentas, & sexdecim in absentes subscripsit, quas *Contumaciales* appellant. *Mandata* supra decenna millia, quibus restitutâ Libertate, apertâ Annonâ, correcto Ambitu, moderato Luxu, pauperes, pupilli, viduæ dote servatâ, vel redemptâ gestientes præ lætitiâ scribebant in superliminaribus domorum *Iò Libertas*. Adductis moribus aureis in sæculum ferreum, vidisses inopem nullo interprete, coram judice sermonis libertate fatigare Magnates, dies jactantem antiquos (quum potentior, qui melior) adire judicem, quasi parentem, qui diù, noctuque ostio cubabat aperto, credens postes suos satis securè, stipari justitiâ, eam dummodò exerceret contrà seipsum. Brixiam cum venisset . . . fœmina Mediolanensis natalibus, & honestate præclara, fortunâ tamen miserrima, prædia sua expostulans occupari ab . . . . . cive præpotenti; nè innocens diceretur perire, quia indefensa: honestati primò Iustinianus consulens, speciosam fœminam religioso suscipi mandavit hospitio, indè liti designato Advocato, cum cognovisset tandem petitionem eius iniustam, curru honorifico remisit in patriam, ære suo pęnam solvens temere litigantium.

Patavii cum duo Causidici . . . . . post longas altercationes transegissent, Iustinianum rogabant, transactioni subscriberet. Negantem urgebant, quòd in voluntariis nullæ sint partes judicum. *Si nullæ sunt partes iudicum* (Iustin. absolvit) *cur iudicem fatigatis? Tribunal non est convenientium, sed dissonantium.* Cautè providens, nè in damnum conspirarent posterorum. Tantis vigiliis vires imminuit, & penè vitam. Bis enim Bergomi, & Rhodigii ægrotavit ad mortem. Medico autem labores immodicos improperanti respondebat. *Nos vitam agimus prò Republica: vos prò familiâ.* Arbitratus rationes populi esse Reipublicæ, & Reipublicæ esse populi: egit procuratorem Reipublicæ, & patrem Populi. Indè longo suæ Inquisitionis lustro, unius tantùm *Guidoti* homicidæ mortem facinorosis obiecit, ut unius pęna foret cæteris in exemplum. Sic nemo justitiam contempsit impunè, neminem Iustitia oppressit iniquè.

Non minora inter Consiliarios, & Correctores assumpti fuere facinora. Eloquentiâ gravis declamationes suas volens vitæ non dissimiles, Græcorum sæpè recitabat proverbium. *Talis* hominibus est oratio, qualis vita. *Sicut uniuscuiusque actio dicenti similis est, sic genus dicendi aliquando mores publicos imitatur. Si disciplina civitatis laboravit, & se in delicias dedit; argumentum est luxuria publicæ, orationis lascivia.* Oravit raro, semper tamen extempore, haud gloriam quærens, sed Rempublicam. Magni animi ambitionem extollenti cuidam ex patribus, me præsente, respondebat. *Magnum regnum*

gnum

gnum imperium sui. Nemo regere potest, nisi qui & regi: Cum nullam ambiret dignitatem, eum omnes prensarunt. Invitum semper, & reluctantem purpura insequuta fugientem, centennis, centennisque suffragiis cum ad dignitatem vocaret Procuratoriam; abstinuit iste, non grave ducens, aliquem antè se videre, cum post se plures respiceret. Ambitio quandoque est habita, quæ erat moderatio, mussitante Senatu: Iustinianum Rempublicam parvi facere, dignitates non ambiendo. Oh sors infœlix! in liberà Civitate servitute detineri spetiosà, & spetie Principatus servire legibus, & magistratibus. Nisi dicamus cum Tullio: *Legibus servimus, ut magis liberi vivere valeamus.* Vitam cogitabat privatam, cum throno sistitur Maiestatis excelsæ. Principatum ambiebant tres Senatores, immò D. Marci Procuratores de Republicà optimè meriti sorte etiam fœlici, Deo tamen (cuius in manu sunt sortes Regum) adverso, qui in comitiis clàm pro Iustiniano vota prænsabat. Triumviri isti, (O digni Principes licèt sinè coronà!) cum cognovisent Iustinianum ex alto vocari, acclamantes unanimes, *Iustinianus regnet*, ad Solium traxere nolentem, eo fœlici præludio, ut cum Princeps in die coronationis suæ (quæ 27. Ianuar. Ann. 1683. contigit anniversaria Bergomensis Episcopatus initi à Daniele Principis fratre) ad Templi valvas congiarium in populos erogaret, argenteo nummo manu Ducis in oculos Turcæ ibi stantis casu projecto (Casu? linguam corrigo. Non casu, sed manum Principis dirigente Deo) Turcam exoculavit. Hoc facto præludens vulnera, plagas, quas Aquila Iustiniana illatura erat in faciem Lunæ. Prognostica hæc in Regibus non contemnenda. Solet namque Cęlum hisce præludiis Principes excitare, quemadmodum Anno primo belli Cretensis, Reipublicæ hieroglyphicum, *Iustitia, & Pax deosculatæ sunt* (quod super Giganteos gradus legit viator) percusum fulmine in solo verbo *Pacis*, unde truncum legeretur, *Iustitia & . . . deosculatæ sunt*, nuncium fuit belli funesti, quod proximè est subsecutum, Iustitià conficiendum, quæ solà Superum supererat testimonio. Sic eodem Anno in Ducali sacello Cretensis quidam imaginem surripiendo paciferam, Cęlo annuit permittente, pacem turbandam in Regno Cretensi per Turcas ab ipsis Cretensibus sollicitatos.

Non insulsum ergo Iustiniani vaticinium, quod impleri cęptum primo ab eius electione convivio, die Marco Euangelistæ sacrà, cum Aquilæ Pontificia, Cæsarea, Veneta, Polona, quæ in symbolis ornabant mensam, supervenientis tabellarii voce animatæ inter tibicines fędera conclamarunt adversùs Turcam; Iustinianus nè videretur confidere in Principibus; in quibus non est

salus,

ſalus,oculis elevatis in Cęlum,ſubmiſsà voce, quà tamen exaudiretur à circumſtantibus, inquit: *Sciant gentes, quia non in gladio, & haſta ſalvat Dominus,ſed in nomine Domini exercituum.* 1. Reg. 17.

Sic quum in aulam Auditorum ductus ab Aloyſio Gritti Senatore ſeveritatis antiquæ, & tanquàm Seniore Comitii (quod XLI. appellamus) ad juſtitiam præmonitus, quòd ibi per triduum,cadaver eius ſiſtendum foret, & judicandum, non minori pietatis documento reſpondit: *Scimus,teneri Principes rectè agere, non propter cenſuram,ſed propter conſcientiam.* Reipublicæ gratias agendo, tria cum ſe propoſuiſset acturum, Imperare, Iudicare,Deum colere: ita Imperii eſt moderatus habenas, ut re non minùs quàm verbo ſe vocatum diceret ad officium,non ad regnum. Mirificè cauſarum,litium, rei navalis de expeditione ſollicitus, Magiſtratus,Aulam eà frequentià ſubiit: ut toto luſtro ſui Principatus urbe nunquàm relictà,nulla Rogatorum, Decemvirum, vel Suprema ſint acta Comitia abſente Principe, niſi infirmitate præpedito. Immò in lecto doloris decumbens Secretarios frequentiores voluerit,quàm medicos dicens: non niſi poſt Rempublicam licère Principi, curare corpus, vel familiam. Horis nocturnis vacante Senatu, cum Sapientum convivio animum recreare crederetur ſollicitudinibus feſsum, Interlocutores inquirebat cautè, quid diceretur, quid ageretur in urbe, & ſpetie eruditionis, Criminalia ſæpè tractabat, ut in throno non minùs judicem ageret, quàm advocatum. Privatorum jura credens publica, publica privatorum, oravit ſæpè contrà ſeipſum, repetito apophtegmate, *Venetos eſſe regendos iure paterno, non more Principis.* De Eccleſià ſi arcana recurrerent; ei una ſententia placuit. *Adoranda potiùs, quàm diſputanda. Meminerint, Venetorum Principem eſſe Petri advocatum, nec unquam Marcum conſpiraſſe adversùs Petrum: immò Evangeliſtam cum Apoſtolorum Principe ſuum contuliſſe Euangelium. Propterea quæ Cæſaris, Cæſari, quæ Dei, Deo.* Pontifici obloquentes verbo corrigens acerbo, vel ſupercilio exclamabat; *Si crederent, non maledicerent.* De ſacerdotibus dicere ſolebat: *cum ipſis agendum, quemadmodum cum genitoribus filii apud Romanos, qui cùm patre nunquam lavabant in balneo, nè hominem ſibi ſimilem eſſe cognoſcerent, ſed Deum crederent.* De Eccleſiarum cultu ſollicitus, Excelſo illi Magiſtratui præpoſitus, cuius manum (Balthaſsaris exemplo) ſæpè videmus ſcribentem in pariete, brachium verò nubibus involutum, vocatis ad ſe Eccleſiarum Rectoribus inquit: *Eccleſiæ clavibus clavum libenter Princeps adiiciet, nè Domus Dei fiat ſpelunca latronum, ſi vel in tenebris prophanatores nobis innoteſcent. Vigilate, quia Paſtores eſtis præpoſiti ſuper gregem Domini.*

Nomen Domini ſi ab aliquo homuncione blaſphemari continge-

tingeret: tremebat, fremebat. Sacro muniens se signo Crucis; quasi Dæmonem repelleret irruentem, ter repetito versiculo *sit nomen Domini benedictum*, viciniorem ingrediebatur Ecclesiam, ut pro blasphemo intercederet. Rogatus sæpè ab affinibus, vel Palatinis apud Ecclesiarum Rectores, & Cleri moderatores, commendare domesticos respondebat, *quæsisse claves Ecclesiæ, nec invenisse*. Immò Venerabili Congregationis S. Mariæ Formosæ spontè offerenti Cappellanum eius *ad integram* (Honor est Ecclesiasticus (*Portionem assumere, considerare imposuit, ne aliquem offenderent*. Instante F. . . . . Ordinis Seraphici, ut Capitulo Provinciali commendare dignaretur Foroiulienses, stomachatus Princeps quòd Seraphici quæ sua quærerent, non quæ Christi: in Supplicatione solemni, quæ Anno 1687. Calendis contigit Ianuarii, inter concionatores non admisit Seraphicos, licèt Venetà pietate nunquàm exclusos, ut placidè revocaret errantes. Cæterum eà veneratione prosequutus est Ecclesiasticos, ut inter privatos parietes nunquàm eos pateretur capite discooperto. Confessarium suum *F. Laurentium Iustinianum Carmelitam Discalceatum*, & meum fratrem secundùm carnem, unà tantùm vice extra tribunal pœnitentiarium alloquentem sustinuit, nè ex usu & consuetudine hominem cognosceret, quem timere volebat ut Deum. Senatores, Cives si aliquàndo vocaret, rogaret, semper in aurà tenui, & nè preces crederentur armatæ; non audiri quandoque gaudebat ab iis, quos semper exaudiebat.

Ecclesiasticas dignitates cum sæpè petentibus non contulerit, respondebat ambientibus: *Querelas instruerent contrà Innocentium XI. Christi Vicarium, à quo didicerat, Præfecturas Ecclesiæ non ambientibus distribuere*. Regimen Ducalis Ecclesiæ, cui ex Romanorum Pontificum privilegio, præsunt Venetorum Principes, *Soli Domini, & Patroni*, zelantissimo Ioanni Baduario eiusdem Basilicæ Primicerio (Hunc Princeps ob morum honestatem, & sacram eruditionem Ecclesiæ præfecerat, & prætulerat affinibus suis) commendans, excusabat ut plurimum, *Satis sibi onerosum, rationem reddere Principatus, etsi Ecclesiam sibi non superimponeret, cuius volebat esse filius, & non patronus*.

In sacello D. Nicolai diù, noctuque votis intentus, ut populo annonam exposceret, eaque fruge impetravit; ut etiam bello sæviente Barbarico, frumenti modium unius nummi pretio venale dederit, nec emptorem habuerit. Est hæc pars sæculi aurei. Arma tractare semper victricia, & otio marcescere.

Huc facit pactum initum cum D. Nicolao, die electio-

nis suæ. Circa meridiem ex comitiis descendebat coactis ad implendum thronum vacantem mortui Principis Aloysii Contareni, Sacrum quærens sollicitus nec inveniebat: cùm invitatus à Ceremoniarum Præfecto in sacellum D. Nicolai, quòd tùnc àd reponendos pluteos, & forensium disputationes usurpatum jacebat squalidum; miseratus Iustinianus sacri loci paupertatem, & ignominiam, cœpit ex corde à Sancto illius aræ tutelari, Principem intercedere futurum, qui sacellum illud purgaret, ac D. Nicolao honorem, & cultum restitueret. Vota suscepit Sanctus; eo enim intercedente, die crastinà Iustinianus ipse, Princeps designatur invitus, qui pacti memor aram protinùs repurgatam frequentari voluit sacrificiis, & holocaustis, eo cultu, ac Nobilium frequentià, ut sacerdotes supra viginti, Hostiam Deo immolent sanctam, & immaculatam. Originem etiam huius sacelli libello typis dato, omnibus notam voluit; Anno scilicet 1200. D. Nicolai auspiciis, *Henricum* Dandulum expugnasse Byzantium, nostroque sæculo, non nisi per milites sanctos è manibus Barbarorum redimendum amissum.

Hoc in sacello geminà apertà fenestrà; alterà ex Regià post publicam populorum audientiam, tribus sàltem adstabat Sacrificiis devotus, semper genibus flexis: alterà Davidem æmulatus, D. Marci respiciebat in templum, excubias agendo super Arcam Domini: unoque oculo aulam, Ecclesiam altero custodiendo.

Lex, & Religio iunxere fœdera; pravas
Hæc mentes hominum corrigat, illa manus.

Eà animi consolatione sacram Missam auscultabat, ut morbo ingravescente lethali, quo die obiit 24. Martii, cessari noluerit à Sacro, rogans: ut quemadmodū omnibus diebus vitæ suę cultum impleverat; ipso die obitus, Deo indulgente permitteretur Hostiam adorare immaculatam. Exauditus est planè, & plenè. Cum enim præceptum illà die legeretur in Euangelio. *De peccatorum remissione non septies facienda, sed septuagiès septiès*, plenus spe, & charitate cœpit Deo gratiàs agere, veluti de Christi misericordià securus. Hieronymum, Augustinum cum avidè legeret, vocatus in aulam lamentabatur, quod deserere cogeretur *Civitatem Dei*. Suadentibus à tot molestiis quiescere tandem, nec tantis animam fatigare vigiliis, monitum objiciebat Dominicum, *Vigilate, & orate*. Ipso in convivio cum semper verba misceret cœlestia, commensali arguenti F, Danieli Seguastæ *prandendi horam esse, non concionandi*, respondebat: *Dei verbum cibum esse, quo animæ saturantur, & corpora*. Nonnè dixit Christus: *Non in solo*

pane

pane vivit Homo, sed de omni verbo, quod procedit ex ore Dei? Aulâ feriante insulas adibat vicinas, præcipuè ubi Hostia Sacrosancta erat exposita, quam saltem in Mense pià cordis compunctione sumebat. Templa quærens ubi longè ab hypocrisi occultus, & gemens, cum Monachis in choro psalleret, Davidem æmulatus Regem, cui si otium componendi carmina Deo; eadem saltem tenerentur Principes legere, & recitare. Siscitanti cur semper Templa inquireret invisa populo? Christum adducebat in exemplum, qui oraturus ad Patrem secessit in hortum trans torrentem Cedron. Misteriis frequenter, & meditationibus involutus Theologos interrogabat venientes, de arcanis divinæ legis, quæ sæpè non sine rubore ignorabant. Hinc Agryptico fatigatus morbo noctes percurrebat insomnes, arcana mente revolvens: domesticis à contemplatione vacare suadentibus præceptum Domini 1. *Iosues* Principibus objiciebat impositum. *Non recedat volumen legis ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus, ac noctibus.* Huius timore in asceterium fugere meditatus coronà deposità, abstinuit; nè votum profanaret, & pactum cum D. Nicolao initum, quo prænsante credebat, à Deo se ad Principatum assumptum. Vt quiesceret tamen, non una sententia satis. Consulti austerioris instituti Patres, scrupulo liberarunt, & æstu, desperationis prognostico, si abiecto diademate recordaretur, *Coronam suscepisse cogente Deo, deposuisse suadente homine.* Dubius porrò nè prosperæ fortunæ cursu quasi Syrenarum cantu delusus, aurà falleretur inani; congaudentibus occasione diuturni triumphi imponebat; *Deum rogarent, nè Rempublicam derelinqueret.*

Anno 1686. 7. Septemb. horâ 20. Expugnatæ Budæ fœlici nuntio recepto, flexis protinùs in terram genibus, altà voce *Te Deum* intonuit, & usque ad ultimum versiculum cum adstantibus recitavit. Altera die in Basilicam descendens cum Senatu, & Oratoribus Principum repetivit: eadem pietate servatà quoties fausta recurrerent; propter quod magnà populi lætitià cum in publicum prodiret, acclamaretur. *Il Principe delli Te Deum laudamus.* Eius imaginem cum Eques, & Procurator S. Marci Angelus Maurocænus ad Sarmatas Legatus Extraordinarius Regi offerret *Ioanni*; hoc susceptam elogio Rex invictissimus (*Gratissima mihi imago istius Principis, qui sanctè regit Rempublicam*) appendi voluit in suo cubiculo, ut sibi foret justitiæ exemplar, virtutis imago.

Legatus eius Extraordinarius *Io: Stanislaus Sbonki* Episcopus Premislayiensis; ac Reipublicæ Senator Polonæ, cum in pleno

Collegio, ſermone peroraſset Latino; expoſitas Iuſtinianus excipiens periodos, quamvis ex tempore, tàm eleganter reſpondit, ut ſecedens Polonus viciniſ diceret; *Cum crederem me ad Venetos verba facturum, Romanos inveni*. Moſchorum pariter Ablegatus cum ſuæ legationis reſponſum per interpretem expectaret, in quem intentus ora tenebat: verba Latinè faciente Principe, admiratus Moſchus viciniorem interrogat Conſiliarium, *Habetis ergò Principem Latinè loquentem?* Conſiliarius abſolvit. *Dei Gratia habemus Principem, qui reſpondet Hebraicè, Græcè, & Latinè*. Verè Hiſpani, Galli, Itali, Latini, Græciperitus idiomatis, conditionem dicebat infœlicem regnantium, ſi more cœcorum, Regnum, Vitam, Famam interpreti concredere tenerentur. Turcicam ſolummodò viſus abhorrere linguam, quam *tympanum* credebat *Irati Dei*.

Anno 1687. Menſe Auguſto cum *Muſtaphà* Naupliæ Baſsà, eiuſque frater *Aſſan* Baſsà dedit à Peloponneſi Regiâ, Venetias ſe contuliſsent, poſcentes obſequii causâ admitti in conſpectum Principis (quem crepidis adiere depoſitis) Annuit oſtiario dicens: *Arcus iſte Dei, ſed in nubibus Cœli*. Quid enim arcus in nubibus? niſi arma divinæ Iuſtitiæ tholo Pietatis ſuſpenſa veluti in triumphum?

O Aquila Magnarum alarum grandis, cuius triumphos poſteri credent forſan fabulis involutos; cum in Annalibus Venetorum recurret Reſpublica bellum agere adversùs Mundi tyrannum non in tutelam, ſed in vindictam; poſtquàm triginta per Annos Cretico fatigata bello, ærario pauper, ſpoliata milite, orbata regnis; crederetur ab æmulis animam trahere. *Non aliter in caſtra deſcendunt Reges, auctore Deo*. Iuſtiniani buccina militaris erat tuba ſacerdotalis. Arma Principis lachrymæ, & orationes; quibus, repetitis miraculis Barbaros catenavit, ereptis urbibus, ademptis regnis, redemptis Provinciis, clauſo Mari; *Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltavit me*. Principem dicite Miraculorum, quo regnante, Reſpublica ſedendo potiùs, quàm pugnando, imperium propagaverit ultrà dimidium. Gregorium dicite Thaumaturgum, qui hinc emigrando, vix tredecim Infideles relinquat, cum tot fideles invenerit ſui Principatus exordio. Quantum Terræ, Mariſque reliquerit, quo, in orationibus ſuis ſpoliavit Amorrhæum, Leucoſiæ à ſcopulis, & totam per inſulam uſque in Acarnaniam apluſtria ſuſpicite læta. Declinate Nicopolim, cui nomen victoria fecit. Ambraccii ſinum veſtra navigia calcant. Peloponneſus adeſt, provinciis octo peninſula grandis, inter Patras, & Naupactum gravida mari. Rhizonicum cuſtodit ſinum *Caſtrum* veſtrà victo-

victoriâ *Novum* ; donec Byzantium immò Hierusalem redeat Aquila Grandis.

Nil mirum; cum Cœlites haberet sub signis. Quo stipendio ? stipendio Iustitiæ,cuius Deus ipse tenetur stare decreto. Propterea duorum, & quinquaginta mensium longissimo spatio, quo Inquisitorem egit in Continente, duobus solummodò intra Annum diebus,Christi nascentis,& resurgentis tribunal clausit: reliquis quamvis festis, & sacris, audiendis litigantium querelis totus intentus,nec in Sabbatho requievit. *Vivorum namque & mortuorum iudex*(Iustiniani sunt verba)*qui post mundi opificium quievit in Sabbatho, eodem in Sabbatho auscultabat clamores pauperum.*

Vos viduæ (appello testes) *quæ habitatis in Domo Dei,non in tabernaculis peccatorum*, quo patrono? quibus strenis? quantâ pecuniâ emistis mansiones illas? Interprete paupertate,pretio lachrymarum; cum honestatem patritiam frigore oppressam & nuditate cognovit Aquila Iustiniana, non ad munera respiciens, neque ad personas, *sub umbra alarum suarum protexit nos*. Nobis orantibus, *Turbabantur magnates à facie eius,patris orphanorum, & iudicis viduarum.*

Perambulante Principe ad auram post meridiem in aulà, quæ dicitur *Convivium Pinguium*, remotis ostiariis, me tantùm latus stipante sinistrum; pauper quidam recluso velo introivit audacter. Togatus quidã,qui & ipse stabat ad ostium foris,exemplo pauperis excitatus,gressu præcurrens velocior obtulit libellum supplicem. Audisses tunc Principem irato similem castigare venientem. *Si ingredi Domum privatam nulli permittimus invito Domino? quanto minùs palatium Principis?* Se excusante Togato,calcasse vestigia pauperis. Absolvit Princeps: *Et adhuc nescis aulam Iustinianam esse Domum pauperum? Vade, inquire, nec redeas, donec de hac veritate securus.* Idem agitur in throno Dei, ad quem pauperes ingredi non prohibentur vel per januas, vel per fenestras. Verè pauperum advocatus eleemosynas iterum erogare rogatus ad renovandam D. Pantaleonis Basilicam (cuius in opus jam aurum liberali pietate contulerat) respondit; *vivum Dei templum, Pauperes esse*. Non legistis apud Patres,quòd *ornatus Sacrorum,redemptio est captivorum?*

Et hæc portio stipendii ab eo soluti commilitonibus sanctis. Portio altera; Munera non muneri distribuere; non carni, & sanguini; sed ætati, virtuti, sapientiæ. *Si mei non fuerint dominati; tunc immaculatus ero*. Aphorismus, quem Princeps dietim assumebat in symbolum. Dicite vos Præsules Marcianæ Basilicæ: Quot inter nos dignitate refulgeant, qui post viginti Annorum servitium jacebant languidi,ab eo promoti,licèt hominem non haberent, qui mitteret in piscinam? Immò ipsi refulgeant æmuli Iustinianæ

 gentis,

gentis, quibuscum inimicitiam facesserent palatini, nè eos promoveret, respondit Princeps: *Ex hoc propterea eos exaltare tenemur, cum vicarii simus illius Regis, qui legem imposuit; Diligite inimicos vestros.*

Hoc stipendio Cœlites Veneta conduxit in castra, & more vetusto quasi clavo fixit inter altaria, ut Sancti ipsi nobiscum triumphare, vel cogerentur perire. *Regnum Cœlorum vim patitur*, largitionum in pauperes, vel ad virgines elocandas. Hisce artibus Aquila Iustiniana sedem repetebat antiquam, Byzantinam hæreditatem. *Virtus Domini erat cum illo.* Innocentii XI. R. P. verba sunt, qui teste *a Eminentiss. Colloredo* à die coronationis suæ Principem nullà hebdomadà sine benedictione reliquit, clamans. *Vtinam Iustiniano similes essent reliqui Reges terræ.*

Sanctissime Pontifex, Beatissime Pater? quo luctu, quo planctu mortem accipies charissimi Principis, cum quo (ut sæpè dixisti) non dubitabas etiam adversùs Acherontem arma movere? Interroganti, quomodò ceciderit sanus jam factus? dicam. Mors Venetam delusit Rempublicam. Mors namque irretita lachrymis populorum, orationibus Provinciarum, simulato recessu decepit. Civitate enim orante, cum Mors Principem aggredi non auderet, sanum finxit; ut Civitas ab oratione cessaret, & Rempublicam securiùs falleret.

Et tu Anima regalis cur decipi es passa? Quum toto ludimus Orbe, oculos claudis, & quasi naufraga clavum projicis, in tempestate recedens? Non recessit, conscendit altiùs, ut è speculà Cœlorum, Reipublicæ consulat infirmitatibus. Hoc Anno, quo de terrarum certamus imperio; cum timeret sollicitus, in terrà stando, non audiri in Cęlo, vel non exaudiri, volavit ad thronum Dei, ut ibi cum B. Nicolao, & Laurentio Iustinianis Deum precibus urgeat, emolliat lachrymis, expugnet orationibus. Hinc moriens religioso S. Francisci sacco cooperiri prohibuit, indignum se mortuum putans illo cilicio, quo vivens non maceraverat carnem. Indui tamen voluit lugentis habitu, ut pęnitentis exuviis Deum placare posset nobis iratum. Moyses erit inter B. Nicolaum, & B. Laurentium, qui manum elevando, vos Veneti Heroes, excitabit ad palmas. Deus, qui in Trinitate gaudet, cum duos Iustinianæ gentis teneret Beatos, exegit tertium, ad tutelam Reipublicæ

Chri-

a *Nota literas Eminentiss. Colloredi 3. Aprilis 1688. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? dum amisimus nostrum Serenissimum, vel Sanctissimum dicam; nescio aut Serenissimum, & Sanctissimum Principem Iustinianum. Die Iovis, cum Beatissimo Patri Innocentio XI. obsequia filialia eiusdem Iustiniani exposuissem novissima; á lachrymis continere non valuit; eoque affectu, & paterná charitate respondit, qualem decebat erga Principem Sanctum.*

Christianissimæ. Moriens, vocibus expiravit alternis,& quasi in choro caneret,unà vice animam,alterà vice Rempublicam commendando. *Non aliter expiravit Deus, postquàm Verbum factum est caro*. In pervigilio abiit Verbi Incarnati,ut festo interesset,quod Sancti in Cœlo celebrant, & pro Annuntiatione Deiparæ, & pro nativitate Reipublicæ Christianissimæ; nè aliquod discrimen subiret Respublica,si inter Matrem Dei,& Matrem Fidei(quæ est Respublica) fœdera renovarentur absente Principe. Si enim Christi est, redimere Mundum; Venetorum est, tueri redemptum. Hoc voto Aquila Iustiniana volavit ad verum Iovem, ut cum eo armata fulmine, primo Vere iterum descendat in Barbaros. Testem profero Ecclesiam universam: eo namque die expiravit, quo canitur in Euangelio: *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlo*: Vt exemplar initi fœderis cum Christi Vicario, cum Petri advocato Leopoldo I. Romanorum invictissimo, religiosissimo Imperatore,ostentando ad tribunal Dei,spargendo in curià Cœlorum, Sanctos excitet in suppetias. Quiescite ergò abstergite lachrymas, quemadmodom enim in Cœlos ascendisse credimus; ita veniet, & cum eo multitudo militiæ cœlestis, qui in Terram Promissionis restituant Rempublicam Christianissimam.

Hæc volens Senatui innotescere, Vigiliam Annuntiationis præfixit funeri, dicens: *Hoc die in Ecclesià iacebo*: nè Mors antè hunc diem auderet accedere, & ut Patres de optimo Principe providerent,quem ipse præviderat, & prædixerat *Franciscum Maurocenum*, nè in posterum dubites *Maurocenum* Principem dictum, *ut adimplerentur Scripturæ Prophetarum*. Salutem adhuc adulantibus medicis: in nepotem conversus, postquàm historiam recitasset Gallorum Regis, qui expiraverat inter consilia medicorum, adiecit. *Actum est de hoc Mundo Antoni: O quàm peritus,& suavis medicus est Sacerdos!* In Mortis articulo sedere voluit: nè obiret more Romano,sed Christiano. Gentilium namque si est Imperatorem mori stantem: Christi fuit, in Cruce mori sedentem. Solus inter Venetorum Principes legitur obiisse sedendo; quòd solus satis posteros edocere,sanctè vivere, & benè mori. Sed unde C. P. vestrum Principem defertis ad tumulum sine coronà. Cornu est quidem diadema Regum, non tamen sine fortunà.Laureola virginitatis, soliùs est diadema virtutis, quæ cum sit in carne, vitia carnis ignorat. Cum venerit ad thronum Dei, coronà retentà non imperii, sed virginitatis coram eo,qui est Rex Regum, more stabit Hispano, capite cooperto,cum reliqui priusquàm accedant, coronas suas in mare projicere teneantur.

Nec vacat mysterio Cereus Iustiniano transmissus Principi à Sanctitate Innocentii XI. Summi Sacerdotis, Principis Apostolorum, & Prophetarum forsan (dicunt aliqui) ut ceræ symbolo Iustinianum lucernam diceret supra montem positam, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Vel mecum dicite; ut Iustinianum paternè excitaret ad virginitatis custodiam, per ceram significatæ, quam Apes opere virginali producunt.

Ex pulsu imminere sibi agnoscens mortis articulum, ut mori appareret, quomodò mori solent Heroum Animæ, *gradiendo*, *non fugiendo*, dixit primò: *Deficit vena, secedit vita.* Indè cubicularium interrogavit, *An sciret, quomodò moriantur Principes?* neganti adiecit: *Vigila, nam post brevia suspiria, animam dabimus Creatori suo: Litanias interim recitemus Sanctorum.* Cum ipse responderet, *Ora pro me:* gemebat dubitans non tremere, & dolere satis. Cum venissent ad Invocationem *Sancti Marci*, placidè expiravit, respiravit, Fœlix obitus, expirare in osculo pacis. *Pax tibi Marce Euangelista meus.* Æmulos hic factos crederem Sanctos, volentes singulos animam suscipere Principis Iustiniani. Sed Deo volente, vicit Marcus; ne iniuria fieret Euangelistæ, si Sancti alii falcem ponerent in messem Marci. Eius si inspicias linguam, Marci invenies signatam symbolo, ut pro certo habeas; Veneti in ore Principis haberi semper Euangelium, & Euangelistam.

E P I T A P H I V M.

In Ecclesia S. Francisci in Vineis.

D. O. M.

Marco Antonio Iustiniano Venetiarum Principi G. V. I. qui post amplissima munera domi, forisque honorificentissimè gesta omnium magis, quam suis votis ad Patriæ fastigium evectus, Rempublicam difficili tempore acceptam Castro Novo, Leucade, Nicopoli, Naupacto, Athenis totaque Peloponeso auctam reliquit, in cuius Principatu undequaque Faustissimo nihil præter diuturnitatem universi desiderarunt. Daniel Episcopus Bergomi, & Ioannes Eques Optimo, tàm Fratri, quàm Principi P. P.

Obiit Anno Domini 1688. Ætatis 69. Principatus 4. suo magis quàm Reipublicæ tempore.

Nummismata Publica.

Quatuor recurrunt, quorum frons semper eadem cum Euangelista Marco sedente, vexillum porrigente Duci in genibus flexo.

XO. *S. M. Ven. M. Anton. Iustinianus*. Adiunge nomen Præfecti Monetarii D.P. quod annuatim mutatur cum Anno Principatus I. II. III. IV.

Vrbs Veneta exhibetur in adversà parte primi nummismatis cum clasſe in Turcas vela dante, deſuper Angelo cornu tenente ſiniſtrà, & dexterà Deum omnium motorē, qui eū miſerat monſtrante ſub lemmate, *Dèo ducta Duce*. Antiqua namque Iuſtinianæ familiæ ſententia, teſte *Bernardo Iuſtiniano lib.* 1. *ut tantæ Vrbis nullus agnoſcatur auctor præter Deum, cum reliquæ urbes hominem, vel falſa Numina ſibi aſſerant*. Vno lemmate Princeps plura aſserit, Vrbem primo ipſam à Deo conſtructam non ab homine: ſecundò Cornu ſibi minimè ambienti delatum, prænſante Deo. Deo tandem impellente, initio ſui Principatus, bellum indixiſse (quod ſine exemplo) Othomanæ tyrannidi, quæ unico ambitionis æſtro, Rempublicam tot Provinciis exuerat. Ad Leucadem itaque miſsà claſse S. Maura, arcem Ionio infeſtam, 17. dierum obſidione capit, eademque fortunà Nicopolim cum ingenti commeatus copià, quam ibi Turcæ coacervaverant.

In obliquo ſecundi nummiſmatis Leo Venetus An. 1685. in pedes erectus cum gladio ad deditionem Coronim urget Peloponneſi, ſub monte Thermatio, cæſis priùs Barbaris, qui ad tutelam urbis ibidem caſtra tenebant; dumque obſeſſi deditionis obtentu, ſuffoſſis cuniculis Venetos opprimere tentant, ab iſtis ſubità impreſsione intercepti incolæ, & præſidiarii omnes efferà militis irà trucidantur. Tantam victoriam ut Deo cederet auctori Iuſtinianus, ſub epigraphe ſculpſit. *Fortitudo mea, & laus mea Dominus*. ΚΟΡΩΝΧ.

Anno III. exhibetur Dominus ex alto fulminibus Lunam petens inſigne Turcicum, expugnatis Pilo (veteri Navarino) & poſt acrem cum Turcis pugnam, in quà 800. papiliones cum impedimentis nobis ceſsere, etiam novà arce; 3. Id. Iulii Methone Turcici in Peloponneſo imperii ſede, IV. Kal. Septemb. Nauplià (Neapoli Romaniæ) ſitu, munimentis, incolarum numero inclità, prælio conſerto in urbis conſpectu, nobis præeunte Deo (ut in nummo Anni III.) fulminibuſque perſequente Lunam (quam ſub epigraphe *Donec totum impleat orbem*, pro inſigne Gentilitio deferunt Barbari) lemmate Iuſtinianus inſultat adverſo, *Donec orbata Orbe. Vicit Leo*.

An. 1687. Principatus quarto, die x. Kal. Aug. exſcenſione in Peloponneſo factà, *Patras* Maurocænus (licet adhuc non adveniſsent Auxiliares) fugato Seraſcherio, deditione recepit. Inde in ſinum Corinthiacum illatus utraque arce ad freti fauces potitus, & urbe

Nau-

Naupacto potitus, fugiente copiarum præfecto, qui cum septem millibus non longe castrametabatur. Pridie Idus Augusti Corinthum Barbari flammis dedere, quà occupatà, ad sinum Saroni cum proris conversis, expugnatà *Cyllene*, seu *Castro Tornesio* Athenas Maurocænus venit; ubi 600. Turcæ in arce inclusi justo exercitui resistere ausi, post aliquot dierum obsidionem armis spoliati extrusi sunt. Virtute non minori *Hieronymus Cornelius* in sinu Rhizonico, solis Venetorum copiis, pridie Kal. Octob. Neocastrum (*Castel Novo*) tentat, & fortiter per dies 30. à Barbaris defensum expugnat, postquam Seraschierium retudisset, qui cum justo exercitu obsessis suppetias laturus accurrerat. Hinc Leo in quarto nummismate palmas stringit sub epigraphe *Solus, & Simul*, quod eas soli Veneti sanguine collegissent absque auxiliatoribus. Infra habes L. P. nomen præfecti Monetarii.

Defuncto Principe Iustiniano, proponentibus Legum Correctoribus, decretum in Maiori Consilio, die 31. Martii 1688. nè Insignia Principum Gentilitia, quæ in Templo Ducali S. Marci, more prisco appensa pendent, ad excitandam in civibus memoriam eorum Principum, qui ære, consilio, sanguine Rempublicam promoverunt, exigendaque ad animarum suffragia, fidelium preces, longitudinem non excederent quinque cubitorum, & trium latitudinem sive lignea fuerint, vel argentea; nè pietate & religione introductum convertatur in fastum. Propterea [Insignia Gentilitia, quæ pompà fuerant constructa Regali, cum novo M. Consilii prohibente decreto appendi prohibita in templo D. Marci, (ubi alia occurrunt ad mensuram decreti) in Ecclesia] pendent D. Francisci, in Vineis.



FRAN-

FRANCISCVS MAVROCÆNVS
DUX CVIII.

Creatus 3. April. 1688. Obiit 6. Ianuarii 1694. in Epiphania Domini Aetatis suæ 76.

Mausolæum à Republicà ei positum in aulà Scrutinii.

In quo diligenti penicillo coronatus triumphat sub epigraphe *Bello, & Pace.* Alterà in tabulà *Conflictus exurgit nocturnus*. Tertià in tabulà *Peloponnesus* imperio adiecta Reipublicæ. In quartà *Leucades &*



Nicopolis cum adiacentibus. In quintà *Quatuor Generalatus* Maurocæno commissi. In sextà *Gladius & Pileum* ei missus ab Alex. VIII. R.P. Omnia sub excelso & gravi laconismo *Francisco Maurocæno Peloponnesiaco Senatus. An. 1695.*

Im-


Mperatores Maritimi quomodo fiat, si nescis, tyrocinium excurre. Francisci Maurocæni Venetorum Ducis Anno natus 1618. usque ad Salutis trigesimum sextum, Domi constitit, pubertatem expectans impatiens, ut ferrum tractaret in Barbaros. Hinc duodevigesimo ætatis Anno, cum propter minoritatem togâ prohiberetur, loricam induit, tesserâ assumpta navali, conscensaque triremi ut Nobilis (tyrocinium hoc Venetæ juventutis inter patritios Nauticam profitentis) nomen dedit inter gregarios Martis atque Neptuni. Inde per gradus ascendens, Trierarcha, Gubernator Quinqueremis, Provisor Adriaci, Quinqueremium director, totius Classis Architalassus, Castrorum Præfectus Cretensium, Maris tandem Imperator, usque ad Annum Salutis 1661. per Annos xxv. ad limina senectutis pervenit. Spatio namque minori nequeunt adiscere homines imperare Ventis & Mari. Hoc longo temporis spatio (quo penè absolvitur vita hominis) sæpè pugnavit, ad Aulonem cum Africanis, ad Cyclades cum Turcis, toto Mari cum elementis, elisis fluctibus, elusis ventis, demersis hostibus, victor semper recessit, expugnavitque tanta propugnacula, quanta sufficiant ad supputandam longævam eius ætatem. Sors tamen, quæ domina campi, nolens eum semper fœlicem, fatali cribravit sydere Cretæ. Quinque jam lustris cum adversùs nobilem Insulam ingrueret Turcarum lacrymabile bellum, quibus adversa omnia, Iovem præter; ut propudium lueret Othomana domus, classem instruit 60000. millibus militum validam, quibus Cretam everteret. Rex ipse in orà Græciæ, ut subsidia procuraret vicinior, & Maiestatis afflatu Duces provocaret, secum duxit pythonissam incantationibus celebrem; ipse Astrologiæ Iudiciariæ non ignarus, non minus Turcis, Nabathæis, charus ac Persis, quia eorum calleret idiomata, cœpit Acheronta movère, à Stygis evocando turbina, & grandines, quibus nostras triremes obrueret. Vizirius per subterraneas concamerationes, & cuniculos pyrio succensos pulvere, ligone irrepens in viscera obsessæ urbis, XVIII. extructis oppugnaculis (quorum tormenta summi ponderis evomentia pilas, Babylonicos ipsos quassassent muros, verberabat mænia, pilicrepis impetebat turres, disiiciebat domos. Vrbem forti munita præsidio, Franciscus propugnabat Maurocæno cuius exemplo, excitatæ Christianorum cohortes, Anno Salutis 1667.) hostem propulsarunt bacchantem, brevi mensium curriculo succensis furnulis 388. Subterraneos iniere conflictus 18. Irruptiones in castra

26. amissis Officialibus quadrigentis: fossoribus 600. Honorariis 180. ultra inhabiles 339. Aggressores incensis furnulis 223. impetus promoverunt XIX. amissis militibus 1500. Fossoribus 5300. Officialibus 3000. inter quos tres Bassà. Anno sequenti, Terra Marique renovato impetu, præcognito Turcarum adventu; cum duodecim triremibus milite instructis fortissimo, ut septem Christianorum triremes in anchoris stantes noctu interciperent; Maurocænus occurrit cum lampadibus, facibus, & armis, initoque nocturno certamine, quinque Barbarorum triremes demersit, duas fugavit, quinque captivas traxit, desideratis Turcarum militibus 1300. ultra 113. Christiana mancipia. Compedibus solvit Christianos 1100. Turcas in vincula traxit 410. cum tribus trierarchis, totidem cæsis. Ex nostris tres desiderantur Patritii; officiales plurimi: milites 210. Remiges 120. ultra Saucios quasi mille. Nec Turcæ feliciores in solo, quamvis 21500. numero aucti cum 58. tormentis, ultra balistas mænia percuterent. Nam Maurocænus ex classe ad castra evocatus solerter providens, fortiter pugnans, quàmvis cæmentis cuiusdam furnuli, penè oppressus, post incensos cuniculos 292. subterraneos conflictus 20. egressiones 47. duodecim repressis Turcarum assultibus, gloriosè triumphat, desideratis hoc Anno patritiis 8. Officialibus 600. inter quos Stator Generalis, quamplurimi Comites, & Tribuni: militibus 5340. invalidis 600. Turcarum cecidere milites 23200. Magnatum 17. Invalidi 6600. incensis furnulis 154. Nec prætereundi toto Orbe celeberrimi Galli. Honorarii venère Dux Roanesius de la Fevillade, Comes à S. Paulo, aliique Heroes glorià cogniti numero 400. unà cum equitibus Hierosolymitanis 60. qui cum Allobrogibus 50. Cretensibus 70. irruentes in hostem, magnà strage turbatis castris, cæsisque Turcarum millibus redière victores, amissis Christianorum 110.

Anno tandem 1669. aucto supra viginti millia obsidentium agmine: propugnantium 2600 peditum: equorum 800. pro Gallicis turmis, quæ sub imperio Ducis Navalliæ, & Francisci Vindocinensis Ducis Belfortii, auxiliares advenerant 7400. nocte 24. Iunii, forti quidem animo exierunt in hostem, sed infelici successu. Altercantes Fortuna & Virtus, hæc ut Cretam servaret, illa ut perderet, Fortuna vicit. Territi namque Thraces cum receptui canerent; nitratus pulvis casu, vel Furiarum facibus accensus? latet, Francos cuniculorum suspicione perculsos sistit, & in uno Belfortio repentè oppresso, totius exercitus opprimit fortitudinem. Quid indè? fortuitò, Gallico mioparone cremato, nec flammarum immuni regià triremi, considerantes non Barbarorum fer-

ro,

ro, sed Christianorum sacrilegio turmas peti; & à Cœlitibus in carnifices delectos Thraces, omnes recessere auxiliares, præcedente Rospilioso nepote & Legato Clem X. die 21. Aug. à Generalium, Ducumque comitiis Vrbis defensione damnatâ, quasi Fato periret; ut jam præluderat famosus ille Astronomus Michael Nostradamus *Cent.4.n.1.*

Cœla du teste de Sang non expandu,
Venise quiert secours estre donnè
Apres avoir bien long temps attendù,
Citè livrèe au premier corn sonnè.

Destitutam cum agnovissent Thraces urbē, ferocissimo impetu cœperunt muros conscendere ovantes, at propugnantium desperatione repulsi, maiora moliri Mauroceno ansam dedere, cuius in auxilium 827. advenerant milites duce Mirandulano, qui contentus Cretica vidisse litora, calcare non ausus, exposito in terram milite abiit. Hoc fultus Maurocænus præsidio, vallo urbem intercidere proposuit. Cum Turriano Melitensium Duce, cæterisque honorariis Principum suorum mandata exponentibus ad recessum, omnium votis, deditio decernitur honorifica, salva scilicet classe, Insulis adiacentibus & fortalitiis, Sanctorum reliquiis, & arcibus in Dalmatiâ per Venetos occupatis. Desiderantur hoc Anno, ex nostris Catharinus Cornelius Venetus Imperator cum duobus patritiis, Comite Valdechio Tulisurgensium præfecto, Pistolotio Hetruscorum Ductore, cum aliis tribunis, chiliarchis & signiferis. Milites ceciderunt 8167. Honorarii Regis Christianissimi 2000. Fossores, remiges 2706. Eruptiones 17. conflictus subterranei 7. Impetus repulsi Turcarum, 16. Incensi furnuli, & cuniculi 482. Tormenta ænea subtus terram sepulta, pyrio tumida 287. Ex Turcis periere Ahrnedus Ianizerorum Aga: Passà Caramaniæ. Milites inclusis fossoribus, 31300. Dum pax agitaretur, custodiebant castra validi milites 24600. Propugnabant mænia 3500. toto triennio, Turcarum desiderantur ultra Præfectos 70000. Honorarii, captivi, fossores 38000. Christianorum, numeratis fossoribus, & remigibus 26000. Senatus priusquàm deditæ urbis certior fieret, gratitudinis ergo, Maurocænum Procuratorem declaravit D. Marci, plaudentibus Comitiis maioribus die 20. Septemb. 1669. Paulò post urbis deditione cognitâ, Patritii mussitare cæperunt, palam arguere, quasi publicâ abusus auctoritate Maurocænus paci indecoræ subscripsisset & inutili. Propterea ab Anno firmatæ pacis juxta vaticinium *Antonii Carnevalii* editum & promulgatum Kalendis Ianuarii 1669. *Domenica à 28. Ottobre, onde viene intimato il Principal Ministro à render conto;*

e con

e con sì rigoroso composto, che vogli la sua sorte non trovi impicci fastidiosi; in Comitiis namque generalibus, Antonius Corrarius Senator morum integritate singularis, minimè tamen concionibus assuetus, Iudiciali genere in Maurocænum invectus, accusare cœpit immeritò purpurà redimitum Procuratorià eum, qui Regni pretio, pacem parasset. Exageravit multa prò legum observantià, àd Inquisitionem tandem provocavit; quæ si in Beatorum Canonizatione non omittitur; tanto magis cum læsæ Maiestatis suspicio urget, prisco venit exercenda rigore.. Arrisit Conventus, Inquisitione commissà; immò in *Advocatorem Communis* Corrarius ipse die 25. Novemb. assumptus novis Comitiis, 4. Cal. Novemb. electionem Inquisitoris à Senatu factam, unà & Maurocæni electionem in Procuratorem D. Marci sub censurà proposuit; die 23. Novemb. similia peroranti, & ordinem præcipuè electionis damnanti Eques Io: Sagredus eloquio gravi, arcanis Legationum venerabilis, sequentibus respondisse fertur. *Mortale quidem infidum fragilibus remis impellere marmor, verberare fluctus, & cursum vento tenère, sed non longè hoc parvo sugestu in turbido mari, vestrorum metere sinus (Serenissime Princeps, Conscripti Patres) At publicæ utilitatis astro, cui Motor paret aquarum, quo felici rate, non bis vela dedi profundo, & nunc secundo fluctu alta secabo. Regiis Comitiis morem, acceptæ purpuræ grates persolvere, Corrarius implet: sed Gentilium ritu, victimam libando, non pecudis, ut barbarorum, sed innocentis Patritii, & de Republica benemeriti: barbarie, & ingratitudine contendens vos antiquitatem vincere. Aureo videtur tonàre sermone, & Demosthenis gererè arma, sed bis supra, Demosthenes ipse ad gratiam concionatus, aureo in poculo propinavit venena. Corrarii facundia pretiosum videtur sepulchrum lapillis fulgens, sed cineribus plenum: duobus carpebat Corrarius Maurocæni purpuram, merito, & ordine, 28. Septembris. Nunc oblitus quod præcedere natura exigit, iuris non servati prætextu confugit ad ordinem. Maurocæni cur merita non recenset? longa triginta annorum serie victricia tractasse arma, Turcarumque opima retulisse spolia? nocturnum cur subticère conflictum? Dicet Corrarius non laudare, sed accusare. In quo accusas? peculatus forsan? absit: Pecunià publicà annonæ Præfectis, Conquisitoribus, Ducibus numerata, reddant ipsi rationem vilicationis. In quo accusat? Creticam deditionem? non solùm totius militiæ, Patritiorum, Commilitonum, Principum, Chiliarcarum, Præfectorum tantarum nationum eflagitantium pacem (nè Creta vi capta, Christianà Ditio Barbaris langueret exposita) Sed iure Senatus, quum repetenti Maurocœno inter Cretica cæmenta pro Patria gloriosè occumbere, mandatur, cæterorum consilio in arena consilium capere, classe salva, Sanctorumque reliquiis. Quid igitur? si Comitiorum obstet consiliis, gloriosam oppetens mortem, reum facis; si pacem præferat, accusas. Quò se vertat, non datur, undique angustiæ: nec moriendo invidiam effugit. Si tot virorum consiliis, imò præceptis iam perditæ urbis glorio-*

sam

Iam comparat pacem, cur solus ascitur, & inter patritios, extraneosque Præfectos, quibus improbatur defensio, in solum Maurocænum invehitur? Invehitur quia vivit, nec demerito, sed gloria invidià excutitur. Mausolæo donarentur cineres, sed quia Fata volvère superstitem, in Fata querimur. Horum cognitio Advocatoris Communis censuram exigit: nec ego consanguinitatis, vel beneficiorum necessitudine iunctus censuram vitupero, sed laudo: Ad hanc provoco Corrarii vigilantiam. Quod si obmutescit in merito, nec de corpore constat delicti, cur non servati iuris prætextu persequitur innocentem? Innocentem, & justum non damnabis, *naturæ lex est. Violat ipse iura, qui legum gloriatur parens. Nemo cum duplici fungatur officio, quomodò idem Corrarius accusator, testis, & iudex? iuris non servati prætextu civem benemeritum Suprema hæc damnabunt Comitia, solo instigante Corrario ab anno firmatæ pacis, & delictum, cuius tamen probationes debent esse luce meridiana clariores, pœna præcedet? Si pœna est mensura delicti, quale delictum vestræ subiicit censuræ Sapientissimi Patres? Purpuram non duplicatis calculis Maurocæno collatam? Quid aliud? non ultra. Hoc dato, qui peccavit, ille qui dedit, vel qui recepit (Non qui recepit, classicum enim pro Patria canebat in castris. Qui dedit ergo. Teneant itaque auctorem suum delicta, & publici erroris innocens haud pœnam pendat. Demus violato iure collatam purpuram: accusantem sentio, defensorem non video. Maurocænum Corrarius insimulat, & priusquam audiat, condamnat. Cum vellet Dominus innocentiæ veste Adamum exuere, sontem licèt, prius evocat,* Adam ubi es? *astantem interrogat;* cur comedisti? *excusantem redarguit: silentem, & confitentem damnat. Et vos non Dii, sed homines: non reum, sed insontem, pro levissima labe, (si sic est) & aliena, inauditum damnabitis? Sodomorum clamor ad Cœlum ascenderat, & licèt oculis Æternæ Sapientiæ nuda sint omnia, & aperta, Cœlo vociferante Angelorum de Sodomis querente Senatu, Natura ipsa accusante naturæ hostes, respondit Dominus velle testibus comprobare questus.* Descendam, & videbo. *Actores replicant, quia pœna non mensuraret culpam: Quomodo qui omnia cognoscis in Verbo, à testibus sciscitaris notitiam? Erumpe Domine, in furore tuo argue naturæ inimicos?* Descendam, & videbo. *Viderat Dominus sontes Sodomas, vidistis vos Maurocænum insontem. Accusabat ibi Angelorum Senatus, hic accusator est homo. Iudices haud Dii estis, sed homines: & homo maiora audet, quàm ipse Deus? & si vos Dii terræ estis, & Dii excelsi homines, cur Deorum non imitamini Deum.* Descendam, & videbo. *Descendite, & videte malignantes Hebræos, cum adversùs Christum, falsum quærerent testimonium, duxerunt eum ad Annam primùm, ad Caiphas, indè à Caipha ad Pilatum, ut acta peragerent: nec diviserunt vestimenta eius, & super vestem sortem miserunt priusquàm crucifigerent. Quid Maurocæni insimulat Corrarius? vestem purpuream: de vita primùm censura exeat, & posteà vestimenta dividat. Hisce commoti Patres, votis nutantibus, in futura Comitia distulère iudicium: quibus nova Corrarii non obstante concione, intromissione reiecta, & Corrario obmute-*

mutescente, à Senatu inquisitione facta, probatus est Maurocænus manibus innocens, *licèt tanti regni jacturam dolens Respublica, civium non pepercerit innocentiæ, quam concivium agitatam discrimine inclinare fas erat, ut surgeret.* Hisce commoti Patres, suspensis suffragiis judicium in futura distulere Comitia, in quibus præteritâ novâ concione Corrarii, cui Michael satisfecit Foscarenus, intromissione reiectâ, factâ tamen per Senatum Inquisitione, probatus Maurocænus *manibus innocens & mundo corde*, desertus ab Auxiliaribus (quorum Duces, Navalliam Rex Christianissimus Ludovicus XIV. relegaverat in campestria: Rospigliosum nepotem Clemens X. P. R. nec videre sustinuit) voluisse, non tamen Fata prohibente, valuisse urbem jam undique quassatam, & ab omnibus destitutam propugnare, sapienter pacem redimisse oblato busto, cujus nulla erat imago. In patriâ ergo quievit usque in Annum Salutis 1683. quum in Viennam Austriæ cum ducentis millibus Armatorum irruente Turcâ, coactâ est Respublica Continentis confinia custodire, & in omnes belli casus, milites vocare sub signis, duce eodem Francisco Maurocæno. Ad iminentis belli nuntios excitati Morlachi in finibus Dalmatiæ, excursione factâ in loca Turcarum, rapinâ onusti in conterminam postea se recipientes Venetorum ditionem, Barbarum excitavere Regem, qui insolentibus minis, centum aureorum millia à Veneto Oratore, in damni (aiebant) compensationem extorsit. Ad duos porrò menses Viennæ obsidione protractâ, quibus in obsessos sævire solet armatus furor, Ioanne adveniente Casimiro Polonorum Rege cum suis Sarmatis, Prid. Id. Septemb. à fœderatis funduntur Barbari eo terrore, ut non milites, sed stolida animalia lanienam viderentur subire. Reduces Strigonium versus, iterum à fęderatis cæsi, Strigonium etiam post brevem obsidionem nobis permiserunt in spoliū. Venetiis, Principe Contareno sublato Iustinianus successerat, qui paucos post à suâ inauguratione menses, inter Missarū solemnia, Cæsari & Poloniæ Regi fœderatam in Turcas pronuntiavit Rempublicā, bello indicto Otthomanorum tyrannidi, quæ unico ambitionis prætextu eam tot olim expoliasset provinciis. Summâ itaque cum auctoritate bello gerendo, tertio præfectus Franciscus Maurocænus, Leucadem duxit (vulgo *S. Maura*) arcem Ionio infestissimam, quam 17. dierum obsidione expugnavit 8. Id. Aug. 1684. indeque, quòd Turcæ Nicopolim non longè dissitam timentes, valido firmassent præsidio, oppida vicina diripuit, ut Turcas in diversa distraheret. Quod fœliciter cum cessisset, in Ambracium sinum reversus, terra marique in vadit Nicopolim, nec nisi tormentis attritam, cuniculisque convulsam dedi-

X tione

tione recepit, cum ingenti bellico apparatu, quem ibi Turcæ coacervaverant. Ad insulas postea digressus Aegei maris, aliquas captivorum raptu, omnes exacto emunxit tributo. Anno sequenti Salutis 1685. exscensione in Peloponnesum factà, Iunio exeunte, Coronim obsidet: castrametantes nõ longè Turcæ, & in Christianorum vallum repetitis aggressionibus irruẽtes, ut ab urbe Maurocænũ avocarent. Occurrit Maurocænus impavidus, consertoque prælio, VII. Id. Aug. fœliciter fugavit Barbaros. Obsessi verò cũ spe deditionis, Venetos vidissent circa mœnia incautè congregatos, suffossis cuniculis eodemque tempore erumpentes ex urbe, Christianos abigere cogitarunt: sed astu intercepti militari, ut progredi nec regredi permitterentur, internecinà clade atteruntur, cedente victoribus urbe, in quà præsidiarii & incolæ ferè omnes efferè trucidantur. Divisis spoliis secessere Auxiliares. Maurocænus verò accedentibus ad obsequium Mainotis fortis, priusquàm hyberna repeteret, bino cum Turcis conserto prælio, Calamatam, Zarnatam, totamque Tzaconiam in fidem recepit. Anno 1686. ad novas offensiones redux Pylon, seu Navarrinum vetus (cuius in portis insignia visebantur lapidea Maurocænæ Gentis, & Maripetræ, ante Annos 200. locata) 3. Non. Iunii, primo insultu occupavit: inde in novam arcem directis tormentis, adfuere Barbari cum suppetiis, ut eam qualicumque periculo custodirent. XIV. Cal. Iulii, prope castra, acri contentione certatum: at nobis fœliciter cedente pugnà, occupatisque tentoriis 800. cum impedimentis, arcem etiam postridie recepit. Movit inde Methonem, Turcici in Peloponneso Præfecti sedem, & quamvis situ validisque munimentis securam, 3. Id. Iulii expugnat cum opimo spolio, quod in eà veluti primarià Regni arce Barbari deposuerant. Victoriam Senatus gratè rependit, inter Equites assumens Francisci nepotem, in posteros etiam perpetuò dignitate transmissà. Methone expugnatà, Naupliam duxit situ, propugnaculis, incolarum numero inclytam, in orà sinus sitam Argolici. Eò præcurrerat Seraschierius Corynthi cum Turcicis copiis; sed prælio conserto, quod validà Turcarum impressione cæptum ante Vrbis conspectum, fugatusque deditionem permisit obsessis, quorum multa millia nè ritus desererent patrios, in Asiam traiecère. Occupatà Nauplià facile fuit, urbes & arces habere vicinas, inter quas Argos. Serpente interim in Classe & castris morbo lethali, hunc, Ecclesiæ Deiparæ (*Vatto Pedi* appellant) restauratione ex voto decretà, cum imagine argenteà, & supellectili sacrà divertit. Voto namque soluto, post menses octo, die 20. Iulii 1687. Salus invaluit. Inde dato classico Patras venit, fugatoque Seraschе-

rio,

rio,qui Vrbi ſuppetias ferebat, eam deditione recepit. Inde in ſinum illatus Corynthiacum, utràque arce ad freti fauces poſità, cum urbe Naupacti potitus, incredibilem rerum copiam ſingulis in locis invenit,ultra gemini exercitus impedimenta, quæ fugientibus Turcis, victori ceſserunt. Pridie Idus Aug. flammis à Turcà datam Corynthum etiam obtinuit, ultro ſe dedentibus Græcis, qui regionem incolebant. Proris poſtea converſis in ſinum Saronicum, Caſtrum Torneſium, antiquis Cyllenem levi obſidione recepit, tentataque inutili tormentorum diſploſione, Epidauro, Athenas venit,ubi ſexcenti Turcæ arcem propugnabant, qui paucos poſt dies exiere inermes, non more militum, ſed prædonum. Tanto imperio aucta Reſpublica, memoriam Maurocæno decrevit, erectà ſtatuà in Decemvirum armamentario ſub epigraphe, *Franciſco Maurocæno Peloponneſiaco adhuc viventi Senatus poſuit Anno M.DC.LXXXVII.* Anni ſequentis 4.Cal.April. in Cęlum abiit religioſiſſimus Princeps M.Antonius Iuſtinianus.Succeſsor ei datus nullo votorum diſsidio Maurocænus Claſsis Imperator, binis adiectis Conſiliariis, cum quibus arcana regiminis communicaret. Princeps volens victoriis coronidem ponere, priuſquam Venetias rediret, Chalcidem duxit, invalidà tamen obſidione, ità forſan exigentibus Superis,ut ſe agnoſceret hominē. Barbari quamvis ab initio obſidionis, inſigni clade detriti, paulatim timore diſcuſso, non ſine gravi noſtrorum Ducum millitumque jacturà, qui inter labores perierunt,fortes urbem ſervarunt. Princeps ex mærore contabuit, ſpe vitæ quaſi deſtitutus. Hinc 12. Septemb. 1689. urgentibus Medicis, regreſsu decreto 11. Ianuarii, litora appulit D.Nicolai, occurrentibus duodecim Oratoribus à Senatu miſſis, paulo poſt eodem Senatu cum Bucentauro, in quà triumphantis more receptus, Venetias venit, ubi ritu priſco coronatione abſoluta thronum tenuit. Septima Maii, Alexander VIII. P. R. plaudere volens tantis laboribus pro fide, & patrià exantlatis, pileum & enſem religioſo ritu ſacratos, ſoliſque Principibus conferri ſolitos, per Archiep. Theſsalonicæ Ioſeph Archintum, dexteræ capitique Maurocæni, pompà impoſuit ſolemni. Geſsit interim imperium foris Hieronymus Cornarius, qui in ſinu Rhizonico Neocaſtrum, Kninum in Dalmatià, Epidaurum expugnavit in Peloponneſo. Ei ſucceſsit Dominicus Mocenicus, cuius locum ut impleret Reſpublica, coactis comitiis, ex ducentis, qui in Scrutinio (Locus ubi ſoli Senatores exhibità ſchedulà nomina exponunt Candidatorum à Comitiis adprobanda, vel reprobanda) convenerant; quinque ſupra nonaginta, diſtinctis ſchedulis Franciſcum Maurocænum Venetorum Principem nominarunt. Tres ſupra tri-

ginta schedulà vacuà neminem proposuerunt. Reliqui nomina scripsere diversa. Voce itaque magni Cancellarii, publicato nomine Principis, juxta morem priscum, ut si inter Candidatorum nomina Dux recurrat; cæteri sileant; ullus exponatur suffragiis, donec de Principis voluntate fiant certiora Comitia: Principe namque annuente, de eius requirenda assistentià; & classis directione calculi exiguntur, cæteris præteritis, qui fuere propositi. Polus itaque Bernardus ex Consiliariis senior officioso & ad Principem accomodato sermone Ducem interrogavit, *An acquiesceret?* Negavit ille, vires accusans minùs fortes & firmas. Franciscus Foscari ex M.Sapientum numero, qui tunc inter Consiliarios sedebat (is ille qui olim Advocator Communis, mandante Senatu adversùs eumdem Maurocænum inquisierat) gravi surgens eloquio, quo Senator ille prævalet, arreptà occasione stantis Senatus, qui Ducem colloqui videns cum Consiliariis, surrexerat, & adhuc stabat; *Advertat*, inquit, *Serenitas V. preces Senatus, qui stans tantæ expeditionis vos Ducem efflagitat, securus quod sicut merita supergrederis priorum Principum, quorum præsentia fuit semper nostris classibus salutaris, etiam in præsenti discrimine sola pro cunctis vindictam ſ mes de inimicis nostris. De valetudine hæsitas? Erit huius cura Christo Redemptori, cuius Crucem expandes in labarum, totique Senatui, imò Orbi Christiano universo, cuius precibus fortis aderis & triumphator. Memoria recurrat tantorum Principum, Obelerii Antonorai, Angeli, Ioannis, Vrsi Participatii, qui vel morti proximi arma tractantes, libertatem & imperium vobis, & nobis servavere fortissimi. Vos adduco, gloriosissimi Vrseoli, Græcorum terror, Latinorum gloria Dominice Michaël, de Cœlo adstat Sebastiane Ciani, cuius sub ferro cecidit Ænobarbus: Henrice Dandule, qui orbatus lumine sed mente validus, manu promptus Orientem Veneto submisit Imperio: Andreas Contarene, qui in bello Clodiensi, patriæ libertatem, & patriam libertati servavit. Annue gloriosissime Princeps poscenti Senatui, annue expectanti populo, annue Orbi desideranti; absolve hac novissime expeditione triumphos, quos tibi ab alto decrevit Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Hisce excitatus Princeps, eo magis quod ætatem suam absolvisset in castris, respondit, *Indulgendum esse tempori, quo maturè deliberaret.* Rogavit tunc Foscari, *decretum saltem audire patienter, Supremis exponendum comitiis.* Obmutuit Princeps. Legente itaque inter cætera Secretario, *Non obstante ætate gravi Serenitatis suæ, rogandum esse &c.* Hisce verbis quasi læsus, *Expungite* (inquit) *verbum ætatis. Cor enim impavidum, & semper idem non senescit.* Permittit ergo (adiecit Foscari) *Serenitas sua decretum sub suffragiis recurrere*: eodemque tempore in aulam M. Consilii redeunte Principe cum Senatu exceptis supputatisque suffragiis, 797. Principis expeditionem exigebant: 39 negabant: 12 nutabant. Io: plaudentibus Comitiis voce info-

insolitâ gaudii, & jubilationis. Latum decretum eodem in loco, eademque die 25. Novemb. 1692. quâ Anno 1669. declamante Corrario, accusatus fuerat in Procuratorem D. Marci malè promotus. R[illegible]anti itaque Senatui (cuius decretum in pleno legitur Collegio) Dux cornu deposito, è throno surgens, Invocato primum Deo Optimo Maximo, qui in Supremis Comitiis, vota direxerat, ut vires effunderet, arma benediceret, quæ pro eius gloriâ Patres tractabant intrepidi, ultimam vitæ periodum obtulit in holocaustum Deo, Fidei. Patriæ libertati. Disposito itaque satellitio verè Regio, 24. Maii 1693. sacro adfuit in Ducali Basilicâ, labarum benedicente Patriarcha; secunda Iunii clasem conscendit, illicoque Inquisitione factâ adversùs milites & remiges, quia aleis lusissent, mandavit pecuniam restitui, sub pœnâ capitis, aleis in posterum interdictis. Naupliam postea navigavit, recreavitque spetie Maiestatis Provinciam, cuius ipse auditas querelas brevi composuit, plaudentibus undique populis, præsentia Principis confirmatis, quem ad Imperium Natura studiosè efformaverat. Bello inde totus intentus, occurrit Turcis, qui ad fretum frequentes convenerant, ut datâ occasione in Peloponnesum erumperent: at cum nil otiosi moverent, valido relicto præsidio, Smyrnas venit ut naves interciperet onerarias, quæ nostro cognito adventu aufugère Byzantium. Absente Principe, Turcæ collecto ex vicinioribus milite irrepserunt; diesque instabat certaminis, cum insperatò reversus Maurocænus adadfuit impavidus Castra dirigens eo terrore, ut nocte incensis Turcæ tentoriis recesserint fugâ præcipiti. In Chalcidem collimabat, cum immaturo adhuc illius regni Fato, Princeps conflictare debuit adversùs mortem: quam semper Reges oppugnare valent, sed nunquàm vincere. In die Epiphaniæ succubuit, ut cum aliis Principibus festum ageret, sed ritu meliori. Absque auro pergit, ut Deum placaret facilius thuribus pœnitentiæ. Viscera, Naupliæ, humo data apud Dominicanos Reformatos in Ecclesiâ S. Antonii, Cadaver Venetias relatum tumbâ quiescit Regali, in templo Proto Martyris. Eius in funere ad Gemellorum ædem soluto peroravit Fr. Hieronym. Textor Benedictinus Lector Patavinus.

E P I T A P H I V M.

Francisci Maurocæni Peloponnesiaci Venetiarum Principis Ossa 1694.

Nummiſmata Publica.

In quo Marcus Euangeliſta, ut in aliis nummiſmatibus vexillum porrigit Duci. *S. M. V. Franc. Mauroc. Dux An. I.* Tenet retro Figurā Peloponneſi ſedentem ſub Palmâ, victoriæ ſymbolo cum epigraphe *Peloponneſus reſtituta*. A.G. nomen præfecti Monetarii.

Anno II. novum habes nummiſma, cuius in antico, more vetuſto Euangeliſta Marcus Duci vexillum tradit: in poſtico verò Gladius evaginatus ſub epigraphe *Ictu non abſtinet*, quòd nunquàm ceſsaverit pro patriâ meditari adversùs hoſtes.

Anno III. in anticâ epigraphe ſolita *S. M. Ven. Franc. Maur. D. An. III* Tenet retro memoriam Pilei & gladii dono miſſi ab Alex. VIII. R. P. cum epigraphe *Non aliâ fruitur victoriâ laude*.

An. IV. Tenet in poſticâ Maurocæni Imaginem erectam ſuper inimicorum ſpolia, in aulâ Decemvirum, Senatu jubente, unde epigraphe: *Mauroc. Peloponneſiaco viventi. S. C.* ibidem inciſa.

An. V. Armata manus ſecurem ſtringit, bipennem, clavos, ſagittas, Macheras, cætera armorum genera ſub epigraphe *Quem non exercuit arcum?* nullam ſcilicet omiſiſse bellandi artem, in ſalutem Reipublicæ.

An. VI. Habes in poſticâ quatuor Biretta Generalitia, cumque baculis, quibus cornu ſupereminet Ducale, dignitatum ſymbola ſub epigraphe *Virtutem veſtigat, & ultro ambit honos*. Quod abſque prænſatione obtigerit Anno 1660. 1663. 1684. & 1692.



SILVESTER VALERIO
DUX CIX.

Die 30. Martii 1630. natus, Dux eligitur die 23. Februarii, die 27. coronatur An. 1693.



Ilvester Valerius Bertucii Valerii Principis filius thronum ſcandit paternum, rarà equidem fœlicitate; quòd raró Reſpublica in Principem, genitum aſſumpſerit poſt genitorem. Succeſsio hæc virtutis, non ſanguinis. Soli namque Deo, & Patriæ, non Patri Veneti debent imperium. Hoc ſibi forſan in Valerio Natura exiget, quod patre magiſtro, arcana edoctus regnandi, Princeps agnoſceretur futurus antequàm eſset. Togà indutus, quum Pa-

tria plena periculis, consumptis vectigalibus in tutelam illius regni, quod in medio Mari situm ad Orbis imperium, arma tractabat in Barbaros, publicam Maiestatem privato censu fulcire cogitans, collatâ pecuniâ Aerarium redèmit; cuius exemplum libenti animo cives alii amplexati, Purpurâ redimiti D. Marci Procuratoriâ, monimentum retulère publicæ gratitudinis. Ætatis itaque quartum nondum supergressus lustrum, inter Seniores consedens Rempublicam consilio juvit & auro; gravi Turcarum dedecore, qui cum totius Orbis Christiani spolium mente vorasent, sólùm post Annos fere triginta Cretam deditione acceperint. Ad Augustissimam postea Leopoldi Cæsaris coniugē Margaretam legatus, eà pompà accurrit, ut auro profuso, magnificentia Legati cum Regnantis maiestate certaverit. Hinc strictiori vinculo Leo junctus & Aquila in eam coierunt necessitudinem, ut à Turcis obsessà Viennà, litem Veneti suam fecerint, & causam Fidei propugnandam susceperint etiam dubiæ Fortunæ discrimine. Ab hoc dignitatis & existimationis incremento nullus honor, qui Silvestrum non prænsaret, & ultro minimè ambienti munera occurrerent. Quinquies ad Rom. Pontifices Legatus designatus, Imperii & Sacerdotii concordiā in patriâ summopere promovit. Aerario præfectus, etiā inter angustias, militibus stipendia submisit augusta, nullà semper Minervæ iniuriâ. Decies namque Studiorum Moderator Palladis æquè ac Martis Mæcenas publicam Maiestatem armavit literis, decoravit armis. Custos societatis humanæ, vitam Civium adversùs Epidemicum morbum (qui ex proximis Germaniæ castris irrepserat) necessariâ sumptâ severitàte non tam Rempublicam, quàm Italiam servavit, ac saluti restituit & otio; in quo publicam ipse Bibliothecam à Cardinale Bessarione Reipublicæ custodiendam transmissam assumens, salvavit in eà, Fidei testes Catholicæ, & Græcæ monimenta pietatis. Ad Superos tandem evocato Francisco Maurocæno, Bellici Ducis Idæa, Cornu prænsantibus Hieronymo Basadonna D. M. Procuratore, Andrea Ericcio Francisci Ericii Venetorum Principis nepote, & optimi civis Idæa, Silvestro Valerio Equite, ac D. M. Procuratore, sorte de Cœlo missâ, Reipublicæ præfuit, ac solio sedit paterno, populo acclamante universo, totius Vrbis gaudio quę adhuc gestiens ad Fastos Principem exeuntem vocibus semper comitatur festivis. Die suæ assumptionis septimo, coniugem coronavit Elisabeth Pauli Quirini filiam, Marci Ruzini ex matre neptem, Hieronymi, & Pauli Quirini sobrinam (quatuor isti D. M. Procuratores) quæ die quarto Martii 1694. in Camerâ Ducali Cornu redimita officia excepit gratulationis à Consiliariis, cæterisque

Colle-

Collegii Ordinibus, Magiſtratibus Vrbis, ac D. M. Procuratoribus. Acceſserunt etiam purpurâ induti Electores Principis. Apertis choreis, Matronæ convenere patritiæ, quarum ſingulis bellaria, hypotrimata, tragmata abundè ſubmiſsa. Alterâ die ſedens, Cornu redimita, paludamentoque induta Ducali Nuntium excepit Sedis Apoſtolicæ, Regumque Legatos, quia ad eam advenerant iiſdem cæremoniis, quæ obſervari ſolent cum Ducibus Reipublicæ Venet. Sereniſsimæ. Pridie Nonas Iulii, ad creationem, & deſponſationem novæ Abbatiſsæ, in aſceterium Sanctimonialium (quas *Virgines* appellamus) accedente Principe, adfuit etiam Quirina Coniux ſub Baldachino ſedens, intra Capellam majorem, latera ſtipantibus Matronis patritiis, cum ſuo Capellano & Canonicis, eodem ritu ſervato, in cæremonialibus, quem geſsimus erga Ducem. Viſitavit plura Monaſteria Veſtalium tam in Vrbe, quàm extra Vrbem, imò & in Continenti, pie & in ædificationem Religionis, quam Heroina zelantiſſima omni gradu, omni tempore, indefeſsa ſemper promovit, ornando Templa, virgines elocando, pauperibus elargiendo. Sanctis votis Deus benignè faveat; Ducique Sereniſſimo victorias largiatur, atque Triumphos.

Nummiſmata Publica.

Duo recurrunt, quorum in fronte ſedens M. Evangeliſta vexillum porrigit Duci in genibus flexo. Anno I. Anno II. Sanctus Marcus Venetus Silveſter Valerio D. Venetiarum. In adverſà parte primi nummiſmatis, gemina ſurgit Palma gemini figura triumphi, Valeriâ auſpice Aquila Venetæ aſserti Reipublicæ in expugnatione Narentæ, coloniæ olim & urbis Epiſcopalis nunc oppidi, à litore 20 millibus paſsuum recedentis; à Salonis 72 in ortum, Scodram verſus & Epidaurum. Mari verò Chios Icatii inſula, quæ ſola Maſtichem gignit, portu inſtructa capaci, & arce munitiſsimà à Turcis tyrannicè occupata Anno Sal. 1565. à Venetis redempta Anno 1694. quo tempore Nummiſma percuſsum fuit, in quo Aquila roſtro *boni eventus* epigraphem pandit. *Terra, Marique*. Infra verò, *Chios, Narenta*.

In Poſtico Anni Secundi duas exhibet Aquilas volantes ad Solem, quarum altera præcedit ſub epigraphe, *Exemplo monſtrante viam*. Aquilæ namque ſuos ſolent probare partus Solis intuitu, *Plin. lib.* 10. *cap.* 3. genitricemque volantem ſequuntur nati: ut in Aquilà *Valeriâ*, quæ in Aquilarum genere obtinet principatum. Veſtigio patris inhærens filius, ad Solem uterque pervenit Supremi Regiminis.

Num-

Nummisma privatum Valeriæ Ducissæ.

Cuius in fronte Imago eiusdem Ducissæ ad vivum exculpta cum nomine artificis, I.F.N. In adverso legitur *Munus Elisabeth Quirinæ Valeriæ Ducissæ Venetiarum* 1694.

Pro Duce Valerio lege Volumina Typis data *Dagli Accademici Ricovrati.*

Nummismata in hoc Opere incisa mihi humanissimè commodata à Senatore literis, ac Republicà merito *Thomæ Cornelio q. Francisci* adnotare placuit: ut veritatem inquirenti Nummismatum Musæum pateat, pro antiquitatis experimento.



A D-

ADNOTATIONES AD FASTOS DVCALES.

Venetiarum Origo. pag. 1.



Enetorum Rempublicam liberè natam, non factam, cui ab initio Leges fuere non Reges, brevi didimus pag. 1. plaudente ipso Cassiodoro *ep.* 24. *lib.* 12. data *ad Tribunos Maritimorum*; ex quâ facile Venetiarum Insulas scilicet Rivi alti cum adiacentibus segregabis à Venetiarum terrestri Provinciâ, cui imperabant Longobardi: unde ad Rectores scribendo Maritimos liberos, & soli Deo subditos, *Tribunos* appellabat *Maritimorum*; cum verò ad ministros Venetiæ Provinciæ terrestris, *Canonicarios Venetiarum* dicebat, ut ex tribus epistolis eiusdem Cassiodori *lib.* 12. datis *Canonicario Venetiarum*: teste *Doglioni* in opusculo *Venetia Trionfante*. De Canonicariis lege Bulengerum *lib.* 6. *cap.* 10. *De Imperatore*. Concordat Io. VIII. P. R. *ep. ad Ursum Venetiarum Ducem*, in quâ Episcopos Equiliensem, Olivolensem, Caprensem, Torcellensem, Metamaucensem, Episcopos appellat *Marinæ Venetiæ*.

Olivolus & Rivaltus binæ insulæ, quæ habitatore refertæ navigantibus & mercatoribus præberent aditum, cum lascivente populo Barbaro, in hæc æstuaria aufugere Majores nostri, Templo carebant usque in diem 25. Martii, Sal. An. 421. nec erat, ubi sacra conficerent, quamvis de templi extructione inter incolas non semel recurrisset sermo. Propterea indignatus Deus, quòd solùm de focis cogitarent minimè verò de aris; ignem noctu excitavit ex Domo *Entinopi* navium architecti, qui vento furente Casas vicinas corripuit, Aquâ minimè suffragante, quæ imittebatur. Hinc vir ille, bonus & pius indignationem agnoscens Supernam, cui verba incolæ dederant de Ecclesiâ condendâ, sed non compleverant, elatis in Cœlum manibus præcari cœpit. *Conditor Syderum, summe Deus, cuius imperio subdita sunt universa, siste huius Venti rabiem, flammæ impera, ne ultro sæviat: Peccavimus, qui templi tui hactenus rationem negleximus: Prostratis parce: quod enim incendio superest libens in ædem voveo.* Vix nuncupatum votum; præcantibus Deus adfuit, & in imbrem mutavit ventum. Ædes ex voto construitur, & in eà memoria incisa lapidea, quæ ex temporis vetustate consumpta, sæpius refixa à piis & studiosis illius Ecclesiæ Rectoribus, tandem ignaviâ & deperdita, hic restituitur.

Fun-

Fundamenta huius Templi.

S. Iacobo Apostolo, ex voto erecti jacta fuere Christianæ Sal. An. 420. die 25. Martii. Zosimo Romano Pontifice, Honorio Imperatore dedicatio celebrata est sequenti Anno, eodem die per quatuor Episcopos Severianum Patavinum, Hilarium Altinatem, Iocundum Tarvisinum, & Epodium Opiterginum. Cura verò Felici Sacerdoti primo delegata. Hæc vetustate fere aboleta comperta sunt industria Natalis Regia Canonici Cenesensis, qui electus Plebanus, & dicto Templo in splendidiorem Ecclesiam instaurato, ut ædificationis, consecrationis, instaurationis, & electionis monumentum posteritati relinqueret, hæc in marmore notanda curavit, quæ omnia & temporis & loci iniuria corrosa, ac penè consumpta Hieronymus ab Aqua de Muriano Canonicus D. Marci, atque huius Ecclesiæ Plebanus hoc marmore restaurari jussit. Anno D. 1600. die 25. Martii.

Dignitati intentis Ducali, rem dignam memoriâ à nobis omissam, supple ex Vghello *in Patriarchis Gradensibus*, & Augustino Valerio S. R. E. Cardinali, *lib. M.S. de utilitate capiendâ è rebus Venetorum*. Cum Ioannes Ravennæ Archiep. gladio Exarchi suffultus, Synodum congregasset adversùs Romanum Pontificem, Concilio adfuere Severus Patriarcha Gradensis (lege etiam Danduli Chronic.) Io: Ep. Parentinus, Severus Trigestinus, & Vindemius Cesen. coacti tamen, & ad declinandam irruptionem Ravennatis. Anno elapso cum Gradum Ravennam Severus rediisset, ex memorabili Venetorum decreto, populus Gradensis se ab eius subtraxit obsequio tanquàm excommunicati, eo quòd cum Archiepiscopo Schismatico communicasset; usque dum per Provinciale Episcoporum Concilium, eius causa cognosceretur, juxta tenorem Veneti decreti: quod quidem Concilium Murani congregatum, Pelagio adnitente Romano Pontifice, reditum Episcopis illis ad suas Diœceses indulsit.

Paulutius Anafestus Dux I.

CVi datum, ut eo inconsulto, non haberentur Cleri Comitia. Beneficiorum Investituras ab eodem Clerus acciperet. *Gabriel Simeoni p. 25. Com. di Venezia.*

Legibus vivere voluit propriis, & naturalibus, non Cæsaris, libertatis natæ argumentum, & soli Deo obsequium. *ib.*

Marcellus Tegallianus. Dux II.

DE nomine, cognomine huius Ducis inter gravissimos certatur auctores. *Gilbertus de Neveu* Scriptor Gallus *lib. des Evenemens soubs le*

Roys de France appellat hunc Ducem nomine *Aureum*, familia *Marcellum*, nativitate *Heracleanum*, cognomine *Tegallianum*, ab avo *Vitali Marcello*, *dicto de Gallia*, quòd ad Gallorum Regem pro arcanis Reipublicæ legatus optimè meruerit. Cognomen quod in *Tegallianum*, vel *Techallianum*, & *Tegalinum* translatum servavere posteri, ad avi gloriam. Auctoritas accedit gravissima non solùm ex *M.S.Chronico antiquissimo delli Dogi di Venezia* sino à Francesco Venier An. 1554. *in Bibliotheca Throna* sed etiam Faroldi *Istoria di Venezia*, penes quos legimus eosdem fuisse *Tegallianos*, *& Marcellos*. Immò in dicto M.S. Tegalliani non recurrunt: & præsens Dux solummodo *Marcellus* appellatur. Concordāt insignia gentilitia in Comitiis Maioribus picta, *Undæ* scilicet *Marinæ*: non *Quinqueremis* hic designata.

Mauritius Galbaius D.V.VII. pag. 15.

SUb quo Obealtus Marinus primus Episcoporum Olivolensium, electus à Clero, & populo, ut mos erat in Orbe Christiano (teste *Bernardo Iustiniano lib.* 12.) Episcopus dictus est *Mortuorum*, quòd & ipse portionem perciperet decimarum, quæ Morientium occasione exigebantur ad Cleri alimoniam. Cum enim in Mari Decimæ non occurrant Prædiales; ex fructibus industrialibus decimæ colligebantur non annuatim, sed mortuorum occasione (ita pacto Laici cum Clero convenerant) quæ cum in quatuor partes dividerentur, quarum prima obtigebat Episcopo; secunda Presbyteris; tertia pro Ecclesiarum reparatione; egenis quarta; hac de causa dictus est *Mortuorum Episcopus* Olivolensis à loco *Olivarum*, vel *Oligulensis* à parvo loco. *Gabriel Simeoni.* Electus Episcopus Obealtus à Cleri & populi Synodo Duce permittente Mauritio Galbaio, ab eodem Principe, laudatà electione *investitus fuit, & inthronizatus, à Patriarcha consecratus. Chron. Danduli.*

Vota populi extorquente Galbaio; defuncto Obealto successor datur Christophorus natu Græcus, ætatis suæ solumodo Annorum sexdecim. *ib.*

Petrus Gradonicus Dux XII.

IN hoc Principe *Gradonicam* extinctam familiam nè credas, insignia suspice in Bartholomæo Gradonico Duce 53. unde *Tradonicæ*, & *Gradonicæ* gentis, idem sit stipes, literà tantùm mutatà *T*, in G.

Digna etiam historià, pœna adversùs Ducis Patricidas; nè domus Proditorum altiùs elevarentur, sed in eadem mensura perpetuò manerent. *Io: Bapt. Contar. lib. 1. p.* 23.

Non minùs memorabilis fuit Palatinæ familiæ fides erga Ducem à populo iniustè impetitum. Eius famulitium cum usque ad sanguinē salvare tentasset Dominum adversùs furentem populum, prævalente multitudine in Ducatum se recepit, clausisque januis, triginta dierum spatio se defendit,

do-

donec fame victi, eà conditione se dedidere, ut insulam Popiliam incolerent cum liberis & uxoribus, quinque milliaribus distantem à Rivoalto, quò semel in Mense descendere permittebantur, ut venderent pisces suos, (piscatu namque alebantur) specioso illius insulæ incremento, quam non paucis exornaverant ædificiis, accepto etiam Prætore, qui eis jura diceret: In hoc rerum statu permansit Tradonici Ducis familia usque ad captam Clodiam; tunc enim prævalente Ligure, Popilia à fundamentis excisa jacuit. *M.S. in Domo Maripetra.*

Vrsus Participatius. D. XVIII.

SUb Vrso Participatio, qui post obitum, miraculis floruit, scribit *Simeoni p.* 35. usum inolevisse cudendi Monetam ex privilegio Cunradi Imperatoris. Mentitur tamen & dolosè volens decipitur; cum eidem Simeoni nota fuerit, & ab eodem transcripta epistola Cassiodori circa Annum Salutis 500. quà Cassiodorus testatur, morem fuisse Venetis, *Monetam* cudere *Victualem*, ut supra *pag.* 1. Privilegium, vel Pactum si quod legitur, eò tendit, ut Veneta Moneta etiam à Cæsareis reciperetur ut legitima, nec respueretur tanquam extranea, ut sępè sæpius Venetiis contigit, Externorum moneta aliâ prohibita, aliâ receptâ, scutatis scilicet Florentinis, Mediolanensibus, Aureis Imperialibus; non propterea dicuntur Veneti licentiã cudendi Monetam Regibus indulgère. Idem pende de Regibus erga Rempub.

Eundem Ducem Protospatarium creatum à Græco legimus Imperatore; (dignitas erat prima post Imperialem) argumentum Amoris in Venetos, non Imperii: quemadmodum cum Veneti Patritii, legati accedunt ad Reges extraneos, Equites redeunt purpura induti, & aureo torque: non propterea subditi dicuntur illius Regis, à quo insignia receperunt. Imperator ipse, qui fons dignitatis civilis, Velleris Aurei insignia recipit à Duce Burgundiæ; non tamen Burgundo subiectum asseres Imperatorem. Quot Reges, & Principes inter Patritios Venetos ambierunt adscribi? quid inde? amoris vincula & dilectionis.

Petrus Candianus D. XIX.

PEtro Cãdiano victis Istris, qui Virgines rapuerant; inter privilegia indulta fabris lignariis (*Capsarios* dicimus) fuit, ut Dux cum insignibus Templum annuatim visitaret S. Mariæ Formosæ, accipiens à Plebano eiusdem Ecclesiæ duo ænophora vini Cretici aurantiis cooperta chrysomelis, cum duobus pileis papyraceis auratis & insignibus Romani Pontificis, Ducis, eiusdemque Plebani; Insuper facultatem cudendi Teruncios in eorum scholâ, toto tempore, quo à Cantoribus Vesperæ recitarentur; ut in *Alb. dictorum Artificum p.* 1. *apud Provisores Communis*.

Dominicus Contareno D. XXX.

DEfuncto Dominico Gradonico Episcopo Olivolensi, alium Dominicum Gradonicum prioris nepotem populus cum Clero subrogavit, Sal. Anno 1065. quem Venetorum Dux Dominicus Contareno investire recusavit quia non idoneum, & Annorum solumodo xiix. Præfuit tamen Annis quinque, mortuusque magnæ indolis juvenis, in Cathedrali humatur Ecclesia. *Vghellus in Venet. Patriar.*

Insignia Contarenæ Gentis, tres scilicet Cęsii in valvulo aureo malè intertexti Liliis à D. Leone Matina in elogiis Ducum Venetorum dices; si sciagraphiam suspexeris juxta imaginem huius Ducis, in aula M. Consilii. Nec objicias Legationes ad Reges Gallorum, quarum causà miscentur Lilia. Ea namque tempore non recurrebant. Restituas ergo ut in aula Maioris Consilii.

EPITAPHIVM.

D. O. M.
Dominico Contareno
Qui rebellem Dalmatiam compressam fœdere domuit,
Gradum pulso Aquileiense recepit
Normannos in Apulia vicit
Pace Patriæ reddita, Religione aucta.
Hoc Nicolao, & altero Angelorum Duci
Constructa Templa, amplissimis locupletata proventibus
Sacris Divorum cineribus ornavit.
Æternæ Principis memoriæ
DC. post obitum annis, 27. cum præfuisset
Monachi Casin. beneficiorum memores
Hac tumuli renovatione litant.
Anno 1640.

D*ominicus Silvius, vel Selvus.* D. XXXI.

TAntæ Religionis, & humilitatis Princeps iste, ut in funere Dominici Contareni acclamatus in Principem à populo, in Ecclesiam S. Nicolai in littore, illicò Nobilium humeris delatus in triremem, *Te Deum laudamus* canente populo; cum ad ripas appulisset D. Marci, obvios habuit Consiliarios cum Clero, qui processionaliter deduxerunt in templum; Ipse autem caligis & calceis depositis, nonnisi nudis pedibus Ecclesiam ingredi voluit,

voluit, ubi in terram procumbens, oratione solutà, vexillum accepit D. Marci; primusque Principum fuit, qui vexillum Reipublicæ reciperet in Ecclesià. Restituit protinus Palatii januas, subsellia judicum, quas in obitu Contareni confregerat Populus. Sansovinus (ex *historia Dominici Rini Cappellani eiusdem Principis, lib.* 11. *de Principis dignitate*.

Ex adverso tantæ superbiæ, ac luxus fuit eius coniux Græca fœmina soror Nicephori Imperatoris, ut dietim lavari vellet rore per servos collecto, ultra rosas, & aurantia. *Simeoni*.

Excitatus Silvius à Gregorio VII. Rom. Pontifice, congrua subministrare alimenta Gradensi Patriarchæ, cuius agri ob bellorum turbines inarati jacebant, An. Sal. 1075. eisdem in epistolis sequentia retulit testimonia, pro Venetæ Gentis nobilitate, ac libertate, *Post Apostolicam Sedem omnibus, quæ sunt in Occidente gentibus clariores existitis*. Sic lib. 4. ep. 27. *Dominico Silvio Duci Venetiæ, & Populo Venetiæ. Multum gavisi sumus pro dilectione, quam erga universalem omnium fidelium matrem* S. R. *Ecclesiam habuistis, & libertatem, quam ab antiquà stirpe Romanæ Nobilitatis acceptam conservastis &c.* Et lib. 2. Ep. 39. *Dominico Duci & Populo Venetiæ. Notum esse credimus non solùm iis, qui nobiscum nutriti sunt, sed etiam plerisque vestrum, quod iam ab ineunte ætate Terram vestram, & libertatem huius Gentis valde dileximus; atque ob id, nonnullorum Principum, atque nobilium personarum inimicitias sustinuimus.*

Vitalis Michael Dux XXXII.

CONiugem habuit *Felicem*, quæ in D. Marci vestibulo sepulta sequens habuit Epitaphium.

Anno milleno centeno denuo primo,
  Quo sua non minuit, sed sibi nostra tulit,
Vitalis Felix coniux Ducis hæc Michaelis,
  Occidit, insignis moribus & titulis,
Cultrix vera Dei, cultus & pauperiei,
  Sit subnixa Deo, quo frueretur eo.
Comis in affatu, nullis onerosa ducatu,
  Vultu mitis erat, quod foris intus erat:
Calcavit luxum, suffugit quemque tumultum,
  Ad Strepitum nullum cor tulit ipsa suum.
Indole præclara, præclaris indole cara,
  Cunctis larga fuit, larga sed ipsa suis,
Vt labor ac ætas erat occurrebat honestas,
  Cum pia plura tulit, plura tulisse cupit.

Hanc

Hanc talem deflent, modo non superesse,
Dant pia vota Deo, quo paciatur eo.
Fascibus ecce gravis, fasces quos condecoravit,
Mente Deum vivit, corpore facta cinis.
Ergo quid census, quid sit decus, atque iuventus,
Discite cum pereant, & cito deficiant.

Dominicus Michael. D.XXXV.

MIchaeliæ, vel Melius Michieli Gentis insignia quum tres fasciæ essent cæruleæ in campo aureo: Princeps Dominicus in expeditione Syriaca cum argentum sibi deficeret ad militum stipendia, Monetam percussit coriaceam, *Michieleti* appellatam, data fide eam redimendi auro purissimo; quæ sine hæsitatione recepta, & fideliter redempta, insignibus Gentilitiis fuit intermixta, futurum posteris documentum.

Petrus Polanus D.XXXVI.

POlano indulgente Principe, Anno Sal. 1145. in Clero Clerus consurgit quatuor Congregationum, quarum quælibet sub regimine Archipresbyteri, quadraginta Sacerdotibus constat, à judicio exempta Ordinarii, cum facultate lites iudicandi, quæ contingunt inter fratrem, & fratrem eiusdem Congregationis, salvà provocatione, & appellatione ad Patriarcham tanquàm ad iudicem Arbitrum, & inappellabilem, iuxta pacta cum D. Laurentio Iustiniano, quæ typis data leguntur sub titulo *Matricula Cleri Veneti*. Hodie novem sunt Congregationes quasi novem Angelorum Chori, qui excedi non possunt quarum prima S. Mariæ Mater Domini, cui ego indignè præsideo. *Sansovinus*.

Vitalis Michael Dux *XXXVIII.*

CHium insulam maris Icarii, olim expugnatam à Dominico Michaelio; iterum occupavit Vitalis Michael. *Simeoni p.43.*

Sebastianus Zianus Dux *XXXIX.*

QUanta contulerit sub hoc Principe Alex. III. P.R. abundè dedimus in vita Alex. III. Adiunge, Ecclesiam S. Silvestri consecrasse, ut ex inscriptione marmorea in eodem Templo, eodem tempore posita.

Ad honorem B. Mariæ, Patriarcharum, & omnium Sanctorum consecrata fuit Ecclesia ista per Dominum Alex. Papam III. die 1 Men. Novemb. in festo omnium Sanctorum. M.C.LXXVII.

Memoriam etiam perpetuæ Indulgentiæ indultæ ab eodem Pontifice, Ecclesiam visitantibus D. Iacobi in Rivoalto, restauratam habes in marmore, per Hieronymum ab Aqua illius Ecclesiæ Antistite.

D. O. M.

Vetustissimam Rivoalti D. Iacobo Apostolo à primis Vrbis conditoribus Aedem voto erectam, atque die v. Maioris hebdomadæ perpetuæ plenariæ Indulgentiæ munere ab Alex. III. Venetiis latitante condecoratam; post quàm Summo Pontifici, à patribus honorificè excepto Fridericus Ahenobarbus Cæsar, qui eum terra, marique armis insectabatur: filio eius Othone à Sebastiano Ziani Duce, navali victoria superato, pace firmata, se subiecit, & miraculo præterea maximè memorabilem, quod hæc una ignem, qui noctu iv. Id. Ian. M.D.XIII. Rivoaltum Insulam temporis ferè momento consumpsit, evaserit: vetustate penè attritam, viri Clarissimi Petrus de Ponte, Iacobus Maurocænus, Benedictus Eritius, & Franciscus Maripetrus Salis Præfecti in elegantiorem hanc formam S.C. summa cum dignitate, & Vrbis splendore restituerunt. Anno ab Incarn. Domini M. DC. Ab Vrbe verò condita MCLXXIX. Marini Grimani Ven. Ducis, &c. Anno 6. Hieronymo ab Aqua Antistite, & D. Marci Canonico Procurante.

Sic in Ecclesia Charitatis, Canonicorum Regularium, super portam principalem, ubi incisa Alex. III. R. P. insignia, sequentem leges inscriptionem. *Alex. III. P. M. Federici à rabie profugus, has sacras Regularium ædes pro munere recepto hospitalitatis, inexausto Indulgentiarum thesauro perpetuò dicavit. M. C. LXXVII.*

In porticu: prope Ecclesiam S. Apollinaris cum primò Pontifex pernoctasset, peccatorum indulgentiam posteris laxavit: ut ex inscriptione ibidem antiquissima legitur. *D. O. M. Alex. III. P. M. Federici impietatis arma fugiens, hic primo quievit. Quod tribus ictibus Campanæ* (inviolabiliter servatur usque in hodiernam diem) *post Vesperas, Angelicam salutationem, & peccatorum indulgentiam testatum esse voluit.*

Andreas Aurius. Dux XL.

Monetam cudit *Aureolam* dictam, teste *Symeoni p.* 43.

Henricus Dandulus Dux *XLI.*

ALexii Imperatoris defuncti Coniux, ne throno pulsa; privata viveret, ex aratro Emanuelem vocavit, quem *Griffonem*; dictū in delitiis enutrierat, qui cum Imperium tenuisset, & lectis quibusdam prophetiis, Venetos prævidisset possessores Imperii Cōstantinopolitani, furore agitatus, Dandu-

lum

lum inter insidias ascitum, lamina excæcavit candenti. *Simeoni p.42.*

Pactum inter Henricum Dandulum Venetorum Ducem, & Thomam Maurocænum Patriarchâm Constantinopolitanum; ut iste nonnisi Venetæ gentis Clericos Ecclesiis præponeret sibi subiectis; cum cæteri nationum Clerici participatione beneficiorum exclusi tumultum agerent: Innocentius P. R. pactum hoc rescindere tentavit *cap. ad decorem. de Institut.*

Byzantii, cum in Sacrario Basilicæ S. Sophiæ, Icona asservaretur Deiparæ, à D. Luca depictam, quam Imperatores Clero comitante ad impetrandam pluviam, vel serenitatem, ac salutem, in publicis deferebant supplicationibus, Veneti effractis foribus sacrarii abstulerunt, Thoma reclamante Patriarcha, qui ut Venetos ad restitutionem cogeret, excommunicavit: anathema confirmante Innocentio R. P. ut ex *ep.* 137. Hanc tamen in Basilica veneramur D. Marci: quasi pio sacrilegio per maiores nostros devolutam, qui non ob Virginum raptum, vel adulteria, nec Regnorum spolia, sed ob Sanctum Sanctissimæ furtum imaginis, fulmine leguntur notati. *Bzovius.*

Petrus Cianus Dux XLII.

Virginum Cœnobium à Petro erectum Ziani V. D. negare videtur inscriptio marmorea super eiusdem templi minorem portam.

Templum hoc ab Alex. III. Pont. Friderico Barbarossa Imperatore, Sebastiano Ziano Venet. Principe M.C.LXXVII. fundatum; à Iulia eiusdem Imperatoris filia prima Abbatissa rectum; Maria electa Benetti Patrit. Venet. Abbatissa instaurandum, & amplificandum mandavit Apollonio Massa Philosopho, ac Monasterii Medico, & procuratore consulente, atque procurante.

M. D. LXXXI. Cal. Aug.

Historia tamen facile concordatur; si cœnobium erectum respicias à Petro Ziani; Templum à Sebastiano Ziani. Quod ita Religio exigeret, ut à Templo exordiretur.

Cœnobium hoc, Iuris cum sit patronatus Ducalis; Princeps ipsam sibi spiritualiter desponsat Abbatissam, more solemni, Romano plaudente Pontifice.

Jacobus Theupulus. Dux *XLIII.*

PAtres Prædicatores S. Dominici cum locum minimè impetrassent in solo Veneto; Iacobus Theupulus Dux pietate insignis, nocte quadam, per quietem, Oratorium S. Danielis aspiciens cum area contigua, rosis, flagrantissimisque floribus plena: Volitantibus hinc inde columbis candidissimis, Crucem auream gestantibus in capite, & inter flores colludentibus;

duos etiam de Cœlo Angelos cum thuribulis per aream discursantes, & suffimentis replentes, vocem audivit sibi dicentem: *Hic est locus, quem elegi meis Prædicatoribus*. Somno discusso, Princeps admiratione plenus visionem postero die Patribus retulit, qui Dei consilium arbitrantes, communi decrevère consensu: ut Fratribus quadringenti pedes illius insulæ attribuerentur, pro Ecclesiæ constructione & Monasterii, sub titulo Sanctæ Mariæ, & M. Joannis & Pauli. Cuius rei testes accedunt non solùm Historici, sed monumentum conspicuum in fronte eiusdem Ecclesiæ, ea parte positum, qua respicit Oratorium Pacis, cum Angelis locum thuribulo fumigantibus, & Columbis crucem gestantibus: ut tanti miraculi memoria ad posteros in æternum maneret. Flaminius *lib.2. vitæ S. Dominici*. Castillius *lib.1. cap.55*. Bzovius *Ann.* 1226. *num.* 13. In Sacrario etiam eiusdem Ecclesiæ, Historiam pinxit Andreas Vicentinus sub inscriptione sequenti

MCCXXXIV.

Iacobus Theup. Dux Venet. locum hunc divinitùs in somnis D. Io: & Paulo consecrandum accepit, ut F. F. Prædicatorum eidem ministrare interesset. Quare Senatu consentiente consecravit. And. Vin. P. F.

Existente Sacrista R. P. F. Thoma Capello Veneto Prædicatore Generali Anno 1606.

Imago etiam occurrit exculpta Danielis stantis in lacu Leonum; testimonium antiqui Oratorii sub titulo *S. Danielis*.

Vsque ad Principatum Iacobi Theupuli, cum nulla Hæresis irrepsisset, propterea pœna fuisset supervacua: Bello furente inter Innocentium IV. & Fridericum Imperatorem à Papa excommunicatum; nè occasione tanti dissidii, & advenarum, qui pacis voto Venetias undique confluebant: opus duxit Respublica Religioni consulere Catholicæ, viros pios, discretos, eligendo, qui de hæretica inquirerent pravitate. Fuere Patriarcha Gradensis, Episcopus Olivolensis, cæterique Episcopi Ducatus Veneti à Grado usque ad Caput Aggeris; à quorum singulis si quis declararetur Hæreticus, judicio Ducis & Consiliariorum, vel ab eorum parte maiori damnaretur ad flammas. Decretum habes in promotione Marini Morosini Ducis; teste *F. Paulo Servita*; *de Origin. Inquisit.*

Ran-

Ranerius Zenus Dux XLV.

AUxilii memor Superni, quo Ianuenses debellaverat, templum SS. Trinitatis ædificavit, ac militibus Templariis, iuribus ditatum & latifundiis contulit. *Ughellus p.1342. Italiæ Sacræ to. 5. in Patriar. Venetis.*

Laurentius Theupulus Dux XLVI.

PLuribus Episcopis, & Abbatibus, qui Agnatorum comitante caterva cum aliis Prælatis in Ecclesiam accedebant D. Marci, Missa celebrata solemni, & suæ electionis investituram poscebant, Regalia contulit, quæ ad Principem spectant. *Lib. Statutorum Ecclesiæ D. Marci, An. 1269.* Mos, qui usque in Annum duravit Salutis 1451.

Io: Dandolus Dux XLVIII.

DUce Ioanne Dandulo: instante Nicolao IV. R. P. die 4. Augusti 1289. captum in M. Consilio, ut Tribunal erigeretur contra Hæreticam pravitatem, sed citrà scandalum, unde solus Dux facultatem haberet vires subministrandi Inquisitoribus missis a Romano Pontifice, ad exercendum officium. Reipublicæ esset, Administratorem eligere, cuius esset; ex publico ærario expensas solvere, & proventus inde emanantes colligere. Totum leges in Bulla Pontificis Reate data, die 28. Augusti 1289. in qua Pontifex exaratum voluit decretum M. Consilii. *M. S. etiam in domo Maripetra.*

Iste Dux (ut in Chron. Laurentii de Monaco, & Benintendi Magno Reip. Cancellario apud Doglioni p. 24. Venetia Triumphante) *primo fecit cudi felicissimo eventu pulcherrima nummismata auri, quæ dicuntur Ducati; qui obscuraverunt famam nummorum aureorum cæterarum nationum; in tantum, ut nonnulli Principes Christiani, & Pagani, moti fama perfectionis Ducatorum eorumdem, ad eorum figuram cudi fecerunt aureos infinitos.* Doglionus refert se vidisse Ducatum Aureum Romæ, & Rhodo cusum, in quibus loco verborum, *S. M. Ven. M. Anton. Memo Dux* legebatur in Ducato Romano, *Senator Urbis, S. Petrus.* ex adverso, loco verborum, *Sit tibi Christe datus, qui tu regis, iste Ducatus,* legebatur *Roma Caput Mundi. S. P. Q. R.* In Rhodiensi inscribebatur *Equitum Magister, & S. Io: Bapt.*

Petrus Gradonicus Dux XLIX.

SUb hoc Principe, coactâ Synodo Provinciali ab Ægidio Patriarcha Gradensi (corrige in pag. 8. Constitut. Synodal. ubi Ægidius dicitur Episcopus Castellanus, cum esset Patriarcha Gradensis; in Episcopatu verò Castellano tunc sederet Bartholomæus Quirinus, cuius successor Rampertus Rambertus) decretum: ut in Canone fieret memoria *Ducis, & pro bono statu Venetiarum.* Accipe verba. *Statuimus ut in loco Canonis Missæ in secreta, ubi dicitur, unà cum Papa nostro &c. imediatè subiungatur, & Duce Nostro, expresso nomine, & pro bono statu Venetiarum &c.* Huic Canoni occasionem dedit coniuratio Baiamontis Theupuli.

Erecto Inquisitionis Tribunali sub Io: Dandulo, F. Antonius Inquisitor Anno Sal. 1301. Monitorium laxavit ad Petrum Gradonicum Venetiarum Ducem, ut iste observantiam juraret Constitutionum Pontificum, & Imperialium adversùs Hæreticos. Negavit scripto Princeps aliud solvere juramentum, cum in suâ promotione satis jurasset juxta pacta cum Nicolao IV. à quibus recedere nefas erat.

Sub hoc Principe Consilium erectum Decemvirale pro salute Reipublicæ, cui teste *Ægnatio lib.6. pag.* 194. tria præcipuè scelera vindicanda commissa sunt. Proditio adversùs Patriam. Monetæ corruptio, falsatio. Nefarium Sodomiæ scelus, ut ipsa pudicitia omnibus constaret mortalibus. Cum enim ad evitanda majora scelera permissum esset, ut singulis Annis ex finibus Germaniæ juniores fœminæ certo conducerentur stipendio, quæ juxta publicam carnificinam in ædibus Nicolai Rampani (corrupto postea vocabulo Carampane dictis) ubi nunc D.Mathæi phanum est, prostrarent, vulgique libidini inservirent, certà mercede persolvendà; pœnam etiam capitis adversùs masculam Venerem statuerunt: ut scirent mortales, pudicitiam nostris proavis pari gradu custodiendam fuisse, ac Reipublicæ libertatem. *Ægnatius lib.6 p.195.*

Marinus Bocchonius auctor seditionis popularis (teste Io: Bap. Contareno *lib.7. Hist. Venetæ*) ob firmatam Optimatum Aristocratiam à Principe Gradonico. Antea cum annuatim eligerentur ex tota urbe viri 470. qui suprema comitia componerent, quorum auctoritas annua erat; lato decreto, ut illi soli cum suis descendentibus in infinitum, suprema ingrederentur Comitia, qui quatuor ab Annis admissi fuerant, & iterum à quadraginta Virali Collegio confirmati fuissent: Populares jacuerunt exclusi. Quo decreto in furorem concitatus Bacchonius plebem excitavit adversùs Ducem, & Patritios.

Tanti Principis, Venetæ promotoris Aristocratiæ, sepulchrum, quod in Abbatia S. Cypriani Murani iacebat cum epitaphio, non sine iniuria tanti Principis quæritur, nec invenitur; forsan ob Patriarcharum dissidia, cum

Gra-

Gradonica familia; cuius in fundum Ecclesia S. Cypriani in littore olim erecta Metamaucensi, & Ducali Capellæ immediatè subiecta, translata fuit, *Ughello* teste *in Venetis Patriar.p.*133. Propterea unionem huius Abbatiæ cum mensa Patriarchali, meditanti Sixto V. R. P. Anno 1587. Paulus & Vincentius q. Dominici Gradonici libellum obtulere, protestantes jus eligendi Abbatem S.Cypriani ad Gradonicos spectare. *Bulla Sixti V.* quo non obstante, unione facta; sublata est Gradonici memoria, Principisque Petri Gradonici caput marmoreum in muro repositum turris tintinnabulariæ, nullo adiecto Epitaphio. Traditio hæc tamen, nulla scriptura suffulta.

Marinus Georgio. Dux L.

MArini Georgio sepulcrum omnibus ferè ignotum apud Fratres Dominicanos habes SS.Io: & Pauli, ut in Catastico Sepulturatum existentium in templo, & claustro SS.Io: & Pauli, conscripto à F.M.Antonio Luciomo Veneto S.Theol.Professore Anno Sal. 1521. quod adhuc integrum servant Sacristæ eiusdem cœnobii, *pag.* 201.*tergo.*

Sepultura N.V.D.Hermolai da Chà Zorzi, & omnium hæredum suorum.

Sepultura.

D. Bertucii Georgio de confinio S. Severi in terra iacens, est in claustro, parte Ecclesiæ, ante sepulturam D. Ansuini de Maceriis, inter quintum & sextum pilastros Ecclesiæ, cum insigne, & tali epitaphio.

Sepultura N. V. D. Bertucii Georgio, & filiorum eius, Ioannis Francisci de confinio S.Severi; qui Franciscus obiit 1400. die 30. Iunii.

Sepultura Incliti Venetiarum Ducis D. Marini Georgio est contigua suprascriptæ, versus murum Ecclesiæ, sine epitaphio.

Franciscus Dandulus. Dux *LII.*

SUb hoc Principe cusæ leguntur Monetæ parvulæ *Mezanini* appellatæ & *Soldini del Leone. M.S. in Bibliotheca Trona.*

Marinus Phaletrus. D*ux LV.*

EIus monumentum adhuc visibile, in solo jacet ad dexteram angiportus Capellæ, quam *Pacis* dicimus, eiusque in coronice, characteribus Gothicis leguntur hæc verba.

Sepultura Dominorum Marini & Iacobi Faletro, & suorum hæredum de confinio SS. Apostolorum.

Ex quibus Faletræ gentis commune apparet fuisse sepulchrum. Verumtamen eò immissum cadaver Faletri Ducis proditoris, testatur in suo Necrologio M.Antonius Luciomo supradictus.

Sepultura D. Martini Faletro Ducis Venetiarum de confinio SS. Apostolorum, est iuxta primam portam Conventus, & est prima ex elevatis à terrà cum insigne Faletro, & tali epitaphio in ore sepulturæ: ſed commune eſt epitaphium.

Andreas Contarenus. Dux *LX.*

COntareno Duce: Inſigni Gentilitio Venetæ Reipublicæ, ſcilicet *D. Theodoro*, *S. Marcus* ſubrogatur (teſte *Andræa Mocenico lib. I. Belli Camerac. p.* 6.) quod in certamine Ianuenſium & Venetorum inſignia ſæpè confunderentur, ob ſimilitudinem D. Theodori in Venetis alpuſtriis, ac D. Georgii in Liguſticis: miles enim uterque Sanctus. Cum etiam arma abhorreat Reipublica, nec niſi coacta ad tutelam tractet non ad laſciviem: unde Lancem in ſiniſtrà poſuerit eiuſdem S. Theodori, in dexterà clypeum, quòd pacem in votis habeat, non bellum; D. Theodoro militi, prætulit virum pacis Marcum Evangeliſtam.

Clodiæ obſeſſi Ligures, nè comeatum ad militum alimoniam coacervatum conſumeret gens inutilis, ſenes ſuos, fœminas, filios parvulos lactantes, quos ipſi genuerant eiecerunt, ferro exponentes hoſtili; quorum ſpectaculo motus Contarenus mandavit, turbam illam miſerabilem humaniter ſuſcipi, Venetias deduci, cibo refocillari. *Doglioni Ven. Trionf. p. 27.*

Expugnatà Clodia, triumphantis more in patriam Contarenus rediit Calendis Iuliis, *qui dies nobis ſacer, auguſtuſque eſt.* Ægnatius p. 285.

Antonius Venerius. Dux *LXII.*

PAtris ſeverum judicium adversùs filium ne mireris; eo namque tempore Veneti quanto pii & miſericordes in extraneos, tanto juſti erga ſuos, pœnas exercebant ad menſuram delicti. Refert ex *Petro Ancharano*, *Gaſpar Lonigus in conſilio pro Clero Veneto:* uſque in Annum 1381. caveam extitiſſe ferream in turri tintinabularia D. Marci, in quà Presbyter jam ab Anno jacebat incluſus cibum recipiens diurnum, fune ex alto dimiſsà, ut ſcelera purgaret patrata.

Michaël Stenus. Dux *LXIII.*

ADoleſcens cum eſſet, vitam libertinus traduxit in luxu, & impudens: ille forſan qui adversùs Ducem Marinum Phaletrum lingua cecinit impudica. Eius electionem in Ducem tanquàm inordinatam Advocatores Communis, declamatione habità in ſupremis Comitiis, nullam declarari poſcentes, obtinuerunt; quamvis, purgato errore, nova fuerit electione promotus. Iuventutem ſupergreſſus, cum moribus mutatà fortunà

nimiam

nimiam libertatem ita castigavit; ut summis honoribus functus, in præturis Veronæ, atque Patavii, tandem in Principatu, summæ justitiæ exemplum reliquerit. *Ægnatius lib.6.p.* 228. *Contar.lib.9.p.* 114.

Procurator cum esset D.Marci, duodecim Apostolos Græco marmore sculptos erigi curavit.

Malè ferentes Historici Ligures & Galli eorum ducem *Bucicaldum* cum viginti triremibus ex Tyrrheno redeuntem, victum à Carolo Zeno, qui cum solis undecim triremibus hosti occurrit irruenti, & vicit: scripserunt; ad Monomachiam a Bucicaldo provocatum fuisse Zenum, imò ipsum Principem Stenum, quorum neuter voluit in arenam descendere. *Hist.du Mar.Boucicaut.An.*1404. Hęc in fabulis, cum Historici omnes non solum de Zeni victoria conveniant, sed de Pauli Sauli Liguris, & Castermorantii Galli captivitate. Imò cum quidam genere Gallus tædio carceris, irà accensus palàm dixisset, sperare se quandoque Veneto sanguine manus abluere; dirum barbari omen Patres exsecrati, Gallum ad geminas columnas laqueo necarunt. *Petrus Iustinian.lib.6.*

Anno Salut. 1408. Coactà Synodo Diœcesanà (permittente Principe Michaele Steno) ab Episcopo Castellano Marco Lando, ut in *Constitut.Patriar.p.*31. prohibitum fuit, ne (exceptis Plebanis, & Doctoribus) *ullus Clericus auderet portare corrigias, sive zenturias argenteas, vel deauratas*. Privilegium, quod Plebanorum incuria in desuetudinem abiit, non sine dignitatis iniurià.

Franciscus Foscari. Dux LXV.

FOscari recentior ætas (alterum enim & quinquagesimum ætatis vix annum agebat) cum plurium vota ab eius in Principem electione retraheret; convenit prudens cum iis, qui illi uni studebant, ut se ei adversos profiterentur, donec ille annuisset. Supplex postea exegit à suffragatoribus aliis, ut saltem honoris gratia suffragiis decorarent honestis eum, qui D.M. Procurator Rempublicam optimè gesserat. Quod cum impetrasset, fautoribus annuit, ne deessent. Supputatis calculis, 25 sortitos (numerus tunc in eligendo Duce legitimus) Dux salutatur industrià assequutus, quod ætas negabat recentior. *Ægnatius lib.7.p.*245.

Inter ambientes Petrus cum esset Lauretanus Senator maritimis clarus, multisque victoriis Imperator, ne in Principem eligeretur, unus eorum obstitit, qui Foscari favebant, conscenso namque suggestu cœpit Lauretanum summis extollere laudibus, seque unum ex iis esse, qui illum cunctis præferret: verumtamen prævalentibus in Oriente Turcis, qui Byzantium expugnarant: cum Mediolanensi conspirante Ligure; unusque esset Lauretanus, qui Mari tot hostibus occurrere valeat; ab eius promotione abstinerent, quemlibet alium subrogando, ne Rempublicam ambitus subverteret di-

dignitatis. Cuius oratio tantum valuit, ut Foscari eligeretur. *Ægnatius ibidem.*

Hermolaus Donatus Triumvir Advocator Communis, vel *Decemvir* cæsus à Nicolao Ericcio. *Ægnatius p.266.*

Clade nuntiatà Caravagiensi, convocatum Senatum penè perculsum novo, celebrique facto ut Dux excitaret, pecuniâ suâ in Senatum transtulit, cum ea se Legati nomine discinctum in castra exhibens profecturum; quo facto adeo omnium movit animos: ut illico reparato exercitu, profuso auro, collectisque copiis, sit Sfortia repulsus; paceque firmatâ, Maiestas Veneta in suo constitit vestigio. *Ægnatius p.274.*

Marcus Foscari Procurator D. M. frater Ducis Francisci, quum in Decemvirali Consilio ageretur de principatu abrogando ipsi Duci, & ipse de *Adiunctis* esset; ne suspicio manare posset in vulgus, hoc ab ipsis agi; singulis diebus cò advocabatur, cubiculo tamen diligentissimè inclusus, gravique adauctus pœnâ, ne quid tale proderet. Hinc abrogatione vulgatâ, pietatis memor fraternæ, non longè post mortem fratris, diem obiit supremum. *Ægnatius lib. 5 p.178.*

Mortuo Dominico Michaelio Patriarcha Gradensi; Patriarcharum ut loco collocaret digniori, Nicolaus V. Venetias transtulit, & S. Laurentium Iustinianum Venetiarum ProtoPatriarcham creavit.

Anno 1433. die 23. Ianuarii; vocatis ad se Princeps Præsidentibus Cleri mandavit; quatuor Plebanos eligi, qui ad Concilium pergerent Basileense, nec inde recederent absque licentià Legatorum Reipublicæ, suarum fructus interim percipientes suarum Paræciarum tanquàm Residentes. Huius præcepti vigore coacta Cleri Comitia statuerunt, ut si pecunia deficeret numerata pro expeditione Plebanorum; prædia hypothecarentur ad congregandum aurum, quo Plebani Legati, Maiestatem sustinerent Reipublicæ. Nil tamen legitur oppignoratum. Verum cum absoluto Concilio, vagarentur quatuor illi Plebani sumptibus Cleri, negato Viatico, in patriam sunt revocati.

Paschalis Maripetrus. Dux LXVI.

QVod Dux Ducem Foscari comitaretur ad sepulchrum sed sine Insignibus Ducalibus, ut diximus in vità Foscari; lege Simeoni lib. 3. p. 68. *Trovandosi il Foscari non più atto alle facende, fù spogliato degl' ornamenti del suo Principato, e di questi vestito Pasqual Malipiero, che non stette molto, che à lui similmente furono tolti, per rivestirne (come si deveva) il Foscari già morto, & accompagnarlo con essi alla Chiesa de Frati Minori.*

Cum occasione Decimarum, quæ pro Clericorum alimonia à Laicis solvebantur, in funere mortuorum, scandala orirentur gravissima, *& iustitia defectu* (Ita B. Laurentius Iustinianus in Synodo per eum congregata in

Ec-

Ecclesia D. Marci præsente Duce, ut in Constitution. Patriarchal. par. 3. de Sepulturis pag. 100.) *multa enormia comitterentur: cum ipsi Clerici sentiant sæculares sibi ex iure teneri: & tamen ex causa prædicta cogi non posse. Clerici inhibeant corpus sepulturæ tradi, nisi primo debitum faciant, & laici talia detestentur, putantes solo spiritu Clericos, absque alimentis necessariis nutriri posse. Ut scandala evitentur declarantes statuimus; quòd Clerici invitati antequàm accedant ad domum defuncti pro matutinis dicendis, quàm honestè poterunt absq; conscientiæ scrupulo conveniant cum facientibus sumptus funeris, & componant &c.* Quæ omnia a Romano Pontifice ibidem confirmata leguntur. Gravissima namque funerum occasione surgebant dissidia inter Clericos, & Laicos, non solum Venetiis, sed per totam Lombardiam, Patavii præcipuè, ubi (teste *Thebalbo Cortelleris*) cum decrevissent Patavini, ut unius tantum *Grossi* pœna puniretur Clerici homicida, sacrilegus; fuerunt excommunicati.

Eodem instante Principe Maripetro, interprete (Bernardo Iustiniano Reipublicæ Oratore apud Sixtum IV. Anno Salutis 1471.) sublatus est abusus onerosus Deo, ac juri patronatus in electione Plebanorum. *Quum enim Templorum cura, ad eam usque ætatem, Venetiis ex arbitrio Pontificis, gregariis interdum hominibus, potissimum demandaretur: Iidemque Ecclesias semel acceptas, sæpius vel uberioris lucri spe, vel tædio aliquo affecti permutarent*, & in manu Pontificis resignarent: *ob idque negligi interdum, & sperni, ne dicam everti viderentur, optimum factu arbitratus Bernardus; si patritii viri, vel alii etiam, qui sub eiusdem Ecclesiæ cura domos haberent, Sacerdotem unum literis, & moribus Sanctiorem, qui cæteris praeesset, eo honoris gradu inaugurarent; quod cum ei ad vota ex Pontificis decreto successisset, vocarenturque deinceps Sacerdotia gentilitia, in patriam revertitur.* Antonius Stella in vita Bernardi Iustiniani.

Christophorus Moro. Dux LXVII.

MOrus non Maurus dicendus, cum pro insignibus Gentilitiis *Moros* gerat fructus, à quibus Morus: non homines Mauros incolas Mauritaniæ, nigri coloris, à quibus Maurus diceretur.

Instante Christophoro Moro Venetiarum Duce ab unà, & ab alterà Bernardo Abbate S. Iustinæ, Luca Priore cum Procuratoribus civitatis Patavinæ, die 9. Decemb. 1463. Cardinalis Bessarion partibus auditis declaravit, corpus in Ecclesia S. Iustinæ usque modò honoratum tanquàm corpus S. Lucæ Evangelistæ, non esse: sed verum ac legitimum corpus S. Lucæ Evangelistæ Roma relatum stare in Ecclesia S. Nicolai de Littore; quod postea dono eiusdem Mori Principis, translatum fuit in Ecclesiam S. Iob.

Nota controversiam inter Regulares S. Iob: quorum aliqui asserunt Prin-

cipem Moro, mandasse Sacerdoti, qui ei à Sacramentis erat, ut post eius obitum, cadaver pro reverentia quam Regularibus illis gerebat projicerent in sterquilinium dictorum Monachorum S. Iob. Alii cum hæc veluti fabulam irrideant, inter historias transcribere non ausi.

S. Bernardinus Senensis cum non semel Venetum Principatum post mortem Foscari, prædixisset Christophoro Moro, qui inter D. Marci Procuratores insignis fulgebat; Foscari autem abrogato Paschalem Maripetrum Civitas subrogasset; cepit Morus non solùm tacitus irridere Sancti Bernardini vaticinium, sed palam exprobrare, quòd ipse repulsam passus postpositus fuisset Paschali Maripetro. Reposuit Sanctus: expectaret patienter veritatem vaticinii, quòd abunde impletum in Principem assumpto Moro post Maripetri obitum; nec antea promoveri permittebat vaticinium, quo post Foscari obitum, non post Foscari degradationem, regimen fuerat Moro prænunciatum. Maripetrus namque Principatum tenuit ante obitum Foscari, non post obitum. *Ægnatius lib. 7. p. 152.*

Nicolaus Marcellus. Dux LXIX.

EX tantis Præturis & Legationibus omissis in eius vita; unum pro cunctis publicum suppleat testimonium in Cancellaria Brixiensi *fol. 68. lib. Provisionum, die 29. Sept.* 1455. prolatum ab Advocato Communi, in Generali Consilio, in laudem eius pietatis erga Templa, liberalitatis in egenos, & pauperes, iustitiæ erga omnes: ab eo exordiente, quod in sacris legimus. *Hoc est vas aureum, solidum, ornatum omni lapide pretioso.*

Accedant *Gladius & Pileus*, dono missi à Romano Pontifice Sixto IV. monimentum Religionis in Principe, & prædilectionis in Christi Vicario erga iustissimum Principem. A Marcello namque usque ad Franciscum Maurocenum, nullum Principem hoc munere decorarūt Præsules Romani. Sic *Rosa Aurea*, ab eodem Pontifice transmissa ad eius religiosissimam coniugem Helenam Francisci Barbadici D. M. P. filiam, Marci & Augustini Barbadici Venetorum Principum sororem, excelsæ indolis Heroinam, & pietate parem.

Procuratore Marcello Ecclesiæ D. Marci, Ann. 1467. inventa theca lignea cum ligno S. Crucis, & uno ex clavis salutiferis, cum Bulla Gregorii IX. R. P. quæ per Annos 250. latuerant. Instituta propterea publica supplicatione pro gratiarum actione, ut *lib. Priuli; in Bibliotheca Cornelia Piscopia.*

Petrus Mocenicus. Dux LXX.

IS ille, qui Eoliam populatus & Cariam, totam Caramaniam pulsis Turcis suo Regi restituit. Huius gesta descripsit Coriolanus Cepio, typisque dedit Venetiis, An. 1570.

Andreas

Andreas Vendraminus. Dux *LXXI*.

NEpos illius Andreæ, qui sodalatio cum præesset S.Crucis, & die D.Laurentio sacra, cum ligno Salutis, in Ecclesiam processionaliter pergeret; frequentia populi præmente signiferum, ex ponte in undas illabitur, Cruce supernatante, cuius in capturam accurrente populo, nemo eam apprehendere valuit, manus effugientem profanas; donec accedenti Vendramino se ultrò obtulit. Tanti miraculi memoriam servat pictura Gentilis Bellini, in ædibus S.Cruris.

Novi Principis recurrente electione; cum Vendramino filiorum objiceretur numerus, propinquorum caterva, divitiarum copia; vicit meritum & virtutes.

Proprio Vendraminum non pepercisse filio publica legimus inscriptione; cui consonat oratio Petri Marcelli in funere habita eiusdē Principis, quam M.S. servat *Fridericus Marcellus* D.M.P. & mihi ad viventiū eruditionem, humanissimè commodavit. *Vos Patres testes habeo* (ita Petrus Marcellus) *Principem Vendraminum nihil supra duxisse quàm iustitiam, & adversum magnos, infirmos fovere; pro qua conservanda, filium in exilium mittere passus, cum eum honestè potuisset ab exilio revocare: multorum exemplo, qui sub eadem lege damnati, reditum in patria habuerunt. Solus tamen Princeps legem tulit, nè cui postea exuli, ullo sub prætextu, capitali pœna addita, in eum locum redditus pateret, à quo semel exulavisset, ac filium primum esse voluit, qui huic Sanctissimæ legi observantiam afferret. Quid igitur hac severitate præstantius? quæ etiam pro servanda iustitia, proprio sanguini non pepercit.* Crimen quale fuerit? nothus fuerit, vel legitimus filius Ducis? incertum. *Hinc corrige Petrum Iustinianum p.*227. dicentem: à Hieronymo Contareno Bertucii filio, laudatum fuisse Ducem Vendraminum in funere.

De eodem Duce lege carmina *Raphaelis Iovenzeno: Naldi de Naldis*: & *Marci Maurocæni. in eadem Bibliotheca.*

Dux creatus largissimè pecuniam profudit in populum, & in eorum libertatem, qui ære obstricti alieno, carcere detinebantur, insuper ad virgines elocandas. *Petrus Marcellus orat. in funere.*

Adjice moderationis exemplum; priusquàm enim Princeps crearetur, cum quodam plebeo altercatus pro jure dignoscendo, ad graves inimicitias contentione prolata; electione vulgata, cum plebeus ille, turbato vultu increparet electores quasi de iniusta, & indecora electione; propterea à Decemviris inquisitus tanquàm læsæ reus Maiestatis, pęna capitis foret puniendus; Princeps clementissimus obsecrando, obtestando, ut sibi læso liceret iniuriam remittere: ne grandem animum curvare videretur iniuria; impetravit homini inimicissimo; ut ultimi loco supplicii, in Dalmatiam reus relegaretur.

Io:

Marcus Barbadicus. Dux *LXXIII.*

CUm plures pateretur æmulos, & inimicos, omnes beneficiis vinxit; dicens: Principis satis esse ad vindictam, vires ostendere, non extendere adversùs privatos, sed solùm in hostes Reipublicæ. *Simeoni lib.* 3. *pag.72.*

Mortuo Barbadico, incidit deliberatio, de admittendo Turcarum Oratore, spectatum funeris pompam? cum ille impensius peteret; & plures negarent rituum varietatem, vestimentorum, ordinum in Religione prophanis oculis subjiciendam; ex qua barbarus suspicaretur, non unam esse omnium religionem erga Deum immortalem: respondit M. Sanutus *non adeo socordem Turcam, suæ quoque sectæ rituum oblitum, in qua alii viridi, alii rubro utuntur etiam in Meschitis vexillo, ut crederet Religionem ex coloribus recensendam. Pertinere simul ad Christianam, & Civilem Maiestatem, videre Barbaros; hic Religionem non tam piè coli, quàm opulenter. Si enim diversitas decorem affert iis, qui Principi militant humano; tanto magis eis, qui Regi serviunt immortali. In vestitu deaurato circumdata varietate.* Huic sententiæ plaudente Senatu; adiecti sunt Turcæ, humanarum, divinarumque rerum periti, qui oportunè declararent, si qua illius animum vel modica ambiguitate obturbassent; *Marcus Dandulus I. V. D. Petrus Contarenus Adorni* Historicus Venetus, *Antonius Leonardicus* Sacerdos cæremoniarum præfectus, ac geographus singularis. *P. Callimachus. De Venetis in Turcas.*

Peroravit in funere Barbadici, Paulus Lucæ Pisani filius, mox Eques futurus. *Idem Callimachus.*

Mortuo Marco Barbadico: *Baldachinum, Tensam,* sub quo Domi sedebant Principes, Suprema interdixere Comitia.

Augustinus Barbadicus Dux *LXXIV.*

PRinceps fratri Principi subrogatus; cornu prænsante Bernardo Iustiniano D. M. Proc. qui literis, & facundia celebris, ipsaque ætate venerabilis, quam magni semper fecere Veneti; propterea erga eum Barbadicus se adeò moderatè gessit, ut semper cum verecundia Iustinianum salutaverit, dexteramque iunxerit, & quoad vixit, charissimi loco fratris semper habuerit. *Ægnatius lib.4.p.*137.

Arma Veneto gerente Leone adversùs Gallorum Regem Carolum VIII. pro Italiæ libertate, fuit, qui Barbadico Principi cædem Regis offerret: quam ab-

abhorrente Duce, & dissuadente, Regicidam Veneti remiserunt. *p.* 31. *Ven. Trionf. Doglioni.*

Leonardus Lauredanus Dux *LXXV.*

AN. Sal. 1506. missis ad Principem Lauredanum Legatis, Norimbergenses, ampla florens, suique iuris in Germania civitas, exemplum Venetarum legum postularunt: quibus cum velle vivere profiterentur; eas Princeps concessit. *P. Bembus lib. 7. p.* 171. *Doglioni p.* 1052.

Antonius Grimani Dux LXXVI.

TAntæ moderationis fuit, ut etiam Princeps dictus nullum à se reiecerit. Cum in ea Vrbis frequentia, quæ in domo Grimana convenerat, etiam Nicolaus Michaelius Grimano jam subrogatus in purpuram Procuratoriam, non dubitasset accedere; rogans, ut præteritæ fortunæ deleretur memoria; læta statim fronte occurrens Antonius, complexusque non solum oblivionem promisit; sed opes, seipsum, si Michaelio necessaria; quod & sanctè adimplevit. *Aegnatius lib.* 4.

Andreas Gritti Dux LXXVII.

INter fortissima Gritti gesta, in bello Cameracensi, quæ legere est præcipuè apud Andream Mocenicum; captivitatem eius adjicies, in qua legatum agens Reipublicæ apud Gallos, eorum Regem, patriæ reconciliavit; Legati tamen Characterem à Senatu non obtinuit, ut novum fœdus cum Gallo iuraret, priusquàm plena libertate donaretur à Rege; cuius pacta cum sibi legerentur, negavit Gritti ipse proposuisse, vel præparasse, sed audivisse tantùm sibi à Gallis proposita, ut missa ad Senatum Venetiis conficerentur, non Parisiis ab homine captivo. Quod cautè, ad removendam fraudem, quam fœderati causari possent. *Vviquefórt lib. 1. p.* 252.

Anno Sal. 1531. Cum specie Iurisdictionis, gravissima dissidia gliscerent inter Venetiarum Patriarcham, & Clerum; & duo Plebani Cleri Procuratores Romam pergerent, ut rem prócurarent communem coram Sanctissimo, vim passi & Bononiæ detenti, ac in carcerem detrusi, ibidem angariati languerunt, donec instante Principe Gritti tanquàm innocentes absoluti, in patriam fuere remissi: *lege ep. Clem. VII. Romæ datam* 8. *Ianu.* 1531. *ad Hieronymum Patriar. Venet. in p.* 77. *Constitut. Patriarchal.*

An. Sal. 1525. capto ad Papiam Gallorum Rege ab Hispanis: contigit: venire ad Principem Gritti, Oratorem Hispanum victoriam nuntiaturum eodem tempore, quo Gallorum Legatus red bat tristis, significata sui Regis captivitate. Princeps qui iam mæstitiæ verba, & signa doloris cum Gallo expresse-

prefferat, ne mentiri videretur, Hispano respondit: *Quod æquè amicus utrique Regi, utriusque fortunam sequi, conveniens erat. Propterea præceptum implens Apostoli; Gaudebat cum gaudentibus: flebat cum flentibus*. Aegnatius lib. 6. p. 200.

Petrus Lando Dux LXXVIII.

EX patre Ioanne, Magistratibus claro, & Sterina Foscari Matrona excelsa prodit Petrus. Adolescentiam supergressus inter Platonis convivia, navigavit in Syriam, libris primo inter Sarcinas convasatis, sine quibus peregrinus veluti sagum transmittitur in corigio. In patriam restitutus, usque ad Annum ætatis 33. foro incubuit; quum ex Advocato, Petitionum Iudex immaturæ licet ætatis; Sapientiæ dandum, quod negabatur ætati, iudicarunt Advocatores Communis. Ordinum Præconsultor, cuius est, de rebus Maritimis ad Senatum referre, gloriam subiit non minorem, ac in Iudicialibus. Prætor Bassanum missus (O celebris Venetorum moderatio! ò laudabilis ad munera gradus!) legum usus auxilio non quantum valens, sed quantum satis; laudatus rediit de justitia, & de judicio. Onerariis Præfectus, quæ Alexandriam mittebantur, socios servavit cum primus & solus periculum annuntiavit naufragii. Ærario præpositus, nec longè Navalis assumpta moderatione, pecuniam Reipublicæ administravit quasi familiæ, in montana abiens, ut contos, remos, funes, rudentes, colligeret, etiam salutis incomodo, ex quo consurgens, à Senatu præelectus, cum triremibus Pannonum Reginam in tutum reducere, officium implevit salva Reip. maiestate, ac Reginæ gratitudine. Salinarum procuratione recepta, eam Reipublicæ navavit operam, ut Magistratu optimè gesto, construendarum ædium, quæ Germanis hodiè locantur mercatoribus, onus subierit, & brevi perfecerit. Continentis Præconsultor, oppidis ea vigilantia prospexit, ut in eumdem Magistratum sæpè fuerit revocatus, donec Faventiæ præfectus (Venetis hæc fidem iuraverat) urbem adiit plenam discriminis, Iustitiam secum ferens, quibus illecti finitimi populi, etiam non subditi, ad eum turmatim iudicandi confluerent. In patriam redeuntem Faventini legationibus comitantes, ut ei protraheretur imperium; quasi Lãdo abeunte, ipsi obsequio nutarent. Bello rugiente Cameracensi (in quo totius penè Orbis Christiani viribus oppressa Respublica) Flaminiæ castra curavit, fortuna hostibus famulatrice, quam supergressus, Ravennam, Faventiam, cæterasque Flaminiæ urbes pugnando, cunctando, servavit: donec ducum discordia, fusis in Abdua Glarea Venetis, Gallo deditis Cisalpinis urbibus, iussus Landus à Senatu Flaminiam Romano cedere Pontifici, vix ipse hostium elusit insidias. Continentis iterum Præconsultor ea tempestate, qua pro aris, & focis cum hoste victore certabant, ad pacem Senatum induxit, cuius voto ad Cæsarem Legatus, Gurcensem Cardinalem Tridenti offendit,

dit, Maximiliani legatum, quem sibi officiosè devinctum, ea lege ad pacem inflexit, ut Vrbes à Veneto amissæ, restituerentur omnes, Verona excepta, quam Gurcensis parvo pretio redimendam brevi promittebat. Annuisset conditionibus Landus, ni Patres ex mora meliorem sperantes fortunam, eidem mandassent, Gurcensem Romam dirigere; ubi juxta Landi vaticinium, Legati Principum, qui Rempublicam armis cupiebant involutam, callidè omnia subverterunt. In hac expeditione, novo petitus morbo, legationem ei à Senatu commissam ad Gallos implere non valuit. Legatus iterum ad Pontificem mandante Senatu, etiam morbo abiit prohibente; eaque gratia prævaluit, ut nunquam vacuus rediret à conspectu Pontificis. Victis namque prope Vincentiam, Venetorum phalangibus; ne etiam Neapolitani ingruerent, qui transitum impetraverant per agros Pontificis, Lando postulante, itinere clauso, reclusa iterum per Leonem X. pacis colloquia. Hispaniarum decimas cum idem Pontifex in belli subsidium, Cæsari indulsisset; Lando reclamante, non solùm Cæsari abrogatur decretum, sed Veneto permittitur, milites centuriare in agro Pontificis; cumque Lando pecunia deficeret; ex Petri ærario, decem millia aureorum obtinuit Landi nomine, non Oratoris: nè in Cæsarem diceretur Pontifex conspirare. In patriam rediens, excitatus à Papa, aliquid petere; Patriam semper commendavit, quæ sibi vita charior. Reponente Pontifice, quid aliud postulare, Patriam iterum commendavit. Sedens inter Decemviros, Vectigalium Gubernator, Consiliarius, Patavii Prætor, ubi latrones, sicarii, scholarium spetie, rapinis inhiantes, pacem turbabant feroces, brevi otium restituit, munera non accipiens, nec respiciens. M. Consilii Sapiens, iterumque Consiliarius, in promotione D. M. Procuratorum, multis honestatus suffragiis, ter ob ætatem præteritus locum dedit senioribus. Fęlix Respublica, per quam Natura promota non subversa, præcedunt senes veluti dii Penates. Mortuo Principe Antonio Grimano; à pluribus vocatus ad solium. Classi præfuit (quum bello Cæsar, sterilitate Tellus Venetos fatigaret) reparatisque triremibus, quæ Corcyræ exarmatæ jacebant, piratas perdidit, qui Iudæo Duce, Mare Siculum infestabant, frumentatione apud Siculos impetrata, vel extorta etiam Cæsare prohibente, per quam patriæ abundè consuluit. Inde Monopolim ducens, ad deditionem compulit, eodemque cursu Nola potitus & Pulignano, Brundusium irruit; diruisset, dum à Senatu jussus Neapolim petere, quam Gallus fœderatus oppugnabat, relicto Brundusio, corpore æger Neapolim venit, Gallos inveniens peste consumptos, & classe Andreæ Auriæ, qui cum sexdecim triremibus ad Cæsarem desciverat, circumsessos: propterea obsidione soluta, Gallos in tutum deduxit spreto Ligure, qui nauticæ peritissimus cum pari classe ad Isciam insulam, Gallos adoriebatur; nullo Landus amisso navigio, sed tribus hostium occupatis biremibus, pluribusq; onerariis, unaq; rostrata cum tercentis Hispanis quibus remiges recreavit. Bruma ingruente in patriam rediit; dum plebs Patavina fureret ob scele-

rum licentiam,& caritatem Annonæ. Seditioni occurrens Senatus, Landum Prætorem creavit secundò, pœna statuta si Provinciam intra deces dies non adjisset cum sexaginta militibus ad custodiam corporis ultra lictores; Pecunia recepta, Pataviũ abiit inermis, in occursum exeunte urbe cum ramis arborum, ad *Iustitiæ patrem, pauperum patronum*. A frumentatione exorsus, frumentum divitum avaritia reconditum, vendi jussit. Prædives, qui frumenta tenere dissimulabat, à Prætore amicè suasus annulum, quem digito ferebat, spectandum tradere; Prætor cum accepisset, misit eum in arrham fidei ad custodes, receptaque non parva frumenti copia, cæteros ad justitiam piè compulit erga pauperes. In sicarios conversus, duorum sanguine, cæteris ita legem conscripsit, ut reliquo Præturæ tempore, Ministris rerum Capitalium opus non fuerit, quos ob celeritatem profectionis seligere non valuerat. Milites quoque ei à Senatu designati cum essent supervacui; pecuniam ærario restituit. Hoc in otio versabatur Landus, cum ob novam Turcarum irruptionem evocatus in patriam ad Maris imperium, instruendæ classi totus incubuit, quamvis D. M. Procurator electus, tandem per obitum Andreæ Gritti, Princeps subrogatus thronum tenuit plenum molestiæ; classicum canente Solimano, in quem Carolus Imperator armatam cupiens Rempublicam, spe lactabat auxilii, & cum Gallo pacis, quam abhorrebat. Vrbi itaque ut fame succurreret, laboranti, quum nec à Pontifice, nec à Cæsare promissa submitterentur auxilia, imò commeatus, frumenta pretio negata, fraudeque ab Hispano intercepta; Aloysium misit Baduarium, cum facultate inter arcana suæ legationis, redimendi pacem etiam Naupliæ pretio, & Epidauri; qui cum ad Solimanum venisset, & pacis impetrandæ gratia ingentem vim auri, loco urbium polliceretur; Solimanus literas proditorum è sinu proferens, Legato obiurgato tanquàm mendaci, urbes extorsit cum tercentis Sestertiis, gravi Baduarii infamia; donec Decemviris detectus Nicolaus Cavazia, & Augustinus Abondius auro corrupti Gallico, Arcana prodidisse Senatus, in ædes se receperunt Episcopi Mompelerii Gallici Oratoris, ad quem ministri profecti, ut reos extraherent; Gallo contradicente, ex Triũviris Advocatoribus accessit Ber. Georgius proditores postulans; sed adhuc tanti Magistratus spreta maiestate, cum vim etiam Galli attentarent, urbem totam excitarunt, ipso aucurrente Vincentio Grimano D.M. Procuratore, fabrorum navalium multitudine septo; quorum furore Gallus exterritus reos tradidit; qui protinus in equuleo positi, prodidere socios Maphæum Leoni Senatorem, Constantinum Cavazia, Decemviris à Secretis, & Io: Fr. Valerio Sacerdotem, qui arcana edocti Reipublicæ, Gallorum Regi exterisque Principibus aperiebant. Proinde Valerio, Cavazia, & Abondius publicè laqueo necatì. Leonus, & Constantinus alter Cavazia absentes proscripti, eorum liberi in perpetuum nobilitate privati. Tanto pretio redemptam pacem cum subvertere meditarentur Vscocchi, ad piraticam palantes, patibulo affixi.

Franciscus Donato Dux *LXXIX.*

MIsso in Continentem Stephano Theupulo, lustratis urbibus & oppidis terrestris Imperii, censa sunt capita centies centena, quadringenta, octuaginta sex millia, quorum à vigesimo usque ad quadragesimum Annum, qui bello apti essent supra ducenta ferme millia sunt numerati. *Henricus Kellnerus in vita Franc. Donat.*

M. Anton. Trivisan. Dux LXXX.

INitio eius Principatus, statim victoria nuntiatur Christophori Canalis adversùs piratas juxta Hydruntum, tribus eorum longis navibus interceptis. *Kellnerus in eius vita.*

Laurentius Prioli Dux LXXXII.

URgente inopia rei frumentariæ; jugera, novalia, campi, qui latè totius imperii Veneti finibus neglecti, & stagnantibus aquis inarati nullam frugem ferebant, ad culturam, mandante Principe, redacti: ut vomere fatigata tellus, per multa passuum millia Cererem humanæ indigentiæ largiùs suggereret. K*ellnerus.*

Hieronymus Prioli Dux *LXXXIII.*

M. Antonium Amulium Venetum Oratorem, tunc Romæ agentem, Episcopum cum Papa declarasset Veronæ; ægrè ferente Principe cum Senatu jura prophanari vetusta, & morem patriæ prohibentis, nè in munere Legationis Oratores ullum consequantur beneficium sæculare, vel Ecclesiasticum; Amulius Episcopatu se abdicavit. *Kellnerus, Vianolus.* xvi. Octob. 1564. absoluto Trident. Concilio cum Reges nutarent, nec appareret, quis eorum iurare vellet Concilii observantiam; Prioli Venetorum Dux, primus omnium Regum, cum Senatu obedientiam professus filialem, Vrbibus mandavit omnibus Concilium publicari, & observari.

Petrus Lauredanus Dux LXXXIV.

INcendium Navalis Armamentarii, eo tonuit boatu, ut dirutis soloque æquatis vicinis Ecclesiis, Veronam usque strepitus insonuerit. *Manolesso p. 8. dell' Istoria.*

Expeditionem parante Selimo adversùs Cyprios: Mehemet Passa datis literis, Principem admonebat tanquàm Reipublicæ amicus, Cypri Regnum

Selimo cedere, neque *unius saxi iacturam*, tanti Regis amicitiæ præferre. *Saxum* appellabat Regnum Cypri. *Manoleſſo p.20.*

Bonis cum ceſſiſſet Marcus Delphinus, una cum filio Daniele; ære obſtrictus alieno Ducatorum 800000: quærentibus creditoribus, fide defeciſſe dolosè, pecunia abſcondita: quamvis patritius, affinium, cognatorum minimè ſuffragante caterva, carceri datus cum filiis, ut creditoribus ſatisfaceret aliàs excluſus iacèret cum deſcendentibus ab ordine Patritio, convenit cum creditoribus. *Manoleſſo p.21.*

Aloyſius Mocenicus. Dux LXXXV.

MOcenico Principe permittente: Venetias venère Legati Sedis Apoſtolicæ Laurentius Campegius, & Auguſtinus Valerius, habitaque Cleri viſitatione, *ſingulas Parochiales Eccleſias ferè Epiſcopales* nuncuparunt. Poſtea tam ſcripto, quàm ex ſuggeſtu, ad honorem Veneti Cleri, ſequentia retribuerunt. *Utemur ſcribentes ad vos, illis verbis, quæ dum apud vos ſermonem haberemus, in S. Angelorum Templo protulimus, verbis nimirum B. Pauli ad Philip. Gaudete Sacerdotes Veneti, iterum dico gaudete: modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus. Gaudete fratres, quod in tot Sacerdotum numero inventus ſit nemo, qui vel minima hæreſeos labe ſit contaminatus; qui nè levem quidem ullam pravarum opinionum ſuſpicionem præbuerit.* pag. 171. Conſtitut. Patriarchal.

In eadem Viſitatione cum inveniſſet, Plebanos biretum geſtare non in modum Crucis, ſed quo utuntur viri nobiles: ex vivæ vocis oraculo B. P. ſuaſit; ut illa bireti forma uterentur omnes, quam Sedes probat Apoſtolica, *nolle tamen cogi quemquam*. Ibidem p.177.

Nicolaus de Ponte. Dux LXXXVII.

LEgatus congratulandi cauſa, cũ Hier. Grimano P.D.M. Marino Cavalli, Hier. Zane equeſtri dignitate fulgentibus ad Pium V. *Nicolaus de Ponte, iuſto impedimento domi ſubſedit*; (teſte Petro Iuſtiniano lib.15. pag.421.) *nec in legationem profectus eſt.* Concordat Io: Bap. Contaren. t.2.p.110. Anno 1567. *Al quale ancorche dal propenſiſſimo Senato deſtinata all'hor foſſe più ampla Ambaſcieria, frapoſto impedimento inſuperabile à Nicolò da Ponte, uno degli Eletti, convenero ſoli ſuplire Girolamo Grimani Procuratore, Girol. Zane, & Marino Cavalli.* Quale fuerit hoc impedimentum Nicolao de Ponte inſuperabile? narrat Vvicquefortius *lib.5.p.227. L'Ambaßedur.* Prætutam agente Bergomi Nicolao de Ponte, miſſus Michael Ghiſlerius Monacus Dominicanus titulo Inquiſitoris, ubi cum adversùs Venetas leges, inſcio Prætore, falcem extendere præſumeret etiam contra Epiſcopum Victorium

Supe-

Superantium; coactus est Prætor Inquisitorem remittere. Is postea Cardinalis assumptus, & tandem Papa, facti memor à Nicolao de Ponte, Legatum ad se venientem audire minimè sustinuit.

Ab hoc Principe cum Decemviris, An. Sal. 1583. Gabriel Emo Damnatorum Trierarcha publico dicitur damnatus supplicio, inter geminas columnas, quia prædæ cupidus contra datam fidem, Turcicam diripuisset triremem, cæsis 130. Turcis, sexui minimè parcens vel ætati. *Sagredo, Vianoli*: Negat verò Wicquefortius *lib. 2. l'Ambassadeur p.* 126. publico reum sublatum judicio; sed Venetias evocatum, mari præcipitem datum, fama vulgata; quod ad declinandam infamiam, sponte se proiecisset in mare.

Pascalis Ciconia Dux LXXXVIII.

IMpetravit Princeps Ciconia à Sixto V. die 30. Decemb. 1590. in gratiam Cleri Veneti, ut Clerici omnes alicui Ecclesiæ Collegiatæ adscripti, de consensu Rectoris eiusdem Ecclesiæ, etiam si titulo Beneficii, vel patrimonio non provisi, ad Ordines gradatim promoveantur Minores, & Sacros. *Constit. Patriar. p.* 116. *in Synodo Prioli.*

Eodem instante Ciconia Principe, die 5. April. 1593. Sacra Concilii Congregatio litibus finem imposuit, inter Patriarcham & Clerum, circa eiusdem Cleri Comitia: ut eisdem adesse posset idem Patriarcha, dum tamen contra eumdem Patriarcham consilia non recurrerent; quo casu abire teneretur, & liberam cuique loquendi permittere facultatem. *p. 69. in Synodo Prioli. 12.*

An. 1591. Inquisitus Eques Hier. Lipomanus à Triumviris Inquisitoribus, quia auro corruptus emulis Reipublicæ arcana communicasset regiminis; eodem tempore, quo legationem agebat apud Turcas; Senatui Dux cum Decemviris læsam Maiestatem aperuit lacrymis intermixtis adversùs civem ingratum. Declamavit in perfidum more Principis, vindictam dirigens, securam postulans, atque inoffensam. Missus itaque Laur. Bernardo aliàs ad Portam Othomanam legatus specie Mercatoris, secum traxit Lippomanum, qui vultu impavidus, quasi de innocentia securus risit, donec in patriæ conspectum admissus, sceleris turpitudine victus, desperatione obrutus se proiecit in mare, ex quo difficillimè à classiariis redemptus sed exanimis animam expiravit, Deo saltem reconciliatus, argumento spiritus gementis saltem, si non pœnitentis. *Io: Bapt. Contaren. lib. 2. Vianolus.*

Marinus Grimani. Dux LXXXIX.

CVm more vetusto, inter Missarum solemnia, sacrum faciente Michaele Prioli Episcopo Vincentiæ, die 17. Feb. 1598. Soffiam Maripetram sibi spiritualiter desponsasset Grimanus Princeps, absolutis cæremoniis., Au-

relia

relia Querini Latinè peroravit, argutè & eloquenter. Insignia gentilitia, *Rubram Crucem* à Grimana gente emeritam in recuperanda Hierusalem Sancta, acumina cumulando cum titulo illius Templi quod *S. Mariæ in Hierusalem* appellatur; nec non *Maripetræ* Abbatissæ nomen lustrando, quasi in *firma petra* collocatum, ut legere est apud Sansovinum p. 21.

Leonardus Donato. Dux XC.

EXeunte Pontificatu Clem. VIII. apud quem Orator missus fuerat Leonardus Donato, dissidia cum invalescerent adversùs Venetos, Papa occasionem abhorrens mæstitiæ, mandavit Cardinali Burghesio agere cum Oratore. Is cum optimè arcana teneret regiminis; ille peritissimus Canonista jura assereret Romana, & minimè convenirent, finem dialogo imposuit dicens: *Si ego Pontifex essem, verbis non decertarem, sed Ducem vestrum cum Senatu excommunicarem.* Reposuit protinus Donato. *Si ego Dux essem, de vestra excommunicatione minimè contristarer.* Promissis stetit uterque: Burghesius namque dictus Papa nomine Pauli V. laxavit anathema adversùs Venetos: Donato vero in Ducem assumptus: se fortiter & gloriosè defendit. Vvicquefort *lib. 2. p. 123.* unde proverbium; *Draco Burghesius, Leonem Venetum minimè terruit. Alis ille cum verberasset; alæ isti non defuerunt ad tutelam*: iuxta illud *Sub umbra alarum tuarum protege nos..*

Antonius Prioli. Dux XCIV.

MAthæus Cardinalis S.R.E. filius Ducis Antonii Prioli, electus à R.P. Episcopus Bergomensis, nè leges offenderet patrias, quibus prohibentur filii Principum Venetorum, Benefitia subire Ecclesiastica, raro moderationis exemplo, abstinuit. *Bapt. Nani lib. 5. p. 277.* defuncto verò Principe eius patre, idem Episcopatus collatus fuit Augustino eiusdem Principis filio, & Cardinalis fratri. An. 1623. *Vghellus to. 4. Italiæ Sacræ.*

Io: Cornelius. Dux XCVI.

FIlium habuit Federicum Episc. Bergomensem creatum à Clem. VIII. quem cum Vrbanus VIII. vocasset ad purpuram; dubitatum inter Patres; an filius Ducis viventis, salvo more Patriæ, quæ filiis Principum, genitore vivente prohibet Beneficia recipere Ecclesiastica, purpuram subire posset? decretumque: dignitatem tam grandem non comprehendi sub communi Rubrica *de Beneficiis.* Nani. *lib. 6. p. 390.* Dubitatum etiam; an idem Cardinalis Cornelius ex Episcopatu Bergomi ad Vicentinam, postea Patavinam translatus Ecclesiam ab eodem Vrbano VIII. diceretur offendere jura Reipublicæ? quod cum plures negarent; quia iam Episcopus esset, & de

una

una solumodo Ecclesia ad aliam transitum faceret: offerebat Cardinalis novum renunciare Episcopatum; sed renuente Pontifice, qui præpropere Cornelium in Consistorio præconizaverat, perseveravit dissidium etiam post Ducis obitum; donec defuncto Io: Theupolo Venetiarum Patriarcha, (cuius electio iure Patronatus pertinet ad Rempublicam) Lis abiit innocuo pede; eodem Federico Cornelio in Patriarcham Venetiarum assumpto, adprobante Pontifice, qui Patavinum Episcopatum M. Antonio contulit Cornelio Federici fratri, tunc D.M. Primicerio. *Nani lib.7.p.496.*

Franciscus Ericcius. Dux *XCVIII.*

CUm de Principis expeditione in Senatu ageretur: & pro decernendis stipendiis suffragia recurrerent; obiecit graviter Io: Pisaurus Dux futurus, *Principum expeditiones plenas discriminis; non solùm quod à pluribus sæculis, eas antiquassent secretiora consilia; verum etiam quia auri copia in simili expeditione necessaria, utiliùs impendi posset in augendis militum phalangibus; Quod tantæ Maiestatis expeditione excitaretur facillimè Ibraimus Turcarum Rex, qui nunc in mulierum gynecæo marcescebat, non sine gravi ipsius Ducis periculo, cuius infortunia pari pede ambulabant cum fato Reipublicæ, &c.* Omnibus hisce præteritis Senatus minimè mutata sententia, Principis expeditionem sollicitavit. *Nani lib.2.t.2. Vianol. lib.9.*

Franciscus Molinus. Dux *XCIX.*

DIe 28. Aug. 1650. cum virga, & gemino annulo (saphyro scilicet pastoralem annuente dignitatem, altero vero D. Marci præferente imaginem, tutelam annuente Principis erga Monasterium) Gabrielam Molino in Abbatiæ possessionem induxisset *S. Mariæ de Virginibus in Hierusalem*, eam sibi desponsando: Cœlestis Grimana una ex Professis, Latino sermone grates elegantissimè solvit; ut apud Sansovinum p.22.

Franc. Maurocenus Dux *CVIII.*

GRatissima & plena periculis absolvitur controversia, quæ Clerum agitabat Sæcularem, & Regularem, funeris occasione: Clero Sæculari cum Stola, & Cruce cadaver comitanti, ingressum negantibus Regularibus in Ecclesiam suam; eo scandalo, ut dietim verbis verbera miscerentur; ut in Ecclesia Fratrum Servorum, quorum unum Laici sodalitii SS. Hermachoræ & Fortunati, valvas claudentem, ne ingrederentur cum Cruce elevata, contumeliis impetierunt, & cereis accensis. Sic in portis SS. Io: & Pauli, ferociter insultantibus quibusdam Fratribus adversùs Ceroferarios, & Cruci-

ciferum; qui proptcrea à Decemviris inquisiti, & damnati, in carcere pœnas luerunt. Cum itaque res eo versaretur discrimine, ut ad sepulchrum haud possent deduci cadavera nisi à Capitibus Decemvirum submissi ministri, pœnarum comminatione, iurgia diverterent: à me tunc V. Cleri Præsidente, & Procuratore, ad thronum Principis gravamine exposito, & à Supremis Ordinibus, Iuris & Facti Inquisitione commissa Provisoribus Salutis, & Monasteriorum tandem sub disquisitione à M. Sapientibus in contradictorio, proposito Senatus decreto à Regularibus clandestinè impetrato die 5. Iunii 1671. adversùs Clerum inauditum, atque indefensum, imò nec citatum; nunc Francisco Foscari, eodemque tanquam M. Sapientum hebdomadario, proponente, atque Clerum eloquentia gravi, rationum pondere, pietatis merito, patrocinante, die 19. Augusti 1688. Senatus decrevit; *ut iuxta antiquas consuetudines atque Veneti Cleri prærogativas, usus in posterum perseveraret pius, rationabilis absolvendi defunctorum funera in Ecclesiis Regularium; in eas ingredientes Parochi cum Cruce elevata, & Stola ad collum appensa, depositoque cadavere, recedant: Silentio perpetuo imposito Controversiæ.*

F I N I S.

Errata	*Corrige*
pag. 324 flagras	flagrans desiderium
325 Regnanti	Requirenti Senatui

Opera iam edita Ioannis Palatii.

Leo Maritimus.
Commentaria super IV. Institut. lib.
Monarchia Occidentalis fol.
seu
Aquila inter Lilia
——Saxonica
——Bavarica
——Franca
——Sueva
——Vaga.
——Austriaca 1.
——Austriaca 2.
Aquila Romana.
Gesta Pontificum Rom. fol. vol. 5.
Kempis illustrato.
Ovidio Istorico Politico.
Vita di S. Piero.
Vita delle Matrone Venete.
Fasti Ducales.

In lucem edenda.

Gesta Cardinalium S.R.E.
Commentaria super Libros Decretalium fol.
Lectiones habitæ in Patavino Gymnasio.

INDEX
RERVM NOTABILIVM.

31. *Do-*

E

inni.

G

Geor-

I

Ligu-

ex

V

Veri.

FINIS.

NOMINA DVCVM VENETORVM
per Alphabetum diſpoſita

Numerus Marginalis numerum Principum annuit: Secundus Annorum ſeriem. Tertius paginas.

88 Pa-

F I N I S.